PAVLI BENII
EVGVBINI
ORATIONES QVINQVE ET SEPTVAGINTA.

QVAE CVM VSVM HABENT PLVRIMVM ad quodlibet doctrinarum genus laudandum;

TVM MAXIME AD MERITO DE EISDEM præſandum, omnibus, & Tyronibus præcipuè literarum Profeſſoribus erunt vtiliſſimæ.

HIS ACCESSERVNT AVTHORIS EIVSDEM EPISTOLAE, ET PRAEFATIONES pro varijs occaſionibus conſcriptæ, & dicatæ:

NECNON AD EXTREMVM ELOGIA, EPITAPHIA, ET CARMINA QVAEDAM.

QVÆ OMNIA SERENISS. VENETIARVM PRINCIPI, & Excellentiſſimis Patauini Gymnaſij Moderatoribus Author dat, donat, ac dicat.

CVM ORATIONVM, ET ARGVMENTORVM INDICE.



VENETIIS, Apud Io. Guerilium. M. DC. XXV.

Facta à Superioribus Poteſtate: Cum Priuilegio.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google

Approbationum exempla.

Ego Benedictus de Benedictis Doctor Philoſophus, & ex Collegio Patauino Theologus, viſis, & lectis omnibus orationibus, quæ in hoc Libro continentur, cum in eis nihil, quòd contra fidem ſit, aut contra bonos mores, aut contra catholicos Principes, adeſſe viderim, eas ob publicam vtilitatem impreſſione dignas exiſtimo.

Stante prædicta atteſtatione, imprimatur.
Frater Zaccharias Inquiſitor Paduæ.

Octauius Liuellus pro Sereniſſima Republica Veneta.

Viſus etiam fuit Venet. pro alterá impreſſione, ác probatus fuit præſens Liber per me Fratrem Io. Ludouicum Secretar. Rauen. Sac. Theolog. Leg. Commiſſarium Inquiſitionis Venet.

AV-

AVTHOR AD ELOQVENTIÆ STVDIOSOS.

QVI Orationis munditiam elegantiamque requirat, & ad ſolidam eloquentiam perfectamque dicendi laudem aſpiret, hic ſanè longè aberret, niſi M. Tullium (dum tamen Latinè ſibi dicendum ſcribendumque ſit) dies noctesque euoluat, ac de manibus (ſi fieri poſſit) nunquam deponat. Tanta eſt enim Tullianæ orationis ſuauitas & elegantia, talis grauitas & amplitudo, tale decus, tanta maieſtas, vt in eius ore tanquam in regio Solio eloquentia videri poſſit conſediſſe.

Neque verò id eo conſilio pronunciaſſe velim, quod ob latinitatem & elegantiam Terentium ac Cæſarem non magni faciam, Salluſtium & Curtium non laudem, Liuium ac Suetonium non libenter euoluam. Quid multa? non hos ſolùm cenſeo eſſe legendos, verùm etiam ex alijs non paucis (id quod in noſtris de Hiſtoria libris proſequimur diligenter) ad Plinios vſque commodè multa hauriri poſſe exiſtimo. Immo verò ab ijs qui delectum habeant, Plauti & Lucretij inter Poëtas; Apuleij & Sidonij inter ſcriptores cæteros, attingantur ac tractentur per me licet. Sed tamen qui non latinitatem modò (vt dicere cœperam) ſed eloquentiæ virtutem ac laudem expetat, ſanè Ciceroni primas, huic ſecundas, eidem tertias (id quod de actione affirmabat Demoſthenes) concedat neceſſe eſt.

Quanquam ſi quis illud ſibi propoſuerit, vt eloquentiam ac dicendi facultatem è foro educat & Curia; ac tum in publica Gymnaſia & nobiles Academias, tum in doctorum virorum Collegia & cœtus illam inducat, vno verbo extra iudicia ac publicas deliberationes, prout occaſio tulerit ac locus, efferat, hic ſanè præter M. Tullium alios quoque authores ſectetur oportet & imitetur. Cum enim in Senatu & Foro cauſas perpetuò ferè egerit Latinus Orator, ac propterea nullas nobis conciones reliquerit in quibus data opera Poeſim vel Philoſophiam aut cæteras facultates atque doctrinas laudauerit, aut ad eas capeſſendas Auditores incenderit, vel clari alicuius viri obitum ac funus ornauerit; multò minùs ad lauream petendam, Collegijve ſubſellia poſtulanda, ſiue ad Theſes publicè tuendas oppugnandasve, retulerit ſtylum, & cætera huiuſmodi argumenta complexus ſit, ad quæ nobis hoc tempore deriuanda eſt eloquentia, profectò exempla ac velut ideæ aliunde petendæ ſunt. Etſi enim non

inficior ad hæc etiam magnum nobis adiumentum afferre poſſe accuratam Ciceronis tractationem, atque ex eo licere multa paſſim decerpere quæ percommodè cadant in omnem propemodum rerum varietatem: veruntamen vbi exempla omnino requiras in quæ ſpectes dum in quolibet doctrinæ genere accommodatè præfari velis & copiosè, aut etiam cupias Iuriſprudentiam vel Philoſophiam aut Poeſim, liberales denique artes ac facultates, ornare, ſeu iuuenes pro opportunitate ad iſtarum ſtudia doctrinarum cohortari, aut auditoribus aliquid gratulari, vel in Comitijs ac publicis hominum cœtibus ampliſſimos viros non modò laudare ſed compellare, admonere, deprecari; id verò ſi exempla requiras, ac veluti ideas & formas tibi præſto eſſe cupias, aliò confugias neceſſe eſt: tantum abeſt vt conciones in promptu habeas quibus Doctoris inſignia & lauream (ſiue Theologiæ velis, ſiue Iuriſprudentiæ, ſiue Philoſophiæ ac Medicinæ) aut etiam Collegij dignitatem ac ſedem poſtules: aut pro accepta laurea vel Collegio gratias agas, aut Theſes propugnare vel oppugnare valeas.

Quæ cum ita ſint, operæpretium me facturum exiſtimaui ſi eloquentiæ ſtudioſis in tali ac tanta rerum varietate exempla proferrem, quibus quaſi formis atque ideis vterentur, dum aliqua eiuſdem generis ſcribenda illis aut habenda eſſet oratio. Tametſi enim haud profiteor me perfectas ideas ac formas attuliſſe, quin magnopere optarim vt qui doctrina & eloquentia maximè præſtant, ij omnibus planè luminibus ac pigmentis abſoluant quod nos vix fortaſſe adumbrauimus; quicquid tamen ingenij noſtri anguſtiæ ad orationis munditiam & elegantiam aut ad eloquentiam ſuppeditant (ſi quid tamen ſuppeditant) id ſanè publicæ hominum vtilitati ſine inuidia tranſmittimus.

Sed iam Orationum Catalogum, vt earum vſum & varietatem agnoſcere liceat proferamus.

ORA-

ORATIONVM CATALOGVS,

SERIES, ARGVMENTA.

ORATIO I. De humanæ vitæ fragilitate: habita in ſacro Clementis VIII. Pontif. Max. & S.R.E. Cardinalium conſeſſu in die Cinerum. car. 1

II. Humanitatis ſtudia tum eſſe difficillima, ac multarum magnarúmque artium ſcientia indigere, tum iucunditatis eſſe pleniſſima, & pulcherrima animi ornamenta continere. Quibus omnibus perfectus Humanitatis Doctor deſcribitur ac fingitur. Habita in Patauino Gymnaſio. 4

III. De Græcæ linguæ dignitate atque inprimis de Platonicæ orationis præſtantia. Habita Mediolani cum Plato eſſet Græcè explicandus. 13

IV. Ariſtotelis Ariſtoteleæque Rhetoricæ laus attingitur. Habuit hanc Mediolani pomeridiano tempore: cum matutino alteram de Græcæ linguæ præſtantia, déque Platonis eloquentia, habuiſſet. 18

V. De Hebraicæ ac Græcæ linguæ ſtudio amplectendo: déque Hebraicæ inprimis vtilitate ac dignitate. Habita Patauij cum Geneſis Hebraicè eſſet explicanda. 20

VI. Moralis Philoſophia quàm præclara ſit atque humanæ ſocietati frugifera. Habuit hanc Mediolani cum Ariſtotelis libros de moribus explicandos aggrederetur. 21

VII. De Poëſi atque Ariſtoteleæ Poëticæ præſtantia & vtilitate. Habita in Patauino Gymnaſio cum Ariſtotelis Poëtice eſſet explananda. 31

VIII. De Heroici Poëmatis ſplendore ac dignitate. Habita Patauij cum poſterior Ariſtoteleæ Poëticæ pars in qua de Epopœia diſſeritur, declaranda eſſet. 37

IX. Ariſtotelis inter res iucundas conſuetudinem referentis confirmatur priùs, mox exagitatur, opinio. Tum ad extremùm Petro Duedo Vrbis Præfecto qui inopinatus Patauinum Gymnaſium adierat & Rhetoricæ ſcholæ interfuerat, gratiæ aguntur. 39

X. Patauini Gymnaſii primùm, tum Ariſtotelis, ad extremùm Præſidum, continet laudes. Pataüii habita dum ad Ariſtotelis Rhetoricam explicandam aggrederetur Author. 41

XI. De Aſtrologiæ ſiue commodis & vtilitate, ſiue præſtantia & dignitate, ſiue admirabili iucunditate. Hanc ſcripſit Author amici rogatu: qui eam deinde habuit in Peruſino Gymnaſio, cum ad Sphæræ explanationem aggrederetur. 46

XII. Pataüii habita, dum Virgilii Aeneis atque Heroici Poematis condendi ratio explicanda eſſet. Continet Virgilii maximè verò Aeneidis laudes. 48

XIII. Venetus Princeps priùs, ac Patauini Gymnaſii Moderatores, tum Ariſtoteles eiúſque Rhetorices, laudatur. Habuit hanc Pataüii cum Ariſtotelis Rhetoricæ interpretandæ rurſus initium faceret. 52

XIV. Laudis continet laudationem. Habuit hanc Pataüii. cum eam Ariſtoteleæ Rhetoricæ partem explicandam aggrederetur, in qua Demonſtratiui generis præcepta traduntur. 55

XV. De naturali hominis in Patriam amore & Charitate: hanc ſcripſit vt amico gratificaretur in Patriam poſt multos annos redeunti, & in Iuriſconſultorum Collegium cooptari poſtulanti. 58

XVI. Virgilii Aeneis, quippequæ Populi Romani texat hiſtoriam, ornatur ac celebratur. Habita Pataüii cum Aeneis atque heroici poëmatis artificium explicanda eſſent. 61

XVII. De ſtudiis Humanitatis; quàm ampla ſint, ac multarum magnarúmque rerũ cognitione indigeant: ſigillatímque de eloquentiæ commodis & dignitate. Habita Pataüii cum rurſus a Poëtis ad Rhetores rediretur. 66

XVIII. De exercitationis vtilitate. Habita Pataüii cum Oratoriæ exercitationes inſtituerentur. 70

Ha-

XIX. Habita Patauii cum ea Ciceronis explicanda eſſet Oratio quæ pro lege Manilia ſeu de Pompeio Imperatore deligendo inſcribitur. 72

XX. Apologiam texi dum ſibi nouam dicendi rationem inſtituenti, vel certè veterem ſed intermiſſam reuocanti, inuidiam conflari ab aliquibus animaduerterer. Habita in Patauino Gymnaſio. 75

XXI. Eloquentia cum Hiſtoria & Poëſi comparatur, ac multas & magnas cum publicè tum priuatim vtilitates habere oſtenditur. Habita Patauii cum rurſus Ariſtotelis Rhetorice eſſet explicanda. 77

XXII. Religionis ſtatus curſim commendatur primùm: tum de tali tantóque bono retinendo augendóque diſſeritur: mox verò oſtenditur niſi Chriſti Cruçe id perfici non poſſe: ad extremùm Antiſtitis ac Patrúm qui in hanc rem diligenter incumberent, laudatur induſtria. Habita Vicentiæ in S. Bartholomæi Templo, in generalibus Comitiis a Religioſo viro, cui vt gratificaretur, eam dictauerat Author. 79

XXIII. Hac Author in Patauino Theologorum Collegio Iohannem Ferrum Theologiæ Doctorem creauit & inſignibus exornauit. 82

XXIV. Hanc habuit N. N. Epiſcopus deſignatus, cum in Pelloponeſum reuerſurus, & inter infideles verſaturus, Iuriſprudentiæ poſtularet lauream. 83

XXV. Habuit hanc Patauii N. N. Eugubinus dum Philoſophię ac Medicinę lauream ſibi a Collegio decretam peteret. 84

XXVI. Hanc dictauit Author N. N. nobili adoleſcenti, cum hic Patauino Iuriſconſultorum Collegio, in quod tunc primùm excipiebatur, gratias acturus eſſet. 85

XXVII. Hanc item dictauit nobili adoleſcenti qui Iuriſprudentiæ Theſes in Patauino Gymnaſio publice tuendas proponeret. 86

XXVIII. Hac N. N. nobilis Venetus cum Martio Capra Comite, qui Philoſophicas Theſes publicè tuebatur, diſputaturus breuiter præfatus eſt. 88

XXIX. Abbas Caſtelbeſutius nobilis Mediolanenſis Mediolanenſe laudat Iuriſconſultorum Collegium in quod tum primùm receptus fuerat: eidémque gratias agit: ac tandem Borromæum Cardinalem, qui fortè aderat, ornat quambreuiſſimè. 89

XXX. Habita Taruiſii in publicis Seruitarum Comitiis a N. N. cui eam amici rogatu dictauit Author. 90

XXXI. Habuit hanc Patauii dum in Sacro Theologorum Collegio Lecilium Tabulium, Taruiſinum ſacræ Theologiæ laurea decoraret, ſimúlque Collegam declararet. 93

XXXII. Hac N. N. Iuriſprudentiæ lauream ſibi a Patauino Collegio decretam petit: continentérque tum idem Collegium, tum Othonellum Deſcaltium, cuius manu eam ſibi imponi poſtulat, laudibus ornat. 94

XXXIII. N. N. Cum in Patauino Collegio Philoſophiæ ac Medicinæ laurea ornandus, deinde verò in Collegium cooptandus eſſet, de tot ac tantis honoribus ſibi lætatur & Patribus gratulatur: tum ab Aemilio Campolongo lauream ſibi deferri poſtulat. 95

XXXIV. Hac præfatus eſt N. N. cum in Patauino Gymnaſio aduerſus N. N. Theſes eſſet diſputaturus. 96

XXXV. Habuit hanc Author cùm Iohannem Cocchettum Natuiſinum laudaret, & ſacræ Theologiæ inſignibus ornaret. ibid.

XXXVI. Ludouicus N. Patauino Iuriſconſultorum Collegio gratias agit, quòd ſibi Iuriſprudentiæ, cuius etiam difficultates attingit lauream perhonorificè decreuiſſet: eadémque a Iacobo Gallo, quem ſimul paucis ornat, ſibi deferri poſtulat. 98

XXXVII. N. N. nobilis Venetus ſibi gratulatur, quòd a Patauino Collegio, quem interim celebrat, lauream eſſet accepturus: eandémque a Iacobo Gallo, quem item ornat, ſibi deferri petit. 99

XXXVIII. N. N. Abbas ac nobilis Venetus gratias agit Patauino Collegio ob decretam ſibi Iuriſprudentiæ lauream: quam non ſine grati animi ſignificatione, a Gallo, quem etiam breuiter laudat, poſtulat ſibi conferri. 100

XXXIX. Vbertinus Papafaua Abbas nobiliſſimus variis laudibus priùs, mox Theologiæ laurea, exornatur. ibid.

XL. N.N. Iuriſprudentiæ lauream petit: cum ſimul ornans, a quo ſibi eſſet tribuenda. 101
XLI. N.N. Theſes Iuriſprudentiæ tuendas proponit. 102
XLII. Octauius N. Pontificij Cæſariíque Iuris inſignia ſibi a Patauino Collegio decreta deferri poſtular. 103
XLIII. N.N. Abbas, quippe nobilis Venetus ac iam Iuriſprudentiæ laurea donatus, in Patauino Iuriſconſultorum Collegium de more cooptari poſtulat, & quambreuiſſimè. 104
XLIV. N. N. decretam ſibi a Patribus Iuriſprudentiæ lauream petit quambreuiſſimè. ibid.
XLV. Habita Patauij ad D. Antonij; dum is eſſet argumentatione oppugnandus, qui eam Theſim, Quicquid Scotus ſcripſit, rectè ſcripſit, triduo diſputandam ac tuendam propoſuiſſet. ibid.
XLVI. N. N. nobilis Cretenſis, Proepiſcopo & Iuriſconſultorum Collegio gratijs actis, a Salgherio quem ſimul laudat, laureæ inſignia requirit. 105
XLVII. Actio I. Habita Romæ in Philoſophiæ humanarúmque doctrinarum Obtrectatores, Anno M. D. XCV. dum Clementis VIII. iuſſu ad Naturalem Philoſophiam in Almo Sapientiæ Gymnaſio è prima ſede explicandam aggrederetur. 106
XLVIII. Actio II. in Philoſophiæ humanarúmque doctrinarum obtrectatores. Habita in almo Vrbis Gymnaſio, dum in inſtituto philoſophiæ interpretandæ munere pergeret. 113
XLIX. Actio III. in Philoſophiæ humanarúmque doctrinarum obtrectatores. Habita in Almo Vrbis Gymnaſio, dum pergeret in inſtituto Philoſophiæ interpretandæ munere. 119
L. In funere Franciſci Viduæ. Qui dum & Iuriſprudentiã quàm publicè in Patauino Gymnaſio interpretabatur, & eloquentiæ, ac Philoſophiæ, laude floreret; ob egregiam verò pietatem morúmque probitatem, omnibus charus eſſet, in ipſo iuuentutis flore extinguitur. Hanc ſcripſit Author vt amico optimo hoc quoque officij genus perſolueret. 126
LI. Pro N.N. dum peteret Iuriſprudentiæ lauream. 131
LII. Habuit hanc Patauii Anno M. DC. XV. cum primò Salluſtium explicare aggrederetur. 132
LIII. Pro NN. Repetitionem a Vicetino Iuriſconſultorum Collegio poſtulante. Virtutem primò, tum Iuſtitiam, inde Vicetinum Collegium Viceti [illegible]numque Vrbem laudat, & ad extremùm Repetitionem poſtulat vt in Collegio cooptetur. 133
LIV. Patauii habita, cum Virgilii Aeneis explananda eſſet rurſus. 137
LV. Hanc habuit ſtudioſus Iuriſprudentiæ Adoleſcens dum in Academia tueretur Theſes. 139
LVI. Patauii habita dum Orationem pro Lege Manilia rurſus explicandam ſuſciperet. 140
LVII. Hãc habuit Patauii Anno M. DC. XV. Dum Iohanni Georgio Kydio Salſpurgenſis Eccleſiæ Decano Theologiæ lauream imponeret. 143
LVIII. Patauii habita a N. N. dum Iuriſprudentiæ Theſes publicè in Gymnaſio tueretur. 144
LIX. Auditorum rogatu habita in Patauino Gymnaſio, dum Ariſtotelis de Gloria ſententiam explicaſſet. 145
LX. Pro NN. Nobili Veneto cum Iuriſprudentiæ peteret Lauream. 152
LXI. Habuit hanc Iuriſprudentiæ ſtudioſus Adoleſcens dum Aemulum, nec ſine aliquo æmulationis ſenſu, oppugnaret. 153
LXII. Habita Patauii in B. Thomæ Aquinatis Natali die. ibid.
LXIII. Habita Patauii Anno M. DC. XVIII. III. Non. Nouemb. Cum ad Salluſtium explanandum aggrederetur. 157
LXIV. Ad Ampliſſimum ac Reuerendiſſimum Patrem, ac Generalem Regularium Canonicorum Magiſtrum. Habita Patauii a N.N. An. M. DC. XVI. 160
LXV. Pro N.N. dum Iuriſprudentiæ Theſes oppugnaret. 161
LXVI. De Chriſti Charitate & Humilitate habita in Cœna Domini a Religioſo vi- 10

ro Generalis Magiſtri iuſſu. 162
LXVII. Pro Franciſco Miſichio dum Philoſophiæ ac Medicinę lauream peteret. 164
LXVIII. Pro N. N. de Religionis virtute colenda & Humanis Diuiníſque doctrinis; quæ interim laudantur, ipſius Religionis gratia retinendis & amplectendis. 166
LXIX. Habita a N. N. in Nobilium Venetorum Academia, dum eorum Coryphæus obiiſſet, eidémque ſuffectus eſſet. 168
LXX. De Virtute ac doctrinarum ſtudiis, inprimis verò de Eloquentia in Patauino Gymnaſio retinenda & excolenda; habita pro ſtudiorum inſtauratione. 170
LXXI. Habita a N. N. cum Philoſophicas clariſſimi iuuenis Theſes publicè in B. Antonii templo oppugnaret. 173
LXXII. Habita in Patauino Gymnaſio Kal. Aprilis, cum in Ariſtotelis Rhetorice Genus Iudiciale ſuccederet explicandum. 175
LXXIII. Habita in Patauino Gymnaſio Nonis Nouembris Anno M. DC. XIX. cũ Ariſtotelis Rhetorica publicè eſſet explicanda. 179
LXXIV. Hanc habuit Author in Patauino Gymnaſio Anno M. DC. XXI. III. Nonis Nouemb. Dum Orationem pro M. Marcello explicandam aggrederetur. 181
LXXV. Habita Patauii M. DC. II. Cum primam M. Tullii Ciceronis Epiſtolam ad Q. Fratrem priuatim interpretaturus eſſet Author. 183

Hæc Orationum œconomia & ſeries. Nunc ſi placet Lectores Ornatiſſimi, quæ primò ſeſe offert de humanæ vitæ fragilitate Oratio, hanc primùm grato animo excipere ac percurrere ne grauemini.

CATALOGVS ORATIONVM FINIS.

PAVLI BENI EVGVBINI
ORATIO PRIMA.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

HABITA IN SACRO CLEMENTIS VIII. PONT. MAX.

Et Ampliſſimorum S. R. E. Cardinalium conſeſſu.

In die Cinerum, in B. Sabinæ Templo.

NEMO, vt opinor, qui rectè ſentiat, dubitabit vnquam, Beatiſſime Pater, quin Sacroſancta Chriſti Eccleſia religioſè admodum & opportunè hodierno die cinere fidelium caput aſpergat. Etenim cum inſigni hoc mortalitatis monumento nos, & de mortalitate noſtra admonere: & ad indictum ieiunium ac pœnitentiam alacriter amplectendam allicere: & ad Liberatoris noſtri mortem piè recolendam excitare, ſtudeat; quis non videat nihil ferè hoc tempore aut ad effrœnatas animi cupiditates cohibendas firmius, aut ad teterrimum humani generis hoſtem frangendum & ſuperandum robuſtius, aut ad diuinum cultum retinendum ſanctius ac religioſius, excogitari potuiſſe? Quanquam magnopere verendum eſt ne illud interim ſanctiſſimi inſtituti huius vtilitate florentiſſimam, quam intueor, Romanæ Aulæ atque adeò Vrbis nobilitatem priuet, quòd non tam fortaſſe interiorem myſterij ſanctitatem meditari atque expendere animo, quàm externam hanc pompam & inſolitam frequentiam ac celebritatem ſpectare atque ad oculos oblectandos referre ſoleat. Quapropter meatum eſſe partium exiſtimaui in præſentia de huius myſterij ſanctitate verba facere: ac quos mortalibus afferat fructus & commoda, quas vtilitates habeat & opportunitates, pro tenuitate mea oſtendere. Quod dum breuiter facio, te etiam atque etiam obſecro P.B. vt pro tua ſingulari clementia ad finem vſque attentè audire, méque auguſtiſſimi maieſtate conſeſſus perculſum tui facilitate aſpectus recreare ne grauerſs. Atque vt inde ſummam initium, vnde rerum omnium initia apparent atque primordia, equidem vix vnquam ſacram conditæ Vniuerſitatis hiſtoriam cogitatione complector, quin humanæ fragilitatis cum recordatio, tum multò maximè admiratio, meum ſubeat animum. Etenim dum hominem in ea intueor Dei ipſius quaſi manibus plaſmatum ac fictum: diuina imagine ac ſimilitudine decoratum: excellenti rerum omnium notitia admirabilíque ſapientia ornatum ac præditum: immortalitate, immortalitate inquam, donatum: principatum in hac rerum Vniuerſitate adeptum: iuſtitia cæteríſque diuinis illis virtutibus atque muneribus ad miraculum propè inſtructum & cumulatum: denique in Paradiſo amœniſſimo tanquam in pulcherrima Regia collocatum vt naturali beatitudine quamdiutiſſimè potiretur; ecce tibi, diuinum mandatum cum violaſſet, momento penè temporis de ſummo illo fœlicitatis gradu ab opifice ac parente Deo exturbatus, & in ſummas ærumnas delapſus, audit ſuam gloriam ac fœlicitatem vniuerſam elogio illo concludi, PVLVIS ES ET IN PVLVEREM REVERTERIS. O commutationem rerum miſeram, ac poſteris quoque omnibus ærumnoſam: ò diem verè luctuoſum atque funeſtum: omninóque dignum vt ſanctiſſimus Iob in mœſtiſſimas

illas lugubréſque voces erumpat. DIES ille vertatur in tenebras: non requirat eum deſuper: & non illuſtretur lumine: obſcurent eum tenebræ & vmbra mortis: occupet eum caligo, & inuoluatur amaritudine. Sed Iobi luctum, ſi placet, & querimonias, etſi iuſtiſſimas, mittamus in præſentia: ac propoſitum Elogium ſalutaréſque Eccleſiæ voces audiamus. neque enim aliò ſpectat optima atque ſanctiſſima fidelium Parens iſtarum vſurpatione vocum & recordatione, niſi vt ex hoc ipſo mortalitatis monumento ad certiſſimam immortalitatis ſpem, ex pulueris ignobilitate ad priſtinum decus & nobilitatem, ex ærumnis ac luctu ad lætitiam, ex morte denique ad vitam excitemur & erigamur. Ergo MEMENTO, inquit MEMENTO HOMO QVIA PVLVIS ES ET IN PVLVEREM REVERTERIS. Ac profectò, niſi humanam mentem ignorantiæ tenebris atque caligine circumfuſam, atque animum tot tantíſque agitatum perturbationibus offendiſſet, ſatis illa quidem habuiſſet illud hominem admonere. HOMINEM ESSE MEMENTO: aut Prophetæ illud mortalibus in mentem reuocare, SCIANT gentes quoniam homines ſunt. Hinc enim continuò in memoriam veniſſet fidelibus nihil reperiri homine imbecillius, nihil humana vita fugacius atque fragilius. Nam hoc ipſum eſt quod & ſapientiſſimus Iob elegiacis vocibus illis teſtatur. HOMO quaſi flos egreditur & conteritur: & fugit velut vmbra: & ſanctiſſimus Vates quotidie ferè nobis denunciat, dum canit, HOMO vanitati ſimilis factus eſt: dies eius ſicut vmbra prætereunt: & rurſus. Dies mei ſicut vmbra declinauerunt, & ego ſicut fœnum arui. Hoc denique; vt ſexcenta diuinis humaníſque literis teſtata fragilitatis noſtræ argumenta prætercam, eſt quòd cum accenſa ſtipula araneáque tela, cùmque fumo item ac ſomnio; quæ omnia celerrimè dilabuntur, immo verò cum aquæ bulla, igníſque ſcintilla, quæ duo ſimul atque apparent, euaneſcunt, a ſapientibus comparatur, & (vt rem complectar breui) Mortis ſpolium & imbecillitatis exemplum appellatur. Verùm cum homines, quippe Adæ filios, varijs occupatos perturbationibus, ac gloriæ in primis honorúmque cupiditate incenſos cerneret, haud ſatis eſſe duxit nos homines appellaſſe, niſi eodem tempore puluerem ex quo ſumpti ſumus, nobis obieciſſet: ac pallentem cinerem, viliſſimum lutum, arentem terram humanæ peruicaciæ frangendæ adhibuiſſet. Quanquam maiorem cordi duriciem obduxit homo quàm vt vocibus iſtis ſibi obtemperandum exiſtimet. Nam cum ſe videat a Deo non belluarum inſtar ad paſtum humi abiectum: ſed ad cœlum tanquam ad immortalitatis domicilium, præſtanti forma ac pleniſſima dignitatis erectum: atque ad diuina humanáque omnia contemplanda procreatum, non facilè patitur ſe ab ſuæ dignitatis æſtimatione ac faſtu, aut etiam ab ijs quibus ſæpè diffluit delicijs, ad mortalitatis cogitationem abduci. Sed ecce tibi robuſtiorem adhuc machinam tantæ peruicaciæ admouet Eccleſia. nam cum pulueris ex quo ſumptus eſt, memoriam refugiat homo; eum in quem ſoluendus ac neceſſariò breuique ſoluendus eſt, puluerem eidem rurſus obiiciens, ET IN PVLVEREM, inquit, REVERTERIS. Ac ſapienter quidem & planè diuinè. Is enim eſt homo qui in ipſa matris aluo Morti a Natura veluti deuouetur; qui ab ortu, ab ortu inquam, mori incipit ac deperire: nec priùs aut vitale ſugit lac, quàm lethale hauſerit pharmacum: aut oculos aperit intueturque lucem, quàm eoſdē ſibi breui claudendos & gratiſſimo Solis aſpectu orbandos eſſe, lacrymis declaret ac fateatur. Quid? nónne quot dies, ſed quid dies memoro? immo quot horas & momenta propè dixerim, explemus atque percurrimus, tot nos quaſi laqueis deuincit Mors, quibus rapimur ad ſepulchrum? Denique luteum corpus quod geſtamus, ſpiritum quem ducimus & efflamus, Mortis iura neceſſitatémque demonſtrant: ſomnus quem capimus, morbi quibus premimur, nuncii ſunt Mortis & ſimulachrum: tumuli ac funera quæ quotidie cernimus & cadauera ipſa, imminentem nobis mortem denunciant. Quamobrem contra hoſtium inſidias ſæpiſſimè munimenta patent atque præſidia: contra Mortem munimentum aut præſidium patet nullum: ſed immunitam vrbem colimus omnes. Eluuiones, naufragia, exuſtiones, paupertatem, inuidiam declinare ſæpè licet: Mortem nulli ac nullo vnquam tempore licet. Non enim mortalium inſtar auro corrumpitur Mors aut largitionibus: non gratia capitur aut pulchritudine: nō precibus flectitur aut eloquentia: non robore aut nobilitate deterretur: non virtute ipſa ſuperatur: vno, vno inquam,

mortalium

mortalium funere delectatur: ſola morte expletur: noſtro tantùm puluere & cinere ſaturatur: ac tum demum iras ponit, cum nos & in terram ſolutos cernit: & nobis terram pro domicilio, ſtrato, operimento, igne ipſo & aqua eſſe intelligit. Quod vt paulò vobis altiùs inſideat animo Patres Ampliſſimi, ac ſi fieri poſſit non in memoria ſolùm hæreat ſed in viſceribus ipſis, agite obſecro, ad magnificentiſſima huius Vrbis ſepulchra mentem cogitationémque conuertite. Nam cum in ijs, non dicam in præſentia ſummorum Pontificum, ſed plurimorum veſtri ordinis Patrum, cineres atque oſſa quieſcant, & magnum illum in quo a Chriſto excitandi ac iudicandi ſunt, diem expectent, hos mihi quodammodo audire videor vos interim his vocibus compellantes. NOS quoque in Sacroſancto Collegio iſto floruimus aliquando: ac purpuram cæteráque dignitatis iſtius ampliſſimæ ornamenta geſtauimus. Quin etiam hoc ipſo die lectiſſimæ nobilitatis flore, clariſſimáque Præſulum corona ſtipati, Auentinum collem aſcendentes, ac fortiſſimæ Martyris templum de more ingredientes, ornatiſſima ſubſellia iſta tenuimus: ita vt nemo non magnopere æſtimaret nomen authoritatémque noſtram: nemo amplitudinem maieſtatémque non ſuſpiceret: nemo non ingenti nos honore atque obſeruantia proſequeretur. Quid multa? fœliciſſimi habiti ſumus inter mortales. Verùm, proh dolor, paulò poſt graui morbo oppreſſi atque adeò extincti, diuitijs, amicis, honoribus, authoritate, gratia, omnibus vitæ commodis, ipſa lucis vſura ſpoliati atque orbati ſumus. ſic quaſi flos cecidit gloria noſtra; & in puluerem reuerſi, ſepulchi ſqualore, tenebris, horrore, vermibus obruti iacemus & conſopiti. Quanquam leuiſſima ſunt iſthæc ac veluti ſomno quietíque ſimilia ſi cum diſcedentis ſpiritus ærumnis atque anguſtijs conferantur. ſiquidem amarum fuit quidem nobis & acerbum opibus ſpoliari atque potentia, quæ non modò ad vitæ vſum, ſed ad voluptatem, ad gloriam tot tantáſque opportunitates habent. acerbius ab amicis aut etiam a propinquis diuelli: cum ijs propter ſanguinis coniunctionem ac vincula cognationis, illis propter morum ſtudiorúmque ſimilitudinem, ac conſiliorum voluntatúmque cõſenſionem, vtriſque propter amorem & charitatem nihil ſoleat eſſe iucundius. longè adhuc acerbius fuit lucis aſpectu ac vita ipſa priuari, vnde in medijs ſpatiis ſpes noſtras frangi ſenſimus, ac plena illa gloriæ dignitatiſque conſilia puncto temporis euaneſcere. Verùm quas noſter cœpit animus acerbitates, cum iam iam è corpore migraturus, ſiue obuerſantes ſibi anteactæ vitę culpas recoleret: ſiue cogitationem in ſempiternos ignes defigeret, quos ſibi meritò verendos eſſe intelligeret: ſiue in æterna cęli gaudia intueretur quorum iacturam tantopere pertimeſceret: ſiue irati Iudicis, quem adeſſe certo ſciret, præſentiã ſibi proponeret, hæc verò nullis non modò explicari verbis aut adumbrari ſed ne omnium quidem hominum cogitationibus percipi aut attingi poſſunt. Veriſſimè enim dici poteſt, ijs acerbitatibus tantum cæteras illas ſuperari, quantum corpori cedit vmbra: luci tenebræ: ſomnus morti: momentum æternitati. Quæ cum ita ſint, vos quibus adhuc licet eſſe ſuperſtites, videte, videte per Deum immortalem, ne vobis ad beatam vitam ijs vitæ rationibus ac ſtudijs aditum aperiri arbitremini, vnde breui ad perpetuas miſerias corruatis. cauete ne inde vobis viam patêre exiſtimetis in cœlum, vnde plurimis exitium patuit ſempiternum. Quin potiùs in eam curam atque cogitationem incumbite: eò ingenij vires ac neruos omnes intendite: illud dies noctéſque elaborate, vt lupos a Chriſti ouibus, fures ab Eccleſiæ caulis, arceatis: ac fidelem Dei gregem, quoad eius fieri poſſit, ab omni contagione liberum incolumémque ſeruetis. omninóque efficite vt parem cum authoritate fidem, cum dignitate integritatem, cum ſplendore ac maieſtate pietatem charitatémque præſtetis: ſícque præſtetis, vt boni omnes & intelligant & prædicent, quot in Senatu iſto honeſtiſſimo atque ſanctiſſimo reſident Patres, tot, non dicam authoritate, ſed pietate, conſilio, grauitate, Pontifices optimos reſidere. Id quod tum in tota vita vnà cum Paſtore Summo eniti debetis, tum maximè turbulentiſſimis hiſce tẽporibus, in quibus ea eſſe debent veſtra in Eccleſiam ſtudia, ea vigilantia, is ardor animi, vt exteræ nationes omnes ſentiant, non minùs ſanctiſſimum hoc Religionis domicilium nouos Clementes, Fabianos, Laurentios, atque huiuſmodi alios fortiſſimos athletas aduerſus Chriſti hoſtes inſtruere, quàm ſiue Scytia, ſiue is vnde tot mala panduntur Aquilo, ſeu potiùs Sathanas, nouos Domitianos, Decios, Diocletianos veluti ab inferis ex-

citarit. Quæ omnia tum demum cumulatiſsimè, vt ſperamus, explebitis; cum in rebus gerendis, humanæ memores fragilitatis, mortalitatem veſtram in conſilium adhibebitis: ſimúlque curabitis, vt veſtræ aures multóque magis animi quotidie perſonent vocibus illis, MEMENTO HOMO, MEMENTO HOMO QVIA PVLVIS ES, ET IN PVLVEREM REVERTERIS. His, inquam, verbis mihi quodammodo audire videor vos interim ab iis compellari, qui cum non ita pridem ingenti cum gloria atque hominum plauſu ſubſellia iſta veſtra tenerent, ac fœliciſsimi haberentur, nunc in ſepulchris conditi, atque in cineres miſerandum in modum redacti ſunt. Quibus verbis equidem, Patres Ampliſſimi, nihil mihi addendum, ſed tantùm, ſalutare illorum conſilium ſapientiæ iudicióque veſtro committendum puto. Qui enim ſanctiſsimas voces iſtas audiens, ſe & ex puluere conflatum, & in puluerem breui rediturum, meditetur, ac verè & ex animo meditetur, is ſanè vitam perinde inſtituat neceſſe eſt, ac ſi eo ipſo die de vita ſibi decedendum, ac dictorum factorúmque omnium ſapientiſsimo integerrimóque Iudici rationem reddendam, denique breuiſsimum hoc vitæ ſpatium, & quaſi momentum cum æternis ſiue præmiis ſiue ſuppliciis commutandum eſſe arbitretur.

DIXI.

ORATIO SECVNDA.

In qua oſtenditur Humanitatis ſtudia tum eſſe difficillima, ac multarum magnarumque artium ſcientia indigere, tum iucunditatis eſſe pleniſſima, & pulcherrima animi ornamenta continere.

Quibus omnibus perfectus Humanitatis Doctor deſcribitur ac fingitur.

Habita Patauij in publico Gymnaſio 17. Kal. Aprilis Anno M. DC.

NEmo, vt arbitror, diuinæ ſapientiæ ſtudium cum humanis artibus ac diſciplinis æquo animo contulit vnquam, qui non moleſtiſsimè ferret humanas doctrinas diuinis anteponi; quíque Sapientiæ principatum rerum diuinarum contemplationi extorqueri, ac cæteris ſtudiis artibúſque deferri, non indigniſsimè pateretur. Mihi ſanè, cum doctrinarum omnium ſpeciem intueor animo, atque illarum pulchritudinem & dignitatem diligenter expendo, ſapienter ac prope diuinæ feciſſe videntur illi, qui in diſciplinas omnes imperium ac dominatum rerum diuinarum ſtudio detulere. Etenim, ſi quis rectè æſtimet, is eſt diuinæ ſapientiæ ſplendor, id decus, ea maieſtas, vt quemadmodum purpura coloribus, metallis aurum, Sol reliquis aſtris, ſic cæterarum illa doctrinarum pulchritudini, forma & pulchritudine antecellat. Verùm ſi quis attentiùs æſtimet quæ tandem ex iis artibus ac diſciplinis ſit difficillima ad comparandum, is ſanè id totum politioribus literis tribuat, quas Humanitatis appellarunt Maiores noſtri, atque ad eas acceſſum longè arduum eſſe fateatur neceſſe eſt. Admirabitur hoc fortaſſe quiſpiam, ac magnopere verebitur, ne interim, quoniam difficilia pulcherrima haberi ſolent, nobis ipſi blandiamur, ac ſtudiis induſtriaéque noſtræ plus æquo tribuamus. Verùm id ita eſſe res ipſa docebit, atque apertè, vt ſpero, perſpicuéque docebit. Quare agite, Auditores optimi; dum de politioris literaturæ difficultates diſſero, hoc eſt quanta ſiue linguarum cognitione, ſiue authorum omnium ſtudio ac doctrinarum varietate, ſiue reconditarum rerum lectione, ſiue dicẽdi ſcribendíque exercitatione, contineatur, oſtendo; adeſte animis, méque pro incredibili benignitate veſtra ad finem vſque dicentem attendite: ſpero enim fore, vt facilè intelligatis, paríque conſenſione ſtatuatis, me nihil gratiæ, nihil ſtudijs induſtriaéque noſtræ, ſed veritati omnia tribuere: nec labores commendare noſtros, aut nobis ipſos blandiri, ſed potiùs in tam graui ac perdifficili munere noſtri imbecillitatem ingenij inſcientiámque pertimeſcere.

timeſcere,

timeſcere. Tametſi, cum oſtendero huius doctrinæ poſſeſſionem arduo in loco eſſe collocatam, nec ſine ingenti labore comparari poſſe, efficiam quoque ac demonſtrabo, tum iucunditatis atque honeſtatis eſſe pleniſſimam, tum clariſſima humanæ vitæ præſidia, pulcherrimáque animi ornamenta, continere.

Iam itaque ponite vobis ante oculos, Auditores optimi, pulcherrimum Doctrinarum quaſi Chorum, ac ſingularum munus officiúmque perpendite: intelligetis enim reliquas doctrinas certis finibus circumſcriptas eſſe, ac ſingulas definitum tueri munus: cum tamen noſtra hæc pluribus ex artibus ſtudiiſque conflata ſit, ac nullius definitæ regionis terminis ſepta teneatur. Quapropter verſantur quidem Dialectici in magna artis ſubtilitate, ac celeres quidam in eis requiruntur animorum motus, fateor: præſertim verò ſi perſpicua miniméque fallentia præcepta tradere ac perfectæ ſcientiæ vias oſtendere velint. Acerrimo quoque ingenio is exiſtat oportet, qui Naturæ ſubtilitatem rimetur ac phyſicas rationes tradat. Egregia etiam illius eſſe debet ſcientia, teſtatáque induſtria, qui Medicinam non ſine laude profiteri cupiat. Nobilis itē in eo doctrina eniteat neceſſe eſt, qui ſiue peritus Geometra, ſiue Aſtrologus non indoctus, ſiue Arithmeticus, ſiue Muſicus non inſuauis, habendus ſit. Excellens quoque in eo ſapientia iudiciúmque depoſcitur, qui tanquam Oraculum cæteris præpoſitus ſit, vt conſulentibus de iure reſpondeat. Sed & præclara ineſſe illi debet prudentia, qui ad moralem ciuilémque ſcientiam informet alios, & de vitæ officiis præcipiat cum dignitate. Magna denique vis ingenii in eo requiritur, qui ſtudeat altiſsimarum cauſarum ſapientiæ; ac ſiue vnis humani ingenii præſidiis, ſiue diuinæ lucis auxilio fultus, diuina omnia contempletur. Veruntamen iſtarum doctrinarum ſtudia & munera certis finibus circumſcripta ſunt, ſéque ipſa per ſe tuentur ſingula. At verò qui ſtudia profitetur Humanitatis, huic curricula multiplicium ſermonum ingredienda ſunt, nullûmque diſciplinæ genus, nulla ingenuo viro digna cognitio, non attingenda; denique quemadmodum huius oratio ex multarum magnarúmque artium cognitione effloreſcat oportet, ita etiam perpetuos pro ijs labores ſubeat neceſſe eſt.

At enim dicuntur iſta quidem a vobis, atque in gymnaſiis veſtris diſsipantur alacriter; quin etiam, vt eſt facilè Athenienſes Athenis laudare, inter politioris literaturæ viros non dicuntur ſolùm ac magnificè prædicantur, ſed creduntur etiam. Verùm apud eos, quibus reliquarum doctrinarum ſtudia in ore vigent, atque adeò conquieſcunt in ſinu ipſo, verſantur in magna obſcuritate dubitatione. Quapropter niſi rationibus, iiſque grauiſsimis, docueris tuum iſtud ſtudium tot tantarúmque artium ac doctrinarum cognitionem poſtulare, nos ſanè interim nullam tibi authoritatem ac fidem adiungendam putamus.

Ergo quoniam rationes poſtulatis, rationibus agam, ſícque agam Illuſtriſsimi ac ſapientiſsimi Proceres, vt alios iudices nullos mihi appellandos, ſed rem totam iudicio, integritati, ſapientiæque veſtræ committendam cenſeam. Ac primùm quidem mitto, Auditores, quæ ſe ſe nobis primo loco obiiciunt, Grammaticorum quaſi ſpinas atque dumeta, quæ innumera ſunt illa quidem, & diſſenſionibus opinionúmque varietate pleniſsima. Et tamen cum philoſopho ac cæteris omnibus, qui orationi munditiam & elegantiam non profitentur, ea plerunque diſſimulare, ſæpè etiam contemnere liceat, a nobis ne minima illorum pars ſine crimine prætermitti poteſt, Quin etiam iſtiuſmodi tricæ atq; moleſtiæ, niſi barbarè & inquinatè loqui velimus, & quam profitemur artem prodere, vſque adeò curioſè ſunt nobis conquirendæ omnes ac diſcutiendæ, ſed quid, dico diſcutiendæ? immo verò deuorandæ, vt vel hoc vno Humanitatis ſtudia laborioſiſſima ſint iudicanda. Taceo deinde Proſodiæ rationes ac ſyllabarum numeros & dimenſiones, quæ immenſi penè operis ſunt atque laboris. Cum enim facilè accidere poſſit, vt plurimarum vocum numero ignorato, verba interdum, ſiue ſoluta illa ſint, ſiue certis numeris adſtricta, præpoſterè pronuncientur & inconditè, ac ſummatim non ad numerum cadant, profectò ſpiſſæ huiuſmodi minutiſſimaéque offenſiones diuturno ſtudio ac labore ſuperandæ ſunt atque obterendæ omnes: niſi tamē aut riſum mouere, aut barbari imperitique haberi, interdúmque etiam ſybilis explodi velimus. Prætereo quoque interim Græcæ linguæ intelligentiam. Vt enim liberalis eruditio ac diſciplina ſine græcis literis iacet; ita

græcarum literarum cognitio ardua ac ſexcentis difficultatibus impedita eſt. Hæc inquam omnia libenter prætereo, Auditores, quæ etſi magna ſunt ac difficilia, & niſi ex ſcientiſſimo magiſtro excipiantur, ætas propè omnis in illis ſit conterenda, ad maiora tamen atque auditu iucundiora mea feſtinat oratio.

Atque, vt de Poëtarum cognitione dicam prius, quæ ſine dubio noſtri huius ſtudii propria eſt, quis obſecro politiores literas diguſtauit vnquam, qui non facilè animaduerterit Poëtas latiſſimum nobis laboris campum obijcere? Conuertite quæſo animum Auditores, ad græcorum latinorúmque Poëtarum multitudinem, recolite ingentem illorum varietatem, euoluite cogitatione apologos, ænigmata, fabulas, ac reconditas omnes variíſque inuolucris tectas eorum præceptiones & ſenſa; atque ex prima hac laborum noſtrorum ingreſſione de cæteris conjecturam facite. Mihi ſanè, dum lyrici, qui ſanè varij ſunt, occurrunt ante alios, dum Lyricos excipiunt Comici, Comicis ſuccedunt Tragici, Tragicos Epici longo ordine conſequuntur, non tam placidiſſimum Muſarum Chorum, quàm inſtructiſſimam Athletarum aciem, intueri videor: nec tam ad animum exhilarandum oblectandúmque, quàm ad decertandũ, ac vario difficilíque certamine dimicandum, vocari. Huc accedit quod quemadmodum Poëtæ nunquam non peruolutandi ſunt in noſtro hoc ſtudio, ita etiam poëmata ſæpe facienda ac pangenda carmina quæ cum per ſe omnia, tum maximè ob incredibilem ſtyli artificiíque diſſimilitudinem, ſummam induſtriam multiplicémque laborem a nobis deſiderant. Vt omittam eodem tempore prouidendum eſſe diligenter, vt dum ſiue fabulam cum hiſtoria temperamus eloquentiáue reſpergimus, ſiue poëtica ornamenta oratorijs, tanquam coloribus purpuram, aut vmbris lumina admiſcemus, nec ſqualidum appareat Poëma atque a communi dicendi genere minimè abhorrens: nec fucata & picta euadat oratio, ac numeris quàm decet aſtrictior. Cum enim multa ſæpè ad Poëſim ex hiſtoria & eloquentia, ad eloquentiam verò ex Poëſi non pauca, ſint referenda; difficile profectò eſt ſine ſumma quadam induſtria & vigilantia modum ſeruare in omnibus, ita ut nec popularem Oratorũ vbertatem, ſiue etiam hiſtoriæ verecundiam, referat poëma, nec Poëtarum coloribus ac pigmentis nimis interdum coloretur oratio.

Iam verò hiſtoriæ, quam diu noctúque verſare, quam ſcribere, quam explicare huius artis eſt & facultatis, quis difficultates, atque labores non pertimeſcat? dies me deficiat Auditores, ſi vel mediocrem aliquam eorum partem non dicam orando explicare, ſed numerando percenſere velim. Etenim non annales ſolùm & commentarij, quorum tamen infinita eſt moles; euoluendi ſunt; ſed ſæpè etiam theatra diſpicienda, columnæ, arcus, ſigna quoque & lapides, icones ac ſimulacra, publicæ tabulæ, antiquitates ac monumenta omnia: quin eluuionum exuſtionúmque veluti exuuias ruináſque ipſas inſpicere atque æſtimare neceſſe eſt. Qua etiam in re, quoniam temporum notatio atque ordo, præcipuus haberi ſolet hiſtoriæ cuſtos, ſæculorum ætatúmque dignoſcenda ſeries: Olympiades ac luſtra tenenda omnia: denique annorum quaſi filum cuſtodiendum perpetuò ac retinendum. Qua ſanè re quid laborioſius excogitari poſſit aut difficilius, non ſatis video: cum præſertim in Græcorum Olympiadis ac Romanorum conſulibus & faſtis non aberrare, aut Hebræorum antiquitates & annales cum Græcis, Græcos cum Latinis coniungere, id verò operoſiſſimum ſit ac propemodum infinitum. Nam duriſſimus labor atque improbus quem Doctor Humanitatis impenſiſſimè omnium impendere ſolet varijs hiſtoriarum, quin doctrinarum multarum, codicibus conferendis, vt edacis temporis obſiſtat iniurijs, atque immortale bellum cum mortalitate gerat, maior ſanè eſt quàm æſtimari aut coniectura informari poſſit.

Sed iam video in hac contentione pulcherrima virum humanitate politum vix dum è carceribus exiſſe, cum ob curriculi aſperitatem accliuitatémque viarum maiore pulueris ac ſudoris vi perfuſus cernitur, quàm pleríque alij ſuo fermè decurſo ſpatio. Ita fit, vt quamuis non pauca percenſuerim de illius magnitudine facultatis, tot tamen ſuperſint ac tanta, vt mihi quodammodo videar a calce ad carceres reuocari. Sed veſtra nimirum in me attentè audiendo benignitas, quæ hucuſque prouexit Orationem meam, eadem (vt ſpero) mihi præſto erit laboranti: nec tanquam fluctibus ac tempeſtate obrui ac iactari ſinet; ſed tranquillum in portum inuehet, & in tu-

to fœliciter collocabit. Ad inſtitutum itaque redeo. Iam enim expectatis, opinor, vt quoniam expoſui quas ſiue Poëtæ ſiue Hiſtorici difficultates creant ſtudijs noſtris, eas quoque recenſeam quas iiſdem parit Orator. Ergo minimè dubium eſſe poteſt, quin ſiue ingentes ſint & graues, ſiue multiplices ac variæ. cum enim linguæ volubilitas inanis ſit ac penitus irridenda, niſi ex pulcherrimarũ rerum cognitione manet ac redundet Oratio, Philoſophiam prope omnem is complectatur oportet, qui ad eloquentiæ laudem aſpiret. Illa, illa enim, eſt humanæ ſapientiæ fons: illa laudandarum artium procreatrix & quaſi parens: illa denique benefactorum benéque dictorum omnium magiſtra optima. Ex Philoſophia itaque ſic hauriet priùs Orator, vt de temperantia, de animi magnitudine, de fide, de omni virtutis genere; de gloria item, de pace, de honeſtate ac patriæ charitate grauiter & copioſè diſputate poſſit. ſic ſanè eam Philoſophiæ partem, quæ ad mores ac vitam pertinet, egregiè callear neceſſe eſt. Tum verò, quoniam ſæpè fit vt ſiue ad Maiorum pietatem auitámque Religionem retinendam cohortãdi ſint ciues, ſiue ad ſanctimoniam beataéque vitæ ſtudium & cupiditatem excitandi, interdûmque etiam inflammandi ad vitam ipſam aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes fortiter profundendam, profectò Oratori diuina ſtudia, Chriſtianaéque vitæ officia & inſtituta, non modò prætereunda non erunt, ſed quantum occupatio vitæ patitur excolenda. Nam cum de communi hominum iure, de priuatis gentium legibus, de æquitate ac iuſtitia vniuerſa, ſæpè incidat diſputandi locus, nemo eſt qui non videat hæc non poſſe ſine iactura aliqua ignorari. Quanquam neque his finibus, etſi latiſſimis, Oratoris occupatio ac laborum moles & magnitudo continetur. Huic enim, vt interim auditorum mentes vel excitare, vel ſedare, denique prout ratio poſtulat commouere valeat, animorum affectiones & motus, quot quot Natura homini inſeruit ac tribuit, ſunt pernoſcendi: eâdem de cauſa gentium ætatúmque omnium mores propenſionéſque perueſtigandæ: tum verò quibus quiſque impulſionibus & incitamentis pertentari ac tanquam machinis expugnati poſſit explorandum. Huic etiam cognoſcenda eſt totius antiquitatis memoria & exemplorum quaſi ſylua debet eſſe ſubiecta: huic lepos quidam ſermonis vrbanitáſque paranda, qua tanquam ſale reſpergatur oratio: eidem memoria diligenter exercenda, atque inuentarum rerum cuſtodiæ, quaſi excubiæ quædam, perpetuò adhibenda. Quid plura? cum ad hæc omnia ſeſe diligenter parauerit, exercuerit, inſtruxerit, noui adhuc laborum fluctus ſe ſe obijciunt. Etenim quemadmodum Optimi Imperatoris laudem minimè meretur ille qui ſtrenuiſſimis delectis militibus, aciem non rectè inſtruere & ad extremam vſque dimicationem regere valeat; ſic non parũ ab Oratoris laude abeſſet, qui tot tantiſque inuentis atque paratis. éadem pari diligentia collocare, atque ad finem egregiè ſapientérque referre, ignoraret. Quapropter quæ inuenta fuerint, hæc ſuo quæque loco diſponenda erunt & collocanda: tum idoneo verborum ſententiarúmque delectu quaſi veſtienda; nec veſtienda ſolùm, ſed perpolienda, ornanda, illuſtranda. Ad extremum ſic pronuncianda erunt, vt motus, geſtus, vultus, totius denique corporis moderatio, ac vocis ſonus & conſormatio, præſeſerat dignitatem. Quæ ſanè omnia ingentes ſiue ingenij ac Naturæ, ſiue Artis atque doctrinæ, ſiue vſus exercitationiſque, copias præſidiáque requirunt. Vt propterea ſummus labor, innumeræ difficultates, immenſus moleſtiarum cumulus, impendeat Otatori.

Hi ſunt Auditores ornatiſſimi, qui ex oratorijs ſpatijs ad Humanitatis ſtudia redndant laborum fluctus. Qui tamen ne hîc quidem conſiſtunt: ſed nouis adhuc acceſſionibus cumulantur, noua incrementa ſuſcipiunt. Dum enim propoſito ſibi curriculo peragrato conquieſcit Orator, nos ad nouos labores eóſque Aethna graniores reuocamur. Siquidem in tanta artis magnitudine & varietate conceditur tandem Oratori, vt eam Philoſophiæ partem quæ in contemplatione poſita eſt, bona cum venia prætermittat. At iis qui doctrinam tradunt Humanitatis, nulla propè in re tyrones eſſe licet ac rudes: nullius ingenuæ Artis ieiunos: nulla in diſciplina hoſpites ac peregrinos. Nam vt omittam ei, qui ſoluta oratione ſiue carmine, non frigidè & oſcitanter, ſed ornatè, copioſè atque intelligenter in primis, ſcribere aliquid velit; ex reconditis Philoſophorum fontibus haurienda eſſe permulta; profectò Humanitatis Doctor niſi Philoſophiam vniuerſam perceperit animo, in authoribus explicandis

candis dubitatione ſæpenumero æſtuabit, & tanquam in ſalebris nō ſine rubore paſſim hærebit. Sed de hac re paulò poſt vberiùs & opportuniùs. Nunc porrò vt nonnulla me inuidia liberem, aliò compellenda eſt oratio noſtra. Etenim permultos audire mihi videor atque oculis penè ipſis intueri, qui vehementer nobis repugnent; atque vt præclarum hoc induſtriæ ac dignitatis argumentum in ſuam laudem conuertant, artem illi ſuam & facultatem eſſe dictitent, quæ præ cæteris difficillimum aditum habeat. Quamobrem obiurgabit me Philoſophus, quaſi illius gloriæ exiſtimationiſque inuideam: interdictò mecum contendet Iuriſconſultus, quòd in alienæ laudis ſegetem irruam: vrgebunt quoque Medici, quaſi varios ac diuturnos præclaræ artis labores non æquo animo æſtimem: id ipſum clamabunt artifices nonnulli iique induſtrij in primis ac naui. Verùm is præ cæteris reclamabit, qui ad rerum diuinarū contemplationem incumbit; omninóque pugnabit iuſto mihi ſacramento ſecum contendere non licere. Ita demum cum ſingulæ artes propemodum & facultates in nos impetum fecerint, tum verò vniuerſæ grauiſſimum nobis bellum intendent.

Ego verò Auditores, etſi iſtorum conatus aduerſariorum non ſperno, quin mihi, eorum ſiue multitudinem, ſiue authoritatem, ſiue robur intuenti, non mediocriter timendum eſſe intelligo; veruntamen inde mirificè recreor, quòd cum iuſtiſſimam cauſam tuear, tanquam è ſuperiore loco mihi ſit decertandum. Quapropter nō grauatè, immo alacri animo, pugnam inſtituam. Quòd ſi Aduerſarij vſque adeò multi ſunt ac varii, vt mihi in præſentia propter temporis anguſtias omnibus obuiam procedere, & cum ſingulis congredi nō liceat; illud ſaltem curabo, vt cum robuſtiſſimis ſtatim fortiſſimíſque congrediar. Quanquam cum iis ipſis ſic interim congrediar ac decertabo, vt quo telo fortaſſe robuſtiſſimos quoſque deuicero, eodem proſternam debiliores ac fundam. Ita demum (niſi me ſpes fallit) vno eodémque tempore de omnibus victoriam reportabimus.

Nunc itaque Philoſophi ante alios, ſi placet, prodeant in medium, & quos in philoſophico puluere ſuſtinent ingentes labores, quáſque ad philoſophiæ metam contendentes, offendunt ſalebras, referant ex ordine omnes & patefaciant. At verò prodeunt illi, Auditores; & ad ſuam cauſam tuendam egregiè ſanè inſtructi atque parati. Ac primùm quidem moleſtias commemorant atque labores, qui in Græcæ linguæ ſtudio exhauriendi ſunt, antequam penetrales Philoſophiæ ſedes peruadere liceat, ac pulcherrimam illius faciem propiùs intueri: has enim moleſtias cum magnitudine & grauitate tum numero & varietate ingentes eſſe dictitant ac propemodum infinitas. Quid multa? hoc vno labore plurimos a Philoſophiæ ſtudiis deterreri affirmant: multos etiam in medijs ſpatijs debilitari ac frangi. Ipſe verò, Viri Ornatiſſimi, etſi nō eos contemno aut reprehendo, qui ſine græcis literis Philoſophiam attingunt, attamen quoniam a Græcis ingenuas diſciplinas omnes ac Philoſophiam in primis habemus, libentiſſimè aduerſariis concedo Græcam linguam iis tenendam eſſe, qui nobiles in Philoſophia progreſſus habere, atque ad abditos illius focos penetrare, cupiūt. Quin etiam illud quoque iis liberaliter concedo, Græcam linguam multi laboris ac ſudoris eſſe: atque innumeras pro illa moleſtias eſſe perferendas. Sed tamen hoc ipſum eſt quod Humanitatis ſtudium reddit longè arduum; hoc vnde labores noſtri Philoſophiæ labores longo ſuperant interuallo. Siquidem Philoſophis Philoſophi legendi ſunt, qui minimè omnium Græcæ linguæ varietatem ſectantur, & ad Poëtarum, Oratorúmque maieſtatem aſſurgūt, quin demiſſa pedeſtríque oratione ſcribunt, atque vnum fermè idémque dicendi genus, hoc eſt ſimplex & æquabile, conſectantur. Contra verò qui nauant operam Humanitati, iis ſanè, etſi Philoſophi quoque tractandi ſunt, in primis tamen legendi ſunt Oratores: verſandum cum Hiſtoricis; ad Poëtas frequentiſſimè diuertendum: nullum denique ſcripturæ genus non euoluendum ac terendum eſt. quo fit vt incredibilis quædam ſcriptorum varietas ac miræ diſſimilitudinis authores tibi occurrant, qui non dictione ſolùm ac ſtylo, ſed verbis ipſis atque vniuerſo dicendi genere, inter ſe diſſideant. Sic tandem cum Græcos Oratores perlegeris, ad hiſtoricos hoſpes adhuc accedas: cúmque hiſtoricos diu multúmque tractaueris, in Poëtas incurras, qui aliena quaſi lingua locuti videantur. Sed quid Oratores ab hiſtoricis, hiſtoricos a Poëtis diſtinguo, cum ſæpiſſimè ipſorum ſiue oratorum ſiue hiſtoricorum tanta ſit in dicendo diſſimilitudo atque varietas, vt

nouam

Digitized by Google

nouam ſemper maioréinque induſtriam a nobis efflagitent? Nam de Græcis Poëtis nihil attinet dicere: horum enim tanta eſt licentia taliſque varietas, vt nouum quiſque propriúmque dicendi genus videatur adinueniſſe; inſueta loquendi ratione, noua denique lingua ceciniſſe. Vt mihi quidem in hanc rem etiã atque etiam intuenti, Doctores Humanitatis laborare ſemper, ac perpetua quaſi ventorum varietate mariſque tempeſtate iactari: Philoſophi contra ſecundis ſemper ventis pacatóque mari vti, ac placidiſſimè nauigare videantur.

At iam & ſentiunt, vt video, & fatentur Aduerſarij maiorem nobis difficultatem, q̃ ſibi impendere ex Græcarũ literarũ ſtudiis: ac ſi quæ ex huiuſmodi difficultate paratur laus, hanc nobis integrã concedunt & largiuntur. Verùm non demittunt idcirco animũ, ſed nouã ſubinde comparãtes machinã, pugnam inſtaurãt alacriores. Nam cũ Philoſophus (inquiunt iſti) ſenſuum adminiculis veritatem ſibi indagandam proponat, mirum eſt quot quantíque ſint ei labores interim perferendi, ſiue ſenſuum imbecillitatem ſpectes, ſiue veritatis ipſius obſcuritatem. nam ſi ſenſus ſpectes, ſunt ij tardi nuncij, impuri fontes, infidi ſatellites, imperiti Magiſtri, riuuli perexigui ac deſides adminiſtri: quin ſæpè etiam non tam rerum verarum ſpectatores, quàm fictarum molitores; nec tam ad veritatem duces quàm ad falſitatem. Quod ſi veritatem ipſam perpendas, vix vnquam certi quicquam ſtatui, aut conſtanter definiri poſſe videtur: ſunt enim abſtruſa ferè omnia & inuoluta: tenebris omnia & dubitationum caligine circumfuſa: denique cum veris tanta ſimilitudine permiſta ſunt falſa, vt nulla propemodum occurrat veritatis dignoſcendæ & conſtituendæ ratio. Vt proinde non immeritò Anaxagoras nihil percipi aut teneri poſſe diceret, ac iurè Democritus exclamaret, Veritatem in profundo eſſe demerſam. Hæc iſti, vt quam ex difficultate laudem parare cœpimus, hanc veluti è manibus, ſi Deo placet, nobis extorqueant, ac ſibi propè vindicent vniuerſam. Sed non ſinam, Auditores, non feram, non patiar: immo verò pro ea tuenda & retinenda ad extremum vſque ſpiritum decertabo. Sint itaque anguſti ſenſus ac tardi: nec tam veritatis quàm opinionis, ſæpè etiam falſitatis adminiſtri: ſit etiam abſtruſa veritas ac tenebris circumfuſa; quin etiam, vt liberaliùs cum iſtis agam, animi quoque ſint ad contemplandum imbecilli, dum in hoc corporis gurguſtio tenentur incluſi: veruntamen id totum laborum noſtrorum magnitudinem declarat, & hanc ipſam eruditionem commendat. nam cur obſecro παιδείαν Græci, Latini eruditionem doctrinámque, appellarunt noſtra hæc ſtudia humanitatis, niſi quia artes omnes ac facultates, quæ ad doctrinam eruditionémque pertinent, his ſtudiis continentur? cur item ingenuæ diſciplinæ, cur ſapientiæ curricula, cur ſtudia, cur literæ nuncupantur, niſi quòd vniuerſam ingenui viri ſcientiam, diſciplinam, ornatum continent, & quicquid ad hominem liberaliter inſtituendum, perpoliendũ, omni denique virtutis ac ſapientiæ genere imbuendum cumulandúmque pertinet, id totum ſuppeditat cultus ac tractatio Humanitatis? Nónne fortaſſe M. Tullius, quo neglecto, negliguntur Humanitatis ſtudia, tota hac doctrinæ varietate refertus eſt? Euoluite obſecro libros de Natura Deorum & de Diuinatione: legite quæ tum de Vniuerſitate, tum de Fato conſcripſit, percurrite Academicas quæſtiones ac Tuſculanas Diſputationes & (ne conſecter omnia) in pulcherrimum Scipionis Somnium mentem cogitationémque defigite: atque intelligetis horum lectionem cum liberalem eruditionẽ omnem ac mediocrẽ ſaltem Philoſophiæ vniuerſæ cognitionem requirere: tum ſæpè etiam ne hac quidem contentam eſſe: ſed perfectam quandam & abſolutam phyſiologiæ ac reconditiſſimarum artium notitiam poſtulare. Nam Plato, quem elegantiæ, vrbanitatis, eloquentiæ, Humanitatis ipſius ſiue fontem ſiue Magiſtrum meritò appellaueris, ſine quo noſtra hæc ſtudia in ſqualore ac ſitu iacerent, è cuius ſpatijs (vt multa complectar paucis) extitit noſter Cicero, difficile eſt iudicare an eloquentia magis excellat quàm ſapientia, diſputandi ſuauitate quàm ſubtilitate, orationis vbertate & copia, quàm doctrinæ magnitudine & varietate. Vel certè hæc omnia ſic miſcuit ac temperauit, vt iurè dicendi ſimul intelligendíque grauiſſimus author habeatur: & mortales omnes quotquot eloquentiæ doctrinaéque laude floruerunt, dicendi virtute ac ſapientiæ gloria ſuperaſſe iudicetur. Iam me dies vóxque deficiat, Auditores, ſi ex mediis Poëtarum, Oratorum, Hiſtoricorum monumentis varia proferre velim quæ ſine Mathematicis Phyſicíſque doctrinis, & (vt ſemel

mel

mel dicam) ſine vniuerſo Philoſophiæ ſtudio, explicari aut intelligi nullo modo poſſunt. Quibus ſanè fir vr qui in publicis gentium Gymnaſijs politiorem literarum tradunt, ac doctrinam profitentur Humanitatis, ijs onerandum complendúmque ſit pectus plurimarum maximarúmque rerum ſcientia & vbertate: veriſſiméque dici poſſit, cæteros in pulcherrimo hoc diſciplinarum theatro eos imitari atque referre, qui ſiue lucta pugnant ſiue diſco; aut ſaltu curſúue, vel etiam cæſtu decertant. at verò Oratorem, ac multò magis Humanitatis eruditioniſque Doctorem, πένταθλον eſſe debere; quique niſi vniuerſo quaſi certaminis genere valeat, ac Diophontem illum imitetur de quo Poëta,

Ἴσθμια καὶ πυθοῖ Διοφῶν ὁ φίλωνος ἐνίκα
Ἅλμα, ποδωκείην, δίσκον, ἄκοντα, πάλην.

vix ac ne vix quidem vllam muneris partem cum dignitate valeat ſuſtinere.

Quæ cum ita ſint, iam licebit animaduertere facultatem hanc noſtram ne diuinæ quidem ſapientiæ concedere, cum de labore agitur. Nam ſi de dignitate ſit ſermo, ſi præſtantia, ſi nobilitas reputetur, ſilent ac libenter ſilenr noſtra hæc ſtudia, & cum ijs etiam diſciplinæ reliquæ conticeſcunr. Sunt enim humanæ doctrinæ curricula ingenii: diuinæ, meta: illæ, gradus: hæ, apex atque faſtigium: veſtibula illæ, hæ ſacrarium, illæ adminiſtræ & ancillæ, hæ ſummum obtinent principatum. Quid plura? vbi diuinæ ſapientiæ maieſtas occurrit, ne ſapiẽtiæ quidem nomen tribuere audemus humanis doctrinis: ſed diuinæ id totum libentiſſimè concedimus ac reſeruamus. Sed tamen ſi labor (vt dicebam) ſi difficultas, ſi ſudor, expendatur, Ars hæc noſtra laborioſiſſima haberi & dici vult, ac diuinis ſtudiis non æquari ſolùm, ſed paulò etiam anteferri: idque tum propter illius muneris amplitudinẽ, ac nullis finibus circumſcriptam varietatem: tum maximè quòd hanc ipſi inuenîmus, diſcimus, comparamus: illam fermè diuinitus accepimus, hauſimus, expreſſimus. At enim, vide quid ſtatuas. licet enim non a nobis inuenta ſit cœleſtis hæc ſapientia, ſed accepta diuinitus, noſtrarum tamen partium eſt illam tum aduerſus Chriſtiani nominis hoſtes, nefarióſque Catholicæ veritatis proditores, tueri ac propugnare; tum inter fideles ipſos tanquam ſtirpem optimam & generoſam ſatu excolere & propagare; tum inter fideles ipſos tanquam ſtirpem optimam & generoſam ſatu excolere & propagare. pro quare dici vix poteſt, quàm graues labores ſuſtinendi ſint. ſunt enim primùm ſacroſancta vtriuſque fœderis decreta diligenter peruolutanda: ad quæ, niſi Hebraicæ & Græcæ linguæ ſcientia inſtructus acceſſeris, rerum diuinarum ſtudioſus haberi quidem poteris, at perfectus Magiſter ac Doctor eſſe non poteris. Tum verò notandæ ſunt quas ab Apoſtolis & Maioribus noſtris per manus quaſi traditas accepimus præceptiones, quibúſcum Eccleſiæ Conciliorúmque ſanctiones, ac Iuris Pontificii leges iungendæ ſunt. Sed & ſanctorum Patrum ſcripta legenda, ac magna etiam & aſſiduitate & cautione legenda: ſimúlque ſacri ſcholarũ Doctores euoluendi, qui ſi non obruunt multitudine, at certè mirificè fatigant ingenia ſubtilitate rerum. Ad hæc, cum authoritas Philoſophorum non ſemper ſpernenda ſit, nec contemnendæ rationes, Philoſophia percipienda eſt vniuerſa. Ad extremùm quoniam ſæpè etiam proferre & excitare teſtes oportet veritatis, ad Hiſtoricos non modò ſacros, verùm etiam profanos eſt diuertendum. Quæ ſanè omnia incredibilis oneris ſunt ac laboris.

Ego verò Auditores, non modò fateor, ſed profiteor, iſthæc ei tenenda eſſe propè omnia, qui vniuerſam Theologiæ rationem intelligenter tradere, & cum dignitate tueri velit: præſertim verò, ſi, quoniam variæ nobis cum Hebræis, cum Græcis nonnullis multæ, cum Hæreticis plurimæ, cum profanis Philoſophis propemodum infinitæ, intercedunt diſſenſiones & controuerſiæ, omnibus, quod profectum Theologum decet, ſatisfaciendum ſit. Sed non idcirco demitto animum aut contraho: quin mihi ipſe gratulor, tam ingentem iſtos ſuorum laborum molem nobis obiicere: vt ſi noſtram maiorem eſſe oſtendero, cæteræ quoque artes & facultates, quibus ſine vlla dubitatione minor impendet labor, hanc nobis laudem tanquam iuſtiſſimum patrimonium relinquant. Sint itaque Hebraicæ literæ Theologo perdiſcendæ, cum tamen, vt hoc liberaliter concedamus, ad ſtudia Humanitatis nihil pertineant; attamen Hebraicæ literæ vſque adeò ſimplices ſunt & explicatæ, ita ornamenta propè omnia varietatémque refugiũt, denique tam ſedatè fluunt & æquabiliter, vt trimeſtri

ſeruè

Digitized by Google

trimeſtri fermè ſtudio contentæ ſint. Quapropter plures a nobis extorquent annos minutiſſimæ quædam latini ſermonis offenſiones ac ſalebræ, quàm Hebraicæ literæ a Theologo menſes requirant. Iam verò de Græcis literis nihil attinet dicere: Theologo enim, perinde ac de Philoſopho dicebamus, vnica eáque plana ſatis ac ſimplex, addiſcenda eſt lingua: nobis permultæ, atque illæ arduæ vndique & inuolutæ. Ex quo fit vt Theologo quadrimeſtræ ſtudium abundè, nobis vix quadrienij labor, ſufficiat.

At iam faceſſat linguarum occupatio: rerum ipſarum difficultates ac momenta expendamus. Expendamus. Ac primùm, mea quidem ſententia, non eius qui rerum diuinarum excolit ſtudia, proprium eſt hiſtoriam conſcribere: ſed eruditionis eſt hoc totum & Humanitatis, quocirca dum annalibus conficiendis, hiſtorijs conſcribēdis, temporibus ac rebus propè omnibus digerendis, magnam laborum partem tranſmittit eruditionis ſtudioſus, bona cum omnium venia ab hoc onere abſtinet Theologus. At enim cum omnium venia ab hoc onere abſtinet Theologus. At enim hiſtoriæ ſcriptio veſtra ſit: vſus certè atque tractatio vobis eſt nobiſcum communis. Ego verò ne iſtud quidem omnino conceſſerim. Nam Theologus, ſi quando ab ipſis diuinorum oraculorum hiſtorijs digreditur & attingit alienas, eas quaſi per tranſennam attingit, ac tanquam de via ad illas diuertit, at nobis ad hiſtorias data opera ac toto pectore incumbendum: illi hiſtoria eſt veluti relaxatio, nobis labor & occupatio: ille, ſi quando labitur in hiſtoria, veniam inuenit facilè, cum id non propriæ artis ignoratione peccet, ſed alienæ: nobis, quoniam propria tractamus, in hiſtoria labi turpiſſimum. Iam vero Philoſophiæ ſtudium nos ſanè illi non inuidemus: ſed potiùs, quoniam ipſi etiam ad noſtrum munus cum dignitate obeundum, eruditum Philoſophorum pul uerem attingere, & ſpatia illa peragrare cogimur, tam nobili laborum conſorti gratulamur. Quod ſi ſorte plus paulò ſibi in philoſophicis ſpatijs immorandum ſit, concedet, opinor, vt hoc ipſi hiſtoriæ occupationibus compenſemus: cum præſertim docuerim non annales modò & commentaria, ſed ſexcenta alia vetuſtatis monumenta eſſe nobis peruolutanda, in quibus animum tanquam arcum ſumma contentione intendere, & quaſi Herculeos labores exantlare opus ſit. At quid tandem dum iſti longo ordine proferunt decreta Conciliorum, ſanctiones Pontificum, Patrum tum veterum tum recentiorum lucubrationes, quáſque a Maioribus veluti per manus conſignatas accepimus præceptiones? Iſta ſanè ſi euoluunt, ac diligenter euoluunt, rectè quidem illi faciunt & ſapienter: & quia magnum ac nobile exequuntur opus, magnā quoque laudem merentur. Sed tamen ipſe, quoniam non de doctrinæ præſtantia certamus in præſenti, ſed de laboris magnitudine, exponam ingenuè quod ſentio. Ergo ſint Conciliorum decreta Theologo pertractanda: tametſi, quoniam magna illorum pars obſoleuit vetuſtate, multa etiam ad ſacros Canones deriuata ſunt ac meliore digeſta ordine, erit quidem illorum lectio frugiſera, ſed non omni ex parte neceſſaria. Sint etiam illi Pontificij iuris colenda ſtudia, licet, cum plurimæ illius ſanctiones ſint fori ac iudiciorum, quibus iuris interpres non Theologus præeſt, haud eſt quod in omnibus immoremur. Suas quoque opportunitates habeat ſcholaſticorum, quos appellant, Doctorum tractatio: præſertim verò quia ex diuinorum oraculorum Patrúmque monumentis ſic lumen accipiunt, vt eadem frequenter dilucident & illuſtrent, quamuis hac etiam in re diligenter cauendum eſſet, vt ſi quæ ſunt curioſa potiùs quàm fructuoſa (ſunt autem apud aliquos curioſa plurima) ijs non facilè tempus tribueretur. nam qui ad nauſam diſputant multa quę tota ſunt Phyſici, atque vtinam interdum non Dialectici, ij mihi ocio abuti videntur & literis. Denique (vt de ijs taceam quæ a Maioribus tanquam per manus tranſmiſſa ſunt præcepta: hæc enim cum Pōtificijs fermè & ſacroſanctis Eccleſiæ inſtitutis permiſta ſunt) ſit neceſſaria ſanctorum Patrum lectio, accuratiſſiméque colatur. veriſſimè enim dici poteſt, vbi ſcholarum cautiones illis adhibueris, ac debitum ordinem in ijſdem ſernaueris, eorum lectionem frugiſeram eſſe totam, atque ad benè beatéque viuendum momentum habere maximum. Veruntamen non ſpinoſis ille Grammaticorū tricis angitur paſſim; non perpetuis proſodiæ ſcrupulis & offenſionibus cruciatur: non ſi linguæ deſit celeritas, ſi vox ſit exilis aut aſpera, ſi latera non benè firma, ſi vultus reconditus ac triſtis: non ſi crudior ſit, ſi pituita redundet pectus aut bile, ſi geſtus, motus, habitus, vniuerſa corporis conſormatio indecora videri poſſit & inuenuſta. abeſt etiam & quam

longiſſimè

longiſſimè abeſt a laborioſis Oratoriæ palæſtræ exercitationibus, in quibus dum Naturam excolere aut eius vitia corrigere, vel certè minuere, ſtudet Orator, tædio (mihi credite) conficitur atque moleſtijs. Denique, vt omittam memoriæ fragilitatem, faſtidioſas audientium aures & ſatietatem, & eorum qui obloquuntur murmur ac ſtrepitus (quibus enim ad tenue elimanda ſunt verba, ac politè elegantérque dicendum, ijs iſthæc incredibiliter officiunt) non ille varia Orationis expectatione ſolicitatur, cuius euentus non tam ex rebus quàm ex auditorum pendet arbitrio: nec ſi impauidus appareat, impudens habetur & inuerecundus: aut ſi exalbeſcat & perturbetur, fractus animo iudicatur & debilitatus metu. Ad extremùm non in condendo carmine ſummas illas Poetarum offendit anguſtias, nec numeris, modis, dictioni, moribus, ſabulæ animo illigatur, vnde a ſenſibus abalienari; ne dicam furere ac de recto mentis ſtatù deturbari videatur. Quare, ne multis agam, ſic ſtatuo. Theologiæ doctrinam æquabilem eſſe ferè totam ſuique perſimilem, ac temperatam in primis & moderatã. Eloquentiæ, Poeſis, totiúſque Humanitatis ſtudium eſſe longè varium ac ſui paſſim diſſimile, totum denique actuoſum laboribúſque refertum. Vt proinde Theologus, niſi alienæ laudi inuideat; hunc nobisglorioſi laboris campum relinquere debeat pacatiſſimum: ſecúmque cæteræ artes omnes ac facultates, quoniam nõ eas alit inuidia ſed æmulatio, eandem nobis laudem libenti animo concedere, ac veluti faſces tantiſper ſubmittere debeant.

Sed ſint iſta: & quem tãti æſtimare & cupidè adamare videris laboris campus, tuus ſit totus, ſed quorſum euadent, quem ad finem ſeſe iactabunt, ingentes labores iſti? num operoſam hanc doctrinarum molem vna difficultate terminabis? nulla ex tot tantíſque laboribus ad vitam exiſtent commoda, nullum decus, nulla laus, nulla voluptas? Immo verò honeſta voluptas, vera laus, clarum decus, & quæ tot tantóſque labores decent, ornamenta & commoda conſequuntur. De quibus vtinam nouus mihi dies ad dicendum illuceſceret, vt nec ego aures veſtras oratione mea fatigatas ac ſatietate defeſſas offenderem: nec vos me voce, lateribus, corpore toto debilitatum ac penè fractum audiretis. Sed aliàs forſitan illuceſcet, atque opportunior dabitur locus, vnde in nouum hunc campum noua excurrat oratio. Interim tamen, ne promiſſis omnino defuiſſe videar, illud ſaltem dicam, liberalia hæc Humanitatis ſtudia, hominem (quod vel me tacente clamat nomen ipſum) morum aſperitate atque barbarie, immo verò mutarum propè animãtium ſtupiditate & feritate, exuere: turpi ocio, fœdiſſimis cupiditatibus ſubtrahere, atque ad honeſtatem, ad gloriam, ad patriæ amorem & charitatem incendere. Denique, vt eius qui Humanitatis ſtudijs atque ornamentis ad miraculum propè excelluit, vocibus vel potiùs excellenti præconio rem concludam, hæc ſtudia adoleſcentiam alunt, ſenectutem oblectant, res ſecundas ornant, aduerſis perfugium ac ſolatium præbent, delectant domi, non impediunt foris, pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.

Quæ cum ita ſint, vos Ornatiſſimi Adoleſcentes, quibus ad præclariſſima Humanitatis ſtudia incumbendum eſt hoc tempore, videte obſecro quæ doctrinarum curricula ingreſſi eſtis. Indiſertus enim ac mediocris ingenij & literaturæ Doctor (neque enim id inficiari audeo) vobis obtigit in præſentia, atque vtinam non humilis & imperitus. Sed non vos mediocris induſtriæ ſtudia, aut humiles ingenij exercitationes ſuſcipitis, ſed longè maximas. Non imperitus eſt Princeps Peripateticorum Ariſtoteles cuius Poëtice aut etiam libri de arte dicendi vobis hoc anno audiendi ſunt: nec indeſertus Plato ac M. Tullius, quos ad eloquentiæ metam contendentes vnà cum Ariſtotele magiſtros ac duces habebitis: ſed omnium, quotquot poſt homines natos eloquentiæ laude floruerunt, facilè principes. Non vos humili loco atque obſcuris parentibus orti eſtis, ſed honeſtiſſimis, plerique etiam vrbe; familia, maioribus, Italia tota celeberrimis. Sed nec humilis eſt Academia ad quam tanquam ad optimarum artium mercaturam confluxiſtis, ſed omnibus doctrinæ atque ingenij ornamentis nobilitata: nec denique anguſta Vrbs aut ingloria, ad quam veniſtis: ſed quæ antiquitate, Religione, nobilitate, &, vt dicam paucis, virtutis ac ſapientiæ magnitudine, cum clariſſimis Italiæ atque adeò totius Orbis terræ Ciuitatibus contendit ac certat. Ad extremum, quod me in tam arduo ac perdifficili munere mirificè ſuſtẽtat ac recreat, non vulgarem ipſi de vobis ſpem concitaſtis, aut humilem apud veſtrum amantiſſi-

mos ſuſtinetis expectationem, ſed grauem, ſed nobilem, ſed magnificã. Vos enim inſtituit Vrbs hæc florentiſſima, ſiue potiùs hoc doctrinæ ac ſapientiæ domicilium, hęc optimarum artium procreatrix, vos inquam ſuum decus, optimæ ſpei adoleſcentes, inſtituit ac fingit ad ornatiſſimas Iuriſprudentiæ laureas, ad præturas, ad ampliſſimos magiſtratus, ad clariſſimarum vrbium ac prouinciarum adminiſtrationem & gubernacula; in primis verò ad ſacroſancta Chriſtianæ Reipublicæ munera, ad thyaram, ad purpuram, ad ipſam Petri authoritatem ac ſedem. Nam quæ obſecro ætate hac noſtra aut ſuperiore, extitit Academia, quæ plures & illuſtriores ſiue Apoſtolicæ Sedis Oratores, ſiue Antiſtites, Legatos, Cardinales, Pontifices maximos Chriſtianæ Reipublicæ genuerit ac procrearit? Ergo agite lectiſſimi Adoleſcentes, quoniam vobis tandem ex hoc Gymnaſio tanquam ex palæſtra in theatrum prodituris, ingenti expectationi ſatisfaciendum eſſe cernitis; colligite vos ipſos, ac celſo alacríque animo omnes Gymnaſij huius exercitationíſque labores exantlandos ſuſcipite, omninóque efficite, vt eos induſtriæ, ac diligentiæ veſtræ fructus reportetis, quos tum ampliſſima eloquẽtiæ totiúſque Humanitatis ſtudia, Authorum quibus operam daturi eſtis præſtantia, Patriæ, maiorum, familiaéque ſplendor, ingenij veſtri ac liberalis educationis exiſtimatio poſtulat; tum laudatiſſimæ huius Academiæ ſapientia ac religioſiſſimæ Vrbis maieſtas, ſed in primis Veneta Reſpublica & Ciuitas, hoc eſt Pacis Iuſtitiaéque domicilium, Italiæ firmamentum, Europæ decus, Terrarum Orbis miraculum, Chriſtianæ Religionis præſidium & ornamentum, ſuo iure à vobis depoſcit ac flagitat.

D I X I.

ORATIO TERTIA.

De Græcæ linguæ dignitate atque inprimis de Platonicæ Orationis prę∫tantia.

Cum Plato Græcè eſſet explicandus.

Habita Mediolani No. Non. Anno CIC. IↃ. XCII.

CVm mecum ipſe cogitarẽ, Ornatiſſimi Auditores, quid potiſſimùm dicendo afferre poſſem, quod ad veſtros animos in Gręcarum literarum ſtudia excitandos atque adeò inflammandos valeret: tot mihi támque illuſtria ſeſe offerebant argumenta, vt breui hoc tempore, quod mihi hoc dicendum tribuitur, vix ea ſtrictim curſímque indicari, nedum explicatè ac dilucidè, vt par eſſet, tractari poſſe animaduerterẽ. Etenim illud mihi primũ veniebat in mentẽ, quod tum per ſe maximũ eſt ac planè diuinum; tum præſertim apud Chriſtianum virum plurimũ valeat, vehementérque illum permoueat, neceſſe eſt. Sed quid hoc tandẽ? Illud, illud Auditores, quod nobis oĩbus ante oculos verſari ſemper deberet, nimirum Chriſtianę Religionis inſtituta, rerum diuinarum myſteria, beatæ deniq; vitæ cognitionẽ, eiuſdémq. adipiſcendæ rationem, ita cũ Græcis literis eſſe coniuncta, vt ex ijs vel maximè petenda atque haurienda ſint. Nã etſi magna diuinorum librorum pars Hebraicis literis cõtinetur: quæ tamen ſanctiſſimi illi liberatoris noſtri præcones ac nuncij præcipuas benè beatéq. viuendi tradentes vias, tum ſcriptis mãdarunt ipſi, tũ per adminiſtros & comites promulgarunt, ea ſanè Græcis monumentis conſignata ſunt.. Vt ſi Apoſtolorũ Principem Chriſtíque Vicarium, ſi diuinum illud Eccleſiæ oraculum Paulum, ſi cæteros denique omnes, quos aut Chriſtus Ipſe aut Apoſtolorum primarij inſtituerunt, ac præcipuos Eccleſiæ magiſtros eſſe voluerunt, propiùs audire velis, ad Græca volumina confugiendum ſit. Vt interim omittam in tanta Hebraicarum literarum ſiue ignoratione, ſiue obſcuritate, ea etiam quæ Hebraicè in diuinis libris extant, a Græcis interpretibus, quos Septuaginta vocant, eſſe petenda. Idque vel Apoſtolorum ipſorum exẽplo, qui ſæpiſſimè veteris Teſtamenti fœderíſue myſteria Græcæ interpretationis vſurpationibus propalare ac cõfirmare voluerũt. Et quãquã ſacræ Hebręorũ antiquitates inſtitutionéſque, quas Latinis literis conſignatas fidelis Chriſti cœtus

amplectitur, non minùs illuſtres ſint, quàm quæ apud Græcos interpretũ illorũ induſtria, vel ante Chriſtum natum vigere cœperunt: immo verò authoritate fortaſſe illis præſtent, ad hæreticorum tamen faſtum audaciámque frangendam, ad eorundem fraudes ac mendacia detegenda, ad Græcos ipſos, qui tot tantíſque in rebus à nobis plerique diſsident, explodendos, atque (vt rem complectar breui) ad diuinorum oraculorum ſenſa Eccleſiaéque decreta vberiùs explicanúſque tum intelligenda & docenda, tum etiam tuenda & confirmanda, profectò ad Hebræos Græcóſque codices, tanquam ad firmiſsima Chriſtianæ Religionis pręſidia tutiſsimáſque arces, perfugiendum eſt. Nam Clementes, Athanaſios, Baſilios, Nazianzenos, Chryſoſtomos, ſexcentos denique Eccleſię Patres, quicquid ſcribunt, & Gręcè ſcribere, & Gręca ſacrorum Bibliorum monumenta ſectantes ſcribere, ac proinde Græci ſermonis cognitionem eámq; non vulgarem in nobis requirere, clarius eſt quàm vt in pręſentia commemorandum ſit.

Sed & illud pręterea mihi veniebat in mentem, quo neſcio equidem an excogitari quicquam poſsit, quod ſiue ad florentiſsimam hanc ętatem veſtram, ſiue ad ingenuos mores ac ſtudia, ſiue ad nobilitatem ac laudem, ſiue demum ad totius gentis veſtrę decus, opulentiſsimaéque huius Vrbis ſplendorem magis interſit. Nam quemadmodum ſatis oſtenſum eſt Gręcis literis rerum diuinarum notitiam contineri vel maximè, ita etiam veriſsimè affirmari poteſt Græcas literas humanę ſapientię officinam eſſe ac bonarum artium fontem. Nam quid quęſo egregium in Rhetorum ſcholis audiri poteſt, quid à Dialecticis tradi, quid de Medicina diſputari, quid de Aſtrorum curſu cœleſtiúmque orbium conuerſionibus pręcipi, quid ex Geometria cæteríſque Mathematicis diſciplinis afferri, quid de rerum cauſis totiúſque Naturę ratione atque in primis de humana Natura doceri, quid de vita & moribus ſiue ad mores hominum excolendos, ſiue ad familiam Rempublicámve informandam ac temperandam perdiſci, quid ex veterum monumentis, de variis gentium inſtitutis ac moribus repeti, déque regnis, vrbibus, rebúſque toto terrarũ orbe geſtis cognoſci, quid deniq; cœlo, terra maríque (vt eſt apud M. Tulliũ) in contemplationem vocari, quod ex Gręcorũ fontibus hauſtum ac deriuatũ non ſit?

Hęc inquam ante alia ſeſe mihi offerebant Auditores ad Gręcarum litterarum commendationem: quę ſanè vt apertè ſatis declarant, ampliſsimas diuinarum humanarúmq. doctrinarũ opes tanquã in magnificentiſsimo theſauro in eis eſſe recõditas, ita oĩum hoĩum animos, veſtróſq. in primis Auditores ornatiſsimi, qui cũ humanis diſciplinis Chriſtianam pietatẽ ſemper coniũxiſtis, ac verę ſapientię ſtudia toto pectore amplectenda vobis duxiſtis, mirũ in modũ allicere atq; inflãmare deberent.

Sed vt adhuc pauca quędam ex multis attingam, quę de huius linguę dignitate atque præſtantia dici poſſent, quis latiſſimos illius ambitus & incrementa non admiretur? Etenim hæc vna tam longè ac latè dominata eſt, vt Aſiam penè totam, Aegyptum maximámque Europæ partem obtinuerit: pluréſque prouincias inſtituerit ac regna, quàm cæteræ linguæ omnes, quæ tamen innumeræ propè fuerũt, aut gentibus aut ciuitatibus inſeruirent,

Denique nec tantum Alcides telluris obiuit,
Fixerit æripidem ceruam licet, aut Erymanthi
Placarit nemora, & Ceruam tremifecerit arcu,
Quantum mellifluo peruaſit Græcia cantu.

Quid plura? quod de Orphei lyra Amphioníſque teſtudine vulgauit Antiquitas tigres illis & feras mitigaſſe, ſaxa ipſa dimouiſſe, & ad Vrbium mœnia conſtruenda traduxiſſe; id potiore iure de Græca lingua, atque Attica præſertim, affirmes quæ Scythas ipſos præ ferocéſque populos allicere potuit. Id quod fœlicia in primis reddit hæc ſæcula, in quibus reliquam Europam ſic permeauit omnem, vt non modò Itali & Galli, verùm etiam inferiores Sarmatæ, Germani, Belgæ, Luſitani, Hiſpani, iam colant, ita vt quæ cum lacte illam haurire gentes nequeunt, ſaltem viros doctos habeant qui ſingulari ſtudio & vigilantia eam, etſi terra maríque fugientem complexit ſint. Sic ſanè *——vltra Garamantas & Indos*
Extra annis Soliſque vias vbi maximus Atlas
Axim humero torquet ſtellis ardentibus aptum,

Quaque

Quáque Polus paſcit diuiſos orbe Britannos,
Protulit Imperium ——

Ex quo illud etiam eſt conſecutum, vt quamplurimæ nationes, quæ longiſſimis terrarum ſpatijs diſiunctæ eſſent à Græcis, ingenio autem, moribus, omnibus denique vitæ ſtudijs ab illis penitus diſcreparent, ſermonis quo conueniebant ope, optimarum artium rationem, Reipublicæ œconomiam, omnia demum belli paciſque officia cum illis communicare poſſent, plurimáque etiam viciſſim accipere. Nam quid ego dicam, dum Græcam linguam, vna eádemque cum ſit, tanta varietate diſtinctam atque excultam eſſe animaduerto? Equidem (vt verè fatear) dum nonnihil ab Atticis Dorij, à Dorijs Aeoles, ab ijs alij ſubinde atque alij admirabili quadam varietate ac dexteritate diſſident; magnúmque interim linguarum numerum videntur párere, antiquiſſimum illum (vt poëtæ verbis tametſi mentientis vtar) parentem rerum Oceanum mihi videor intueri: qui ob ingentem aquarum vim & copiã ex vaſtis Occidentis ſpatijs ad varias continentis oras cum penetraſſet, terráſque interim mira varietate diſtinxiſſet, varia quoque nomina ſortitus eſt.

Jam verò Auditores, quis neget Latinam linguam, quam propter miram ſuauitatem & grauitatem tantopere extollere ſolemus, ex Græcis fontibus magna ex parte fluxiſſe; inde incrementa in dies magis ac magis accepiſſe: inde orationis lumina atque ornamenta cum ipſa rerum cognitione hauſiſſe: inde neruos, vt ita dicam, ac vires ſpiritúſque illos fuiſſe conſecutam, vnde ex natiuis, quibus concludebatur, anguſtijs vindicata, tantopere exultat atque triumphat? Italicam verò quam tam accuratè colimus, ac meritò quidem colimus, quis cum Græca conferre poſſit, quin intelligat huius fontibus non modò fuiſſe irrigatam, verùm etiam non exigua ex parte auctam & propagatam? Vt ſi Latina lingua Italicæ quaſi mater celebretur; Græca certè non illius nouerca cenſenda ſit, ſed in nutricis optimæ habenda loco. Quamobrem vt Græcam linguam Latinæ atque Italicæ, quas propè vnas quotidianis ſermonibus vſurpamus, parentem & altricem fateamur neceſſe eſt: ita etiam ad eloquentiæ liberaliúmque artium ſtudia intelligenter & cum vtilitate tractanda, eandem amplectamur, ac toto pectore amplectamur oportet. Neque verò vllo modo prætermittenda eſt illius antiquitas, ex qua tanta illi fieri ſolet auctoritatis ac dignitatis acceſſio. Et ſanè ſi quis rem totam reputet diligenter, intelliget profectò ex ijs linguis, quæ in præſentia aut vernaculo ſermone teruntur, aut antiquorum monumentis conſignatæ ſeruantur, vix vnam aut alteram reperiri, cui Græca concedat vetuſtate: innumeras verò eſſe, quibus antiquitatis ſplendore ac dignitate plurimũ antecellat. Quapropter vbi ſanctiſſimos Moyſis libros horúmque perſimiles enumeraueris, & vt dicam breui, Hebræam Chaldæámque linguam exceperis, nullam aliam hoc tempore ſiue legere, ſiue audire poſsis, quæ Heſiodi, Homeri, Herodoti, Hippocratis & huiuſmodi aliorum, qui Græcè ſcripſerunt monumentis, non facilè concedat palmam antiquitatis.

Age verò quod tam magnificum orationis genus reperiri vnquam poterit, quod incredibilem illius ſuauitatem paremque grauitatem complecti poſſit pro dignitate? quæ tanta vbertas ingenij ad mirabilem eius varietatem & copiam extollet? qua ſermonis elegantia dicendíque virtute ſummum ipſius leporem, cæteráque ornamenta ac lumina commendabimus? quæ denique tanta eſſe poterit dicendi vis atque facultas, quæ ſingularem illius vim & efficacitatem exprimere valeat? Maiora, maiora inquam ſunt iſta Auditores, quàm vt ab eloquentiſsimo oratore nedum indiſerto atque adeò infante præſtari poſsint. ſiue enim Græcos poëtas ſpectes, ſiue hiſtoricos intuearis, ſiue ad Oratores te conferas, ſiue Medicos perlegas, ſiue Phyſicos Philoſophóſque demum omnes euoluas ac tractes, admirationi quidem ampliſsimum ſemper ſupereſſe locum, laudationi verò parem facultatem deeſſe, inuenies.

O eximium itaque Græcæ linguæ decus: o admirabilem pulchritudinem ac dignitatem. Equidem Auditores cum attentiùs in hanc ego facultatem defigo animum, clariſsimam mihi pulcherrimámque Reginam intueri videor, cuius ſolium Græciæ ac Muſæ lætiſsimæ circumſtent omnes: à cuius latere magiſtra vitæ Philoſophia nunquam diſcedat; quam liberalium artium chorus perpetuò conſecte-

tur; in cuius ſinu humanæ diuinaéque diſciplinæ omnes fœliciſſimè conquieſcant. Et quiſquam erit qui Reginæ huius dignitatem ſpernere, maieſtatémque violare non dubitabit? immo verò permulti erunt, qui quod Gellianus ille Turnus conqueritur ἄμουσοι καὶ ἀθεώρητοι ad Philoſophos aut Iuriſconſultos diuertentes, huius deinde famam criminari ac dilacerare nunquam deſiſtent? Qui tamen quàm magno in errore verſentur, declarauit ſanè ac luculenter declarauit L. Craſſus: hoc eſt, ſi M. Tullio credimus, vir omni doctrinarum genere ac ſapientiæ laude ornatiſſimus: hic eſt enim qui antequam non modò Philoſophiam, ſed ius ciuile attingeret atque iudicia, ſic ſe ſe Græcæ linguæ ſtudio tradidit ac quaſi deuouit, nullam vt aliam linguam noſſe videretur. Declarauit grauiſſimus laudatiſſimúſque ille ſenator, qui ſapientis nomen inuenit Cato: cum vel in extrema ſenectute innumeris licet Reipub. negotijs diſtrictus ac iam penè obrutus, huius cupiditate linguæ flagraret. Declarauit ipſe M. Tullius, qui vnus inſtar omnium eſſe poſſet: hic enim vſque adeò impensè ac cupidè hanc adamauit & coluit; vt non modò Græcè & ſcriberet & loqueretur, ſed quaſi alter Demoſthenes Græcorum diſertiſſimis eius eloquentiam admirantibus, Græcè declamaret Athenis.

Sed à Romanis Græcæ linguæ cultoribus, quos adhuc enumerare poſſem plurimos, is meam ad ſe orationem conuertit ac rapit, quem ſanctiſſimus idémque doctiſſimus Vir Auguſtinus ob inauditam rerum ſcientiam tam multis magniſque laudibus cumulauit: Hieronymum dico, Auditores. Hic enim cum haſce literas, neſcio quo caſu, ſed duro illo tamen & peracerbo, ſqualore obſitas ac propè extinctas cerneret, vix dici poſſet quàm magno cum Eccleſiæ bono eas coluerit & illuſtrauerit; ac quàm multis tum precibus tum orationibus, vt idem Chriſtiani viri facerent, eáſque cum Latinis Hebraiciſque coniungerent, poſtularit.

Idipſum, vt domeſtica quibus abundatis exempla, vobis ſuggeram Auditores præclariſſimi, præſtitit Iohannes Andreas Alciatus, clariſſimum illud Mediolani atque adeò totius Italiæ lumen & ornamentum. Hic enim Græcarum literarum, quibus impensè admodum operam dederat, præſidijs inſtructus, ſic ſanè ius ciuile tractauit & coluit, vt nullam propè Iuriſprudentiæ partem reliquerit, quam non aliquo pacto magna ſui cum dignitate ac Iuriſconſultorum vtilitate non dilucidarit & illuſtrarit. Taceo autem Philaltæos, Cardanos atque alios huius ordinis viros multos; qui ſumma item cum laude in Græcis verſati ſunt. Prætereo etiam Franciſcum Vicomercatum Philoſophum ſanè illuſtrem ac nobilem; qui Ariſtotelis monumenta tum de Græcis ſcitè admodum intelligentérque conuertit: tum egregijs Commentarijs ac magno cum Latinorum Philoſophorum bono ſuíque laude abdita illorum ſenſa explicauit. Mitto etiam M. Antonium Maioragium oratorem ſummum ac philoſophum non vulgarem; cuius in Ariſtotele ſiue interpretando ſiue explanando non eruditionem ſolùm atque doctrinam, verùm etiam copiam & eloquentiam ſumma cum iucunditate, ſpero etiam vtilitate deguſtaſtis aliquando. Hos inquam in præſentia prætereo libenter omnes, quòd iam ad alia mea feſtinet oratio. Tametſi ne interim vir Græcarum literarum ſcientiſſimus debita laude fraudetur, Zachariam Calmum non præteribo; quem & plerique veſtrũ de facie facilè norunt: & ipſe propter incredibilem eius doctrinam & comitatem mirificè colo. Ergo hic eſt qui à prima ætate Græcis ſtudijs delectatus; atque adeo mirificè excultus, tantum ſubinde in diſciplinis profecit, vt quamuis inter primarios ſeculi huius Medicos enumeretur, in humanioribus tamen literis Rhetoricaéque facultate, hiſtorijs præterea ac notitia antiquitatis, denique in morali facultate philoſophiáque vniuerſa ad miraculum propè excellat. Quid plura? Quod de Democrito ſapientiſſimo illo ſene olim vulgauit antiquitas, qui cum phyſica, moralia, mathematica liberaliúmque diſciplinarum omnium rationem calleret, in philoſophia πένταθλος ſiue quinquertio dictus eſt; id verò Mediolani in Caimo veſtro, vel potiùs noſtro, egregiè renouatum repreſentatúmque mihi videor intueri.

Sed quoniam & nos de huius linguæ præſtantia atque vtilitate pro temporis ratione ſatis multa diximus: & ipſa per ſe illuſtrior eſt & nobilior quàm vt ad ingenuos clariſſimóſque adoleſcentes in eius ſtudium inflammandos noſtra egeat commen-

Digitized by Google

commendatione; reliquum eſt vt paucis aperiam quem potiſſimùm authotem delegerim, vt tandem aliquando illius & pulchritudinem cernere, & ſructus colligere, & ſuauitatem deguſtare valeamus.

Verum enim verò, ſi non humilem & vulgarem, ſed ſummum præcipuúmque dicendi atque intelligendi magiſtrum audire cupiamus, quem tandem authorem deligendum eſſe cenſebimus niſi Platonem? Nullum nullum alium mihi credite Auditores. etenim ſi elegantiam ac dicendi facultatem expetitis (expetere autem illam hac ætate debetis vel maximè) Plato vnus eſt, cuius vel acerrimus eius æmulator idémque grauiſſimus dicendi artifex Ariſtoteles diſertæ orationis palmam concedendam eſſe confeſſus eſt. Is vnus ex cuius officina cum alij oratores multi, tum præſertim Demoſthenes ac M. Tullius ideſt clariſſima Græcæ ac Romanæ eloquentiæ lumina prodiere. Is cuius eloquentiam idem M. Tullius ſummis extollit laudibus atque vnicè admiratur & colit: vt ſe etiam quicquid in facultate dicendi eſſet adeptus, totum ferè ex Platonis ſontibus manſiſſe, ac quantus eſſet ex Academiæ ſpatijs extitiſſe, glorietur. Is denique cuius vnius ſermone loquuturum fuiſſe Iouem exiſtimauit antiquitas, ſi humana voce loqui voluiſſet. Quamobrem inauditam quandam venuſtatem ac leporem, miram ſententiarum varietatem ac grauitatem, aureũ orationis flumen in eo cernes, nullúmque verborum ornamentum, nullam dicendi virtutem, fingi poſſe intelliges, cuius imago in illis dialogis non adumbrata modò, ſed omnibus expreſſa coloribus perfectáque cernatur. Vt futuram illius in dicendo ſuauitatem nec temerè apes tantò ante mõſtrarint, quæ paruulo, dum adhuc in cunis eſſet, in labellis conſediſſe dicuntur: nec caſu vaticinatus ſit Socrates, dum nouellum cygnum, quem ſibi è gremio ſublimem euolare, dulciſſimiſque cantibus aërem complere per viſum inſpexerat, Platonem puerum, qui ſibi per idem tempus à patre commendatus fuerat, deſignare affirmauit: nec denique ſine maxima ratione Athenienſis populus vel vnam eandémque Platonis orationem quotannis recitari vellet: tanta omnium aures atque animos ſuauitate & admiratione compleuerat.

Quod ſi cum dicendi facultate ſapientiam vobis coniungendam eſſe exiſtimatis, nihilque ex ſcholis hauriendum quod illa careat, quid obſecro Platonis doctrina atque ſapientia (Theologos ſemper excipiò) ſublimius inueniri poteſt? Hic enim eſt qui de Philoſophia ſemper cogitans tot terrarum ſpatia peragrauit: tot maria traiecit: tot ſapientes adijt ſibique intima familiaritate deuinxit. Is vnus, qui tot annos Academiam illam toto terrarum orbe atque omnibus ſæculis celeberrimam incredibili cum laude moderatus eſt. Is qui Græcorum philoſophiam, Aegyptiorum myſteria ac Barbarorum denique ſapientiam accuratè ac ſplendidè ad ſuos dialogos retulit, eádémque, quod illius fuit ingenium, mirificè auxit & illuſtrauit. Is vnus qui propter ſingularem ingenij ac ſapientiæ vim omnium ad ſe philoſophorum ſtudia mentéſque conuertit: ac quotquot deinde præclarè de philoſophia meriti ſunt, aut æmulos habuit, aut ſectatores. Vt quemadmodum inter innumeros humanæ ſapientiæ negotiatores ipſe vnus diuini nomen inuenit; atque inter mortales philoſophorum Deus eſt appellatus: cæteri verò omnes, qui ab huius familia valdè diſſident, plebeij exiſtimati ſunt; ita eundem maiorum ſplendorem imminuiſſe, æqualium famam obſcuraſſe, poſteris denique principis gloriæ ſpem ademiſſe fatendum ſit. Quamobrem ſuperioribus ſæculis non modò apud egregios philoſophos, verùm etiam apud ſanctiſſimos Religionis noſtræ Patres, &, vt dicam paucis, diuinæ humanæque ſapientiæ ſtudioſos, clarum ſemper auguſtúmque fuit Platonis nomen, adeóque auguſtum & clarum, vt quocunque te vertas, ſcriptorem ferè nullum alicuius nominis inuenias, qui in huius ſcripta tanquam in ſplendidiſsimum ac magnificentiſsimum ſapientiæ theatrum oculos non defigeret. Quare non ſolùm ex huius tanti viri officina ac ſpatiis Ariſtoteles, Demoſthenes, Theophraſtos, Xenocrates, ac procedente ætate, Plotinos, Galenos, Plutarchos atque alios plurimos huius ordinis viros ferè totos extitiſſe, ſed Dionyſium etiam, Iuſtinum, Baſilium, Nazianzenum, Cyrillum atque Auguſtinum perlibenter ad eiuſdem curricula deflexiſſe, vtilitérque in iiſdem verſatos eſſe inuenies. Vt interim Origenem, Philonem, Cæſarienſem, Euſebium, atque alios nonnullos prætercam, quos ex Platone ita pendêre

adeóque illius decreta in deliciis habuiſſe videas, vt nimis fortaſſe Platonica philoſophia delinitos & captos fuiſſe arbitreris. Ergo vt hunc vnum lōgè plures olim quàm aut Ariſtotelem, aut alium quemlibet ſecuti ſunt, & poſt Chriſtum natum, hoc eſt poſtquam veritas depulſis tenebris effulſit hominibus, hunc vnum inter omnes profanos philoſophos, Catholici patres minimè omnium à Chriſtiana veriſsimáque doctrina recedere confitentur. Quin etiam Auguſtinus vir acumine ingenii morúmq; ſanctitate clariſsimus, Platonis libros ad ſacrarum rerum ſcientiam moréſque cōformandos teſtatur eſſe perutiles; neque vllum eſſe ex veteribus, qui ad Chriſtianam pietatem ac veritatem propiùs acceſſerit.

Sed imprudens fortaſſe ſim ego, Auditores ornatiſsimi, qui tam multa de Græcæ linguæ nobilitate ac Platonicæ orationis præſtantia vobiſcum diſſero, quos & iamdiu à multis acceperim erga huiuſmodi ſtudia optimè fuiſſe ſemper affectos: & ex vultu oréque ipſo ſatis in præſentia animaduertam illorum eſſe cupidiſsimos. Nam etſi currentes hortari nunquam obeſſe ſoler, ſæpiſsimè verò prodeſſe, adoleſcentes tamē ita egregiè informatos, adeò præclaris parentibus ortos, tam ingenuè ac liberaliter inſtitutos, florentiſsimaéque ac toto terrarum Orbe celeberrimæ vrbis ciues, & (quod me incredibiliter recreat atque delectat) humani diuiníque cultus ſtudioſos & peramantes, tam multis ad Græcas literas, ideſt, optimarum artium ſeminarium, atque adeò diuinæ humanaéque ſapientiæ theſaurum, amplectendas hortari omnino ſuperuacaneum videri poſſet.

Quapropter, vt finem dicendi faciam, ad craſtinum diem cætera omnia reiiciam, quæ tum de inſtituti mei ratione in docendo, tum de dialogi quem primùm aggreſſuri ſumus, vtilitate & pulchritudine dicenda eſſent. Tantùm addam, me poſteaquā Platonem, ſummum nimirum non linguæ ſolùm & eloquentiæ, verùm etiam animi ac virtutis magiſtrum, interpretandum aggredior, &, ni valdè quidem fallor, præſtantis ingenij optimaéque ſpei auditores nactus ſum, fructus etiam (quod Deus optimus maximus faxit) talibus auditoribus; tantóque authore dignos non deſperare.

DIXI.

ORATIO QVARTA.

In qua breuiſſimè Ariſtotelis Ariſtoteleaeque Rhetoricæ laus attingitur.

Pomeridiano tempore; cum matutino, alteram de Græcæ linguæ præſtantia déque Platone eloquentia laudationem habuiſſet.

Habita Mediolani Non. Nou. Anno CIↃ. IↃ. XCII.

—N*Eque ſemper arcum*
Tendit Apollo

Lubet enim iiſdem vos affari verbis, Auditores ornatiſsimi, quibus politiſsimus ille poëta Lycinium affatur ſuum. Sed quorſum? eò nimirum, vt intelligatis pro œmium expectandum vobis eſſe nullum. Sic enim Apollini, hoc eſt ſagittariorum peritiſsimo, arcum remittere ſæpè licuit, cur mihi Oratorum infantiſsimo orationis cōtentionem remittere non licebit? Quin etiam ſi Craſſo, vt ait Lucilius, in omni vita ſemel riſiſſe ſat fuit; cur mihi ſemel hoc die præluſiſſe, ac de Græcæ linguæ dignitate longè latéque diſputaſſe, non erit ſatis? Ergo ad Ariſtotelis Rhetoricam quaſi in Areopago dicturus ἄνευ προοιμίων καὶ παθῶν, ac ſine vlla circuitione verborum aut inſinuatione aggrediar. Idque eò libentiùs faciam, quòd qui ſingulare ac propè diuinū Ariſtotelis ingenium, incredibilémque ſapientiam declarare dicendo, ſigillatímque admirabilem Ariſtoteleæ Rhetoricæ præſtantiam vtilitatémque oſtendere, ac quàm omnibus numeris abſoluta atq; perfecta ſit, docere conetur, is meridianum quoque Solem oſtendere & commonſtrare conetur. Et ſanè Auditores, licet nihil ferè habeā

quod

quod in magno hoc eximióque Philoſopho ac Rhetore non probem: attamen dum ea quæ de vita & moribus præcepit, attentiùs perlego: aut quæ ad perfectum oratorem effingendū, regiámque eloquentiæ viam patefaciendam ſcripſit, animaduerto, equidem quid ſiue ad ingenium bonis artibus excolendum accōmodatius, ſiue ad humanæ vitæ conſuetudinem iucundius, ſiue ad Rempublicam ornandam illuſtrius & admirabilius fingi aut exoptari poſſit, non ſatis video. Quapropter eximius dicēdi Magiſter atque Orator ſummus Cicero non modò incredibilem dicendi grauitatem ac ſuauitatem admiratur in Ariſtotele; eundémque affirmat aureum fundere orationis flumen, verùm etiam teſtatur, neminem poſt hominum memoriam inuentum eſſe, qui aut illo in rebus inueniendis iudicandíſque acrior fuerit & ſapiētior: aut maiora Rhetoricæ facultati ornamenta adiumentáque ſuppeditarit: aut eloquētiæ præcepta acutiùs aptiúſque explicarit. Quid plura? Is eſt Ariſtoteles, quo ſi M. Tullio credimus, in ſubtili illo ac preſſo dicendi genere nihil limatius, nihil grauius, nihil perfectius vidit vnquam vlla ætas: qui verborum acrimonia, ſententiarum pondere. Atticáque inprimis ſubtilitate Græcis omnibus longè præſtitit: qui demum quæ ad perfectam dicendi artem pertinent, & acutè vidit, & mira dexteritate complexus eſt omnia. Quamobrem perluſtrate Adoleſcentes optimi vniuerſos Ciceronis libros: atque ea præcipuè quæ tam variè & copioſè de dicendi arte conſcripſit, præcepta diligenter euoluite: atque intelligetis, quàm verè illud de ſe ipſo prædicarit, ſuos libros Ariſtoteleam maximè rationem complecti: ſéque Ariſtotelica pigmenta ac lumina in illis conſumpſiſſe ac veluti profudiſſe vniuerſa. & acutè quidem ac ſapienter. intelligebat enim, eum eſſe Peripateticorum Principem, qui quemadmodum in Philoſophiæ ſtudio cæteros facilè omnes, vno fortaſſe Platone excepto, ſuperauerat, ita in hac dicendi Arte ſcriptores omnes quotquot in hoc curriculo verſati eſſent, quam longiſſimo poſt ſe reliquerit interuallo. Quocirca ſi quis æſtimet diligenter præcepta dicendi, & quid quáue arte ac ratione aut Ariſtoteles ſcripſerit aut M. Tullius, ſentiet profectò Ariſtotelem Ciceroni etiam ac proinde omnibus qui poſt homines natos eloquentiæ Artem tradiderunt, longè anteponendum eſſe. Et quidem noſter Cicero cum ſatis ad eloquentiam inſtructus eſſet, ad forenſem vſum ſeſe retulit totū: nec tam alios ſibi hac Arte imbuendos, quàm forum & Curiam frequentandam, ac ſuorum Ciuium aures animóſque dicendi virtute complendos putauit. Itaque in iis ipſis libris, quos exercitationis gratia ſcripſit de ratione dicendi, non tam præcepta tradere, quàm orationis vela pandere, ne dicam eloquentiam oſtentare geſtijt. Contra noſter Author Ariſtoteles. vt enim à Curia forenſíque ſtrepitu alienus fuit, & ad docendum veluti fictus, non mediocrem temporis partem Rhetoricis inſtitutis tradendis atque adoleſcentibus in dicendo exercendis conſumpſit, ita vt cum ingenio mirificè abundaret, atque artem quam diligentiſſimè coleret, mortales omnes in hac quoque ſcribendi docendíque laude ſuperauerit. Vt propterea ne Cicero quidem, hoc eſt Romanæ eloquentiæ Princeps, faſces Ariſtoteli ſubiicere, ac ſummū hunc dicendi intelligendíque magiſtrum ſuſpicere, colere, ac quaſi quendam Rhetorum Deum venerari dubitarit. Sed ne ineptus ſim ego qui contra quam inſtitueram, in Ariſtotelis laudes excurram, ac de via feſſus adhuc matutinóque labore penè confectus, nouum ingrediar ſtudium, iam procemiis omnibus veſtra bona cum venia prætermiſſis, ad ipſum Ariſtoteleæ Rhetoricæ initium accedam. Idque eò maiore alacritate, quòd Ariſtoteles ipſe optimè omnium inter diſputādum elaboratiſſimi ac perfectiſſimi huius operis excellentiam vtilitatémq; vobis ſpectandam proponet: ac me ferè tacente ingenuos animos veſtros vberrimis fructibus honeſtiſſimáque voluptate cumulabit. Sed iam tandem Ariſtotelem, hoc eſt Philoſophum diſertiſſimum Rhetorémque doctiſſimum, atq; orationis ſapientiæque Magiſtrum eximium audiamus, qui de Rhetoricæ vi & natura nos primùm egregiè admonet ac docet.

ORA-

ORATIO QVINTA:

De Hebraicæ ac Græcæ Linguæ ſtudio amplectendo: deque Hebraicę in primis vtilitate atque præſtantia.

Cum Geneſis Hebraicè eſſet explicanda.

Habita Patauij III. Non. Nouemb.

SI quis eſt qui ſecum ipſe reputet Chriſtianæ Reipublicæ calamitates, nec tamen in tanta illarum acerbitate magnopere commoueatur, hunc equidem ſi non diuina luce orbatum, eximio certè pietatis ſtudio priuatum eſſe, nemo (vt arbitror) qui rectè ſentiat, dubitabit. Etenim quis eſt qui Chriſtianam Religionem ſummo Dei beneficio nobis conceſſam, à maioribus noſtris cælè ac piè excultam, à fortiſſimis athletis ſanguine ipſo propagatam, certiſſimis diuinæ ſapientiæ oraculis miraculíſque firmatam, iuſtitiæ, fidei, ſanctimoniæ omnium denique virtutum ornamentis expolitam fuiſſe recolat: atque eam his demum temporibus tantopere afflictam ac penè proſtratam iacêre intelligens, non modò acerbiſſimos dolores, ſi vero pietatis ſtudio ducitur, intimis ſenſibus non hauriat, verùm etiam ad eam aliqua ratione leuandam, vitam ipſam profundere non vehementer cupiat? Et quanquam in tot tantáſque calamitates intuenti multa dolenda ſunt, illud tamen vnum, quod ad diuinas ſcripturas attinet, omnium vel maximè dolendum eſt atq; deplorandum. Nam querendum eſt quidem eos qui catholicam fidem profitentur, nouis in dies calumnijs atque impoſturis exagitari: indolendum blanditijs, pollicitationibus, perniciosiſſimis denique artibus ad defectionem ſollicitari: lugendum ferro omníque tormentorum genere vrgeri: acerbiſſimè quoque ferendum ſanctiſſimas Dei aras ac templa vaſtari: ſed totius Religionis arcem occupari, firmamentum euerti, ſacroſanctæ inquam fidei noſtræ volumina diuináque oracula à flagitioſiſſimis hominibus violari, ſed quid dico violari? immo verò ad omnem impietatem, ad omnem libidinem traduci, omníſque improbitatis penè fontem atque originem effici, perennibus lacrymis deplorandum atque ingemiſcendum eſt.

Sed quorſum, dicat aliquis, tot querimoniæ ac lamentationes ſpectant? quorſum tam altè calamitatum noſtrarum repetita oratio? Illuc, illuc, inquam, ſpectant Auditores, vt cum impuriſſimi iſti nefariíque homines, immo verò Diaboli ſatellites atque miniſtri ad ſuas fraudes ac libidines explendas, ad furorem immanitatémque ſaturandam, eò cõfugerint, vt ſacrarum literarum auctoritate ac præſidijs ſuas opiniones ſeu potiùs inſanias firmare conentur, atque ita demum homini voluntatis arbitrium præcidere, ab Eccleſia auctoritatem ac caput diuellere, à Chriſto meritorum virtutem diuinitatémque exterminare, Deo ipſi crudelitatem malorúmque omnium patrocinium affingere, ac ſexcentas huiuſmodi blaſphemias diſſeminare, non dubitarint; vos, vos inquam, quorum ſtudiis atque conatibus Chriſti Eccleſiam nonnihil illuſtrari, afflictámque finitimarum gentium Religionem plurimùm iuuari poſſe ſperatur, ſacroſancta hæc diuinorum Oraculorũ volumina labefactari atque peruerti ne ſinatis. Quin potiùs tenebris quas in dies magis ac magis obducere illis conantur, diſcuſſis, cum eorum ſplendorem ac dignitatem, quantum in vobis eſt, ab omni ſqualore vindicetis, tum fœdiſſima hoſtium ora, conatus, machinas obſtruatis, atque in eorum capita retundatis.

At quid obſecro diurnis nocturníſque vigiliis ac ſtudiis commentamur? quónam aſſiduos labores ſudoréſque intendimus? quid diuturnis exercitationibus concertationibúſque conamur? Nihil nihil profectò aliud, niſi vt tandem aliquando ab hac palæſtra tanquam ex caſtris ad certamen cum immaniſſimis hoſtibus deſcẽdere, ſanctiſſimámque Religionis arcem propugnare atq; ab omni periculo tutari poſſimus. Magna ſunt iſta quidem & illuſtria Auditores, omninóque ingenio veſtro ac nomine digna.

digna. Quid enim eſt quod hæc ornatiſſima Ciuitas, totóque terrarum orbe celeberrima, ad antiquum fidei pietatíſque ſuæ decus vnà cum ſapientiæ palma retinendum atque amplificandum exoptare magis poſſit? quid quod nouis hiſce atque Chriſtianis Athenis iucundius poſſit accidere, dum tam multos non modò ex Græcia, verùm etiam ex Gallia, Germania ac cæteris Tranſalpinis regionibus, quas non planè omnes Italicæ gloriæ ac Romanæ, hoc eſt catholicæ, fidei ſtudioſas eſſe nouimus, ad ſe tanquam ad bonarum artium mercaturam confluere, atque intra hæc tutiſſima ac pacatiſſima mœnia tam libenter verſari animaduertit?

Verùm (vt verè fatear) vnum adhuc in tot tantíſque laboribus atque vigilijs veſtris deſideratur: vnum quod maximè omnium vniuerſas poſſit aduerſariorum fraudes diſſipare, machinas omnes confringere, auguſtiſſima fidei propugnacula ſeruare, aduerſarios ipſos debilitare, proſternere, exterminare. Etenim illud mihi veriſſimè affirmare poſſe videor, cum alia multa fuiſſe ab impuriſſimis iſtis vaferrimi ſerpentis adminiſtris vafrè & callidè excogitata, tum illud in primis, quod non modò vulgarium hominum mentes, ſed eruditorum etiam interdum ac piorum intelligentiam perſtringit, atque ita etiam perſtringit, vt germanam ſanctarum ſcripturarum ſcientiam illi vni (ſi Deo placet) percepiſſe, perceptámq; candidè ac ſanctè omnibus communicare videantur. Nam cum altera ex parte perſenſerint diuina oracula Latinis literis conſignata, ita demum apud omnes vim authoritatémque ſuam firmiùs obtinere, cum Græcis Hebraicíſque, quibus ea primùm exarata ſunt, reſpondeant atque conſentiant: ex altera verò animaduerterint à Catholicis (neſcio quo caſu; ſed duro illo quidem ac pernicioſo) iamdiu Græcas Hebræáſque literas penè contemptas atque deſertas in tetra quadam caligine magnóque ſqualore iacêre: ipſi illarum ſtudium ſibi amplectendum atque in noſtram perniciem conuertendum eſſe iudicantes, firmiſſimum hoc Chriſtianæ Religionis præſidium atque firmamentũ inuaſerunt: hanc muniriſſimam veræ fidei arcem quodammodo occuparunt. Atque ita factum eſt, vt quãuis iudicio arbitrióque ſuo diuina volumina explicent, eorúmq; decreta pro libidine ad fœdiſſimas cupiditates conuertant ac rapiant, nihil denique tam pium, tam religioſum, tam ſanctum inueniant, quod nouis in dies ſomnijs atque portentis non audeant cumulare; veruntamen quia ſeſe ex puriſſimo fonte hauſiſſe, & penetrales ſacrorum myſteriorum ſedes luſtraſſe profitentur & iactant, auguſtiſſima decreta myſteriáq; pandere, ac de tripode (vt ita dicam) oracula fundere videantur. Ex quo etiam turpiſſimum illud execrandúmque facinus eſt conſecutum, quod ijs præcipuè temporibus exerceri, ac non ſine magno noſtrorum dedecore & iactura exerceri, audiuimus. At quod facinus eſt hoc tandem? Illud illud inquam Auditores, quod in hac celeberrima doctiſsimorum virorum corona, in hac florentiſsima bonarum artium palæſtra atque officina, commemorare vix audeo: ſed commemorabo tamen. Etenim eò audaciæ atque adeò inſaniæ iſti proceſſerunt veteratores, vt ſi Catholicus aliquis, qui ſit Græcarum Hebraicarúmque literarum ignarus, de Eccleſia, de fide, de Religione cum illis inſtituat diſputationem, hunc ſtatim cenſorio quodam faſtu ac ſupercilio notent dementiæ, aut etiam ad popularem aurã captandam ſcenicis dicacitatibus irrideant, mordeant, exſibilent, omníque conuiciorum genere inſectentur. Ita quidem Auditores, neminem adeò rerum cognitione ac pietate florentem nanciſcuntur, quem ſi harum linguarum imperitum deprehenderint ac rudem, ſexcentis in catholico, effuſis calumnijs ac maledictis, nebulonis alicuius inſtar viliſsimæ plebis ludum ac ſpectaculum non efficiant. O turpem atque execrandam calliditatem: o deteſtabilem peſtem atque furorem, ſed tamen noſtra etiã culpa ac negligentia (vt parciùs quoque loquar) contracta hæc ſunt ac propagata. Nam qui aliquando Maiorum noſtrorum veſtigia ſectantes ac pulcherrima linguarũ ſtudia, quibus diuina myſteria continentur, retinentes, eadémque cum optimis diſciplinis Theologiáque in primis coniungentes, facilè non huiuſmodi ſolùm fraudes anteuertere, verùm etiam cæteras omnes aduerſariorum machinas deturbare ac demoliri potuimus, ſanctiſsima illa Religionis tuendæ ratione relicta, noſtros ipſi hoſtes noſtris armis in nos ipſos armauimus.

Quæ cum ita ſint, vos pro communi omnium ſalute obſecro, Auditores ornatiſsimi, pro iuſtiſsima catholicæ fidei cauſa obteſtor, vt in præclariſsima hæc lingua-

rum

rum ſtudia toto pectore incumbatis; vt regiam Eccleſiæ tuendæ atque amplificandę viam ſectemini: vt firmiſſima Religionis præſidia recipiatis: fidei arcem propugnetis; Reipublicæ ornamenta tueamini. Id quoque hæc mœnia bonis artibus pietatíque conſtructa atque dicata merum ſi loqui poſſent, ſummis precibus a vobis cōtenderent: id afflictiſſimarum totius penè Eccleſiæ gentium, ſi adeſſent, voces vno ore poſtularent: id denique harum linguarum vtilitas, ſanctitas, amplitudo, maieſtas omni contentione requirit, depoſcit, flagitat, deprecatur.

Nam vt aliquid de vtilitate & præſtantia Hebraicæ linguæ, cuius viæ ac præcepta, Deo bene iuuante, tradenda a nobis ſunt, reliqua oratione attingam; quis ſperet diuinorum ſe oraculorum myſteria illuſtri cognitione percipere poſſe, dum illa ex puriſſimo liquidóque Hebræarum literarum fonte nō modò non hauſerit; ſed ne primoribus quidem labris attigerit ac deguſtarit? Vt enim aquæ ex præruptis manantes ſaxis ita primùm fluunt, vt nitidiſſimi chriſtalli ſpeciem referant: tum verò in riuulos diductæ aliquam perſpicuitatis partem deperdunt; ac longiore poſteà viarum tractu ad torrentes & flumina atque ad mare tandem ipſum decurrētes, ſi nō cœno inquinatæ, priſtino certè nitore ſpoliatæ cernuntur: ita etiam ſacrorum librorum myſteria ſic primùm caſto puróque Hebræorum fontę dimanant, vt ſummus in illis nitor ac decus eluceat: tum verò ad finitima idiomata perducta, aliquam ſplendoris & claritatis partem amittunt: denique ad latinas peregrináſque literas deuoluta, non dicam cœno ac labe, ſed ſumma quadam obſcuritate obruuntur. Vt quemadmodum Sol, etſi nullis ſordibus fœdari poteſt, nullis tenebris è ſua luce dimoueri, noſtris tamen oculis, ſi extra ſplendidiſſimum eius quaſi centrum & rotam ſpectetur, facilè interdū ſqualore obſitus ac tenebris inuolutus apparet; ſic etiam diuina myſteria nulla licet obſcuritate priuari ſua luce poſſint, nulla labe fœdari; attamen extra pulcherrimas ac nitidiſſimas quaſi tabulas, in quibus ea primùm exarari voluit Spiritus ſanctus, tenebricoſa ſeſe offerunt & obſcura.

At enim aliquem mihi, quodammodo audire videor ſententiæ noſtræ refragantē, idque ea ratione poriſſimùm, quòd de profanis decretis meritò quidē affirmari poſſit ſuum illa nitorem ac decus admittere, vbi in alias atque alias linguas translata, natiuo veluti ſolo priuentur; diuinis verò libris, quibus Eccleſia vtitur, aliter contigerit: cum præterquam quod a ſanctiſſimo interprete eodémque linguarum ſcientiſſimo profecti ſunt, vix credi poſſit eos ſine diuini numinis afflatu fuiſſe conuerſos. Verùm (vt breuiter aliquid pro temporis anguſtijs huic reſpōdeam) ſi quis rem paulò ſubtiliùs expendat, animaduertet profectò hæc nullo modo efficere quominùs Hebraicas literas complecti, atque arctiſſimè complecti debeamus. Nam (vt omittam vel ad Latinos ipſos veteris fœderis libros, qui ex Hebraicis magna ex parte expreſſi ſunt, tuendos atque illuſtrandos ſacroſanctæ huius linguæ cognitionem in Eccleſia eſſe pernéceſſariam) quis eſt, qui ſine accurata Hebraicorum voluminum tractatione ſanctiſſima fidei noſtræ decreta dilucidè explicare ac ſuadere Hebræis poſſit? quis prætereà illorum dubitationibus expeditè ſatisfacere valebit, aut innumera propè eorundem mendacia & fraudes intelligenter refellere? Nullus profectò, ſi me audiatis, Auditores. Id ipſum ſæpiſſimè continget, vbi cum Græcis, qui tot tantíſque in rebus a nobis diſſident (quanquam non omnes diſſident) ſit diſſerendum. Si enim latinos ipſi codices, qui a Græcis non rarò diſcrepant, proferamus illi è cōtrario Græcos qui ſine dubio magnæ authoritatis ſunt, opponant ad Hebræos tandem in tanta fluctuatione, veluti ad ſacram anchoram confugiamus neceſſe eſt. Verùm quid de hæreticis dicam, cum ij quoque (vt paulò ante monebam) ad ſua dogmata tuenda, noſtris codicibus ſpretis, Hebraicos obtendere vel importuniſsimè ſoleant, eoſdémque in nos tam pugnaciter interdum vrgeant, vt quamuis turpiſsimè delirent, niſi ab Hebraicarum literarum peritis refelli nullo modo poſsint. Quid quod multa reperiuntur in diuinis literis quæ in ſacroſanctæ huius linguæ vocibus ita ſunt ſita, vt in aliis linguis eorum non modò vetuſtas ac lepos, ſed vis atque ſignificatio, proindéque ſententia integra, interpreti omnino pereat? Nam (vt vnum aut alterum ex multis exemplis proferam) quis vnquam apud Amos, quæ mox ſubiiciam, intelligere poſsit, ſiue Græcè ſiue Latinè illa perlegerit? Quid eſt quod intueris? inquit Deus, כלוב קיץ *caniſtrum pomorum*, reſpondet Propheta. Tum Deus, Venit finis ſuper popu-

Amos c.8 chelub caiz.

lum

lum Iſraël. Quis inquā huius ſententiæ vim ac vaticinationis ſeu prædictionis rationē catz percipere vnquā poſſit, niſi Hebraicè doctus, nouerit poma קיץ, finē קץ dici apud He- chetz bræos; atque ita Deū per vocis ſimilitudinē ex viſis & pomis Iſraëlis finē excidiúmque prædicare? Sed & illud longè præclariſſimum eſt & admirabile, quod de Gedeone legitur. cum enim fortiſſimus his Iſraëlitarum liberator ac vindex in Madianitarum caſtra miſſus fuiſſet a Deo, vt vel ex hoſtium ſermone certiſsimam victoriæ ſuæ prædictionem audiret, ecce tibi Madianitam quendā audit ſic cōmilitoni narrantem הנה חלו' חלמתי והנה צלול לחם. שעורי מתהפך במחנה מדין ויבא האהל ויכהו ויפול ויהפכהו למעל ונפל האהל: *ecce vidi ſomnium: & videbatur mihi quaſi ſubcinericius panis ex hordeo volui, & in caſtra Madiam deſcendere; cúmque perueniſſet ad tabernaculum, percuſſit illud & ſubuertit, & terræ funditùs exæquauit.* Hæc ille: ex quibus ſocius totius exercitus cladem, quæ paulò poſt etiam ſecuta eſt Gedeone ipſo audiente denunciauit. At vnde nam obſecro quáue ratione ductus aut coniectura, id præſentire potuit Ethnicus ille? profectò ipſa ſomnij explicatio acutiùs cernenti in ipſis ſeſe offerebat verbis, ídque iiſdem planè literis retentis & vno aut altero puncto in vniuerſa hac ſententia permutato: nam ſi pro lechem. לחם legas לחם pro שערים verò שערים non amplius extabit [*& ecce ſubcinericius panis ex* lachem. *hordeo voluebatur in caſtra Madian*] ſed, *ecce ſtrepitus belli horrendorum euertens caſtra Ma-* ſeghorim *dian:* quod totum ſtatim accidit: mox enim horrendus ille ſtrepitus turbatum ac la- ſogharim. genarum Gedeonis auditus eſt, quem caſtrorum euerſio eſt conſecuta.

Sed quis præterea (vt ad inſtitutum me referam) Latinos codices aut inter ſe, aut cum Hebraicis diligenter contulit vnquam, qui nō animaduerterit in illis librariorū incuria temporiſque iniuria præpoſterè legi quamplurima? Dies me deficiat Auditores, ſi loca omnia vel deprauata (præſertim ſi cum importunis aduerſarijs agimus qui deprauatos obtendunt codices) vel ſuſpecta, vel denique varijs lectionibus onerata, percenſere velim. Denique vt concedam noſtros libros omnes ferè ab vno eodémque interprete, atque illo ſanè eximio, profectos eſſe, nimirum ab Hieronymo linguarum ſcientiſſimo, atque omnium quotquot eodem munere perſuncti ſunt, doctrina, ingenio, & ſanctitate facilè principe; ſi quis eſt qui poſsit obſcuriſsimos Prophetarum libros aliáque huius generis ſine diligenti Hebraicæ literæ meditatione, non dicam conſtanter percipere ac tenere, aut dilucidè explicare: ſed mediocri quadam cognitione tractare, hunc ego beatiſsimum planè hominem atque diuinum libentiſimè fatebor & prædicabo. Quamobrem ſic ſtatuo: iis qui hoc tempore linguarum cognitione atque Hebraicæ in primis careant, tum ab omnium ferè, aut ſaltem plurimarum, controuerſiarum ac diſſenſionum tractatione abſtinendum eſſe, quæ nobis cum Hebræis, Græcis, hæreticis denique ſchiſmaticíſue intercedunt; tum ne mediocrem quidem diuinarum literarum notitiam ſperandam eſſe: tantum abeſt vt perfectam, ac nobili Theologo dignam, cognitionem aſſequi liceat.

Iam verò prætereo, Auditores, plurimas linguas quarum aliæ antiquis tantùm litterarum monumentis aſſeruantur: aliæ in multarum adhuc gentium ore verſantur, ab hac magna ex parte fluxiſſe: vt ſi hanc calleas, facilem tibi ad illas aditū patefacias, multarúmque gentium artes, mores, ſtudia, antiquitates incredibili cum voluptate atque vtilitate perdiſcas. Taceo ſacroſanctæ huius linguæ pudorem, modeſtiam & caſtimoniā: quæ ſanè talis eſt ac tanta vt cum ſemper exiſtimarim caſta Dei myſteria caſtis eloquijs fuiſſe conſignata: tum eam digniſsimam eſſe cenſeam, qua pudicæ aures veſtræ perſonent, caſti animi imbuantur. Mitto hanc vnam priſcis illis mortalibus ad vſum omnium gentium ac nationum fuiſſe a Deo traditam: vnam in amœniſſimis illis ac voluptuoſis hortis diuina manu conſitis auditam: primam rebus omnibus, ídque vel ſapientiſsimo illarum opifice ac molitore Deo probante, nomina Adamo Authore, impoſuiſſe: ſolam per annos propè mille & octingentos vbique terrarum dominatam eſſe. Sileo etiam hanc vnam, poſteaquam ad frangendam inſignem illam Nembroti ſociorúmque ſuperbiam in duas & ſeptuaginta linguas (tot enim erant eo tempore familiæ) diuinitùs diſpertitus eſt ſermo, in ſanctiſsima Heberi, ex quo etiam Hebraicę nomen inuenit, familia permanſiſſe: & ad Abrahamum dilectámque Deo præter cæteras Iſraëliticam gentem propagatam eſſe: quæ omnia mirificè illius dignitatem ſplendorémque declarant: atque in primis oſtendunt hanc vnam fuiſſe diuinitùs hauſtam, cæteras ex vitiorum

colluuione

colluuione generatas. Hæc inquam omnia atque huiuſmodi alia ſilentio libenter inuoluo, quod ad finem mea feſtinet oratio. Vnúmque interim commemorabo, quod ni magnopere fallor, ad huius linguæ dignitatem ac præſtantiam ſummopere pertinet. Id autem dum breuiter facio, vos pro ſingulari humanitate, qua me hactenus dicentem complexi eſtis, benignè attentéque audiatis.

Inter cætera quæ vetus Græcorum natio ingenioſè, vt erat cupidiſſima gloriæ, ad ſuas laudes illuſtrandas excogitauit: ea quidem aptiſſima ſemper cenſui, quæ de Græcæ linguæ ſplendore ac magnificentia prædicabat. Cum enim mira quadam ſuauitate & grauitate temperata eſſet atque permixta, varijs ſententiarum luminibus floribúſque diſtincta, omnibus orationis coloribus ornamentiſque referta, incredibile eſt, quanta ex hoc quaſi fonte eius gentis gloriæ, gloriæ fieret acceſſio. Qua etiam in re ita ob vnius hominis dicendi laudem ac virtutem in eorum animis ſiue percrebuit exiſtimatio, ſiue exultauit ambitio, vt cum is propter ſapientiæ magnitudinem diuini nomen eſſet adeptus, ob eloquentiæ gloriam huius tantùm oratione Ioui vtendum iudicarent, ſi humana voce vti voluiſſet. & peracutè quidem. Nam, vt nihil dicam hoc tempore de ſumma huius viri ſapientia, tanta in eo erat dicendi facultas & eloquentia, vt omnium ad ſe ſtudia mentéſque conuerteret: omnium aures atque animos incredibili quadam iucunditate atque admiratione compleret. Verùm quæ tandem erit hæc laus, Auditores, ſi cum hebraicæ linguæ præſtantia & gloria comparetur? Hæc enim non quemadmodum illa ab hominibus excogitata eſt & inuenta: ſed a Deo ipſo primis parentibus cum cœleſti illo נשמת חיים vitæ inquam ſpiraculo communicata. Hanc non aliquis dicendi artifex amplificauit, quem mortales ipſi diuinitate donarint: ſed immenſæ huius molis omniúmque gentium artifex ac procreator, qui ſolus perfecta immortalitate gaudet atque diuinitate. Hæc non recentibus quibuſdam atque adeò puerilibus rerum geſtarum memorijs, continetur, vt de græca vel grauiſſimus ille dicendi intelligendíque Magiſter Plato in Aegyptiorum antiquitates intuens fatebatur: ſed vt cum homine, cum cœlo, cum puriſſimis propè mentibus de antiquitate contendit; ita Mundi ipſius incunabula, hominúmque ac gentium propagationem, artium ac diſciplinarum inuentiones, vrbium ac regnorum conſtitutiones, totius denique Vniuerſitatis antiquitates comprehendit.

Gen.c.2. v.7.

Hæc etſi inſita quædam ornamenta ac ſuauitates habet, quibus recreat, ac mira quadam voluptate perfundit piorum animos, non tamen verborum, quod illa facit, ſectatur lenocinia, non luxuriat floſculis, non blandimentis pertentat animum aut aſſentationibus allicit: non iram, non amorem, non cæteras eiuſmodi perturbationes callidis artibus concitare aut ſedare ſolet: non verborum flumine iudicium, adimere aut perturbare: ſed ſplendidiſſimis virtutum floret exemplis: certiſſimís diuinæ ſapientiæ gaudet oraculis: ſacroſanctis viget rerum diuinarum myſterijs, ac diuino inprimis ſpiritu, cui arctiſſimo atque adeò indiſſolubili vinculo eſt copulata, excitat hominum mentes, eaſdem reficit, docet, impellit, ac miris quibuſdam modis afficit, qui nulla oratione exprimi poſſunt. Vt verè hebraicarum literarum ſtudia diuino munere conceſſa ſint, quibus fidelis animus tanquam ſuauiſſimis epulis atque deliciis perfruatur, ac de quorum ſermone cum Apoſtolo dicere liceat, *Viuus eſt & efficax & penetrabilior omni gladio ancipiti & pertingens vſque ad diuiſionem animæ ac ſpiritus.* Ac rurſus cum ſanctiſſimo Vate. *Quàm dulcia faucibus meis eloquia tua, ſuper mel ori meo.* & quod de diuinis iudicijs idem protulit, *Deſiderabilia ſuper aurum & lapidem precioſum: dulciora ſuper mel & fauum.* Quid plura? Hac non Ioui loquendum ſuperſtitioſè iudices aut commenteris: ſed immortales illos ac beatiſſimos Dei adminiſtros ac nuncios immo Deum ipſum vſum eſſe, eâdémque vel ab ipſo Mundi exordio Maiores noſtros ac Prophetas inprimis ad pietatem inſtituiſſe certo ſcias. Vt propterea hanc vnam mortalium conſeruator inſtauratórque Noë, hanc Iſraeliticæ gentis parens Abrahamus, hanc Tribuum authores Patriarchæ, hanc ſacrorum Vatum coryphæus Dauid, hanc omnium hominum ſapientiſſimus Salomon, hanc ſanctiſſima illa Dei parens Virgo (quanquam fortaſſe Chaldæorum vocibus paulò iam immutatam) ſanctè piéque coluerint. Sed quibus gaudiis commemorem, Deus immortalis, quibus lætitijs recenſeam, temporis plenitudine æternum Verbum hominem factum, hanc vnam linguam cum ſpiritu ac lacte ipſo hauſiſſe quodammodo ac didiciſſe (ſic enim nouum illum

Pſal.118 v.11.

intel-

intelligendi modum ſatis ſcholaſtico puluere tritum deſcribam) eadem lingua abditiſſima rerum cœleſtium myſteria, perfectúmque Dei cultum promulgaſſe, & verba vitæ (vt cum Apoſtolorum principe loquar) diuino illo ore ſudiſſe? Nam cum denique aſcendiſſet in cœlum, hebraicè Paulum compellaſſe, diuinorum Oraculorum teſtimonio clarius eſt, quàm vt vlla egeat commemoratione.

Iam itaque in hanc curam incumbite, Auditores optimi, in hanc omnes ingenij vires ac neruos intendite, vt flagitioſiſſimos Catholicæ fidei oppugnatores, conſceleratos diuinæ ſapientiæ euerſores, Eccleſiæ denique vniuerſæ luem ac peſtem, vel potiùs furias ac faces a fidelium ceruicibus pro virili veſtra repellatis? ſed quid dico repellatis? immo verò, Auditores optimi, Deo duce omni celeritate comprimatis vndique ac reſtinguatis: ſicque etiam reſtinguatis, vt quantum ſentiunt hæretici veſtra integritate ac ſanctimonia ſuam libidinem atque impuritatem coargui, quantum fide & conſtantia ſuam leuitatem ac perfidiam vrgeri, quantum pietate & charitate furorem & immanitatem proſterni, quantum denique ſolidis optimarum artium ſtudijs ac cognitione ſuam inſcitiam ac ſocordiam profligari; tantum præclariſſimis linguarum ſubſidijs, atque Hebraicæ inprimis, diabolicas illas ſiue verſutias ſiue machinas deturbari videant ac funditùs tandem euerti.

DIXI.

ORATIO SEXTA:

De moralis Philoſophiæ præſtantia & vtilitate.

Cum Ariſtotelis Libros de moribus explicandos aggrederetur.

Habuit hanc Mediolani Kal. Martij M D XCII.

MIHI verò, Auditores optimi, accuratiùs in eos libros intuenti, quos de moribus ſcripſit Peripateticorum princeps, ea animum ſubit cogitatio atque ſententia, vt exiſtimem non humano planè more ac modo, ſed Dei præcipuo munere ac prouidentia, ſingularíque erga homines beneficentia, factum eſſe, vt ethnicus iſte tam egregiè de moribus philoſophatus ſit. Tametſi enim incredibilis quædam vis ingenii fuit in Ariſtotele, atque ad ingenium acceſſit admirabile doctrinarum omnium ſtudium, aſſiduáque tractatio; conſtat tamen illum ab omni virtutum exercitatione abfuiſſe longiùs. quin etiam auaritiæ, libidinis, turpiſſimorum denique vitiorum cœno ſuiſſe fœdatum ac multis criminibus coopertum. Vt propterea in tanta animi labe & colluuione vitiorum, in tanto cupiditatum æſtu perturbationúmque caligine, ſine præcipuo Dei auxilio, nullo modo potuerit abditiſſimos illos animorum receſſus ac ſinus intimè perluſtrare omnes, ac tantam non modò virtutum ſeriem & quaſi molem, ſed facultatum, habituum, functionúmque varietatem & multitudinem veluti in tabulam ad viuũ referre atque è denſiſſimis tenebris in clariſſima luce collocare. Et ſanè cum ſapientiſſimus rerum omnium author atque moderator eo conſilio ardens illud ſapiẽtiæ ſtudium Græcorum animis inieciſſet, vt quemadmodum Hebræos lege, ita Græcos Philoſophia ad Euangelij lucem intuendã veritatémque agnoſcendam præpararet; (id enim & viri ſapientiæ ſanctitatíſque laude clariſſimi docẽt; & magnus ille diuinorum myſteriorum ſpectator Paulus indicat non obſcurè) quis nõ facilè ſibi perſuadeat diuini conſilij fuiſſe ac muneris vt vir iſte Athenis, hoc eſt in ipſo philoſophiæ domicilio atque arce, pulcherrimas virtutum omnium Ideas ac ſpecies tanta facilitate ac fœlicitate explicaret? Diuina itaque diuina inquam, beneficentia ac largitate conceſſa eſt mortalibus præſtãtiſſima hæc de moribus Diſputatio. Atque hac ſanè de cauſa nihil in ijs libris offendas quod non ſumma induſtria elaboratum, ingenio atque ſapientia plenum, dicam planiùs, omnibus numeris abſolutum, & ad miraculum ferè perfectum ſit. Denique in iis libris obtrectatores tandem ſileant, Inuidiáque ipſa conticeſcat, æquus verò æſtimator rerum nihil non probet, admiretur, ſuſpiciat, neceſſe eſt.

Sed iam video Auditores, me lucubrationũ iſtarum admiratione quaſi æſtu quodam abreptum, primo ipſo Orationis ingreſſu in earum laudes excurriſſe. Cum tamen mecum ipſe ſtatuiſſem non antea illas attingere, quàm de moralis ſcientiæ vtilitate atque præſtantia in vniuerſum, vt par erat, diſputaſſem. ſed cohibebo ſanè orationem, méque ipſum ad inſtitutum reuocabo. Et quoniam optarim, ac vehementer quidem optarim, vt Phyſici, Oratores, Poëtę, ij denique omnes, qui nobilem aliquam doctrinarũ partem attingunt ac tractant, atque ij maximè qui iuriſprudentiæ nauant operam, diligenter animaduertant, quo loco moralem hanc facultatem habere debeant, horum ego omnium oro atque imploro fidem, vt quanta eis vtilitas in ethicis præceptis repoſita ſit & collocata, quæque demum ſit Moralis ſcientiæ amplitudo, nobilitas atque præſtantia; mecum ipſi agnoſcere ne grauentur.

Atque vt a Poëtis initium ſumamus, egregia ſanè admirabiliſque facultas eſt poëſis: ac non ſplendoris modò iucunditatiſque plena; verùm etiam (ſi ſuas ipſa tueatur leges) humanæ ſocietati vtilis ac fructuoſa: veruntamen ſiue ciuiles nobis actiones & populares, ſiue Regum infortunia atque calamitates ponat ante oculos, quibus ad prudentiam, animi moderationem, virtutémque omnem informemur: ſiue denique (vt minora quædam taceam) nos fortiſsimorum Ducum Heroúmque exemplis ad res ſtrenuè gerendas incendat, tota ferè exiſtit ex moralis philoſophiæ ſpatiis. ſiquidem quæ præcluſis fabulis, de prudentia, fortitudine, magnanimitate, cæteríſque virtutibus nudis ſermonibus præcipit moralis Philoſophus, hęc Poëta certis perſonis affingens, ac carminis fabulæque ſuauitate permiſcens & temperans, ad varios hominum ordines inſtituendos traducit ac refert. quapropter cum in probum cordatúmque Poëtam incido, moralis mihi philoſophus obuerſatur ante oculos qui philoſophica ſeueritate depoſita; Virtutem velùti purpura indutam, auróque ac gemmis ornatam obiiciat mortalium oculis, quò faciliùs eius ſpecie ac pulchritudine capiantur.

Iam verò quoniam de Poëtis verba fecimus, ac quantum morali debeant declarauimus: Hiſtoricus ſeſe mihi offert, quem in pulcherrimo diſciplinarum theatro Poëtæ è regione collocatum ac pari fermè dignitate cohoneſtatum video. Etſi enim conſectantur fabulas, & (vt eſt in prouerbio) multa fingunt mentiuntúrue Poëtæ; Hiſtoricus contra, toto pectore veritatem amplecti ſolet, vterque tamen perpetuò in exemplis verſatur, ita vt vna rerum ſingularum tractatione nitantur toti. Ergo mortales mirificè oblectat, iiſdémque prodeſt Hiſtoria: fateor: eſt enim (ſi M. Tullio Græcæ Romanæque hiſtoriæ ſcientiſſimo credimus) Teſtis temporum, lux veritatis, vita memoriæ, magiſtra vitæ, nuncia vetuſtatis. Verùm, ſi me audias, tum demum hæc præſtat moralibúſque prodeſt Hiſtoricus, cum morali diſciplina excultus, res turpiter geſtas ac vitia ipſa opportunè arguit, eorúmque notat incommoda ac detrimenta: virtutes verò earúmque commoda atque momenta expendens, his vnis in tanta humanæ vitæ varietate fidendum eſſe oſtendit. Cum enim humani euentus ac publica priuatáque facta diſcordiis plerunque, ſeditionibus, cædibus, ſexcentis denique flagitiis plena ſint, quam quæſo vtilitatem, quæue incitamenta virtutum afferet nobis hiſtoria, ſeu potiùs quos in tanta exemplorum corruptela non commonſtrabit, atque adeò aperiet aditus vitiorum ac ſcelerum, niſi hiſtoricus humanæ vitæ officia a morali Philoſopho edoctus, res flagitiosè ac turpiter geſtas debita notet infamia: contra verò præclaras orneractiones, earúmq. dignitatem atque vtilitatem commendet? Quamobrem egregiè, mea quidem ſententia, ac propè diuinè præcepit M. Tullius Oratori conſcribendam eſſe hiſtoriam. Intelligebat enim diſertiſſimus hic Philoſophus non ſine indignatione quadam ac vituperatione exponenda eſſe flagitia: res verò honeſtè ac fortiter geſtas grata quadam commemoratione, atque adeò non ſine laude eſſe recolendas. Denique apud virum prudentem, atque eum inprimis qui veram pietatem colat, is vnus germanus hiſtoricus ſit, qui toto hiſtoriæ decurſu diuinæ prouidentiæ agnoſcendæ, iuſtitiæ, prudentiæ, ſolius denique virtutis adamandæ ardentes igniculos iniiciat legentium animis. Quam ſanè rē quo pacto is præſtare queat, qui non antea virtutum momenta expenderit diligenter, ac de vita & moribus philoſophatus ſit, equidem non ſatis video. Nunc ad Oratorē venio: cuius ſanè induſtria & vis cum admirabilis habita eſt ſemper ac propè ſingula-

ris:

ris: tum viro frugi optimóque ciue digniſſima. Quid enim admirabilius excogitari poteſt inter mortales, quàm furentem populum poſſe dicendo cohibere, iacentem excitare atque erigere, denique ſiue ad ſpem & beneuolentiam, ſiue ad timorem atque odium, ſiue ad fœdera & pacem, aut etiam ad arma & bellum, pro arbitratu concitare ac rapere? Ex quo fit vt ſi in virum prudentem (vti oportet) ac probum inciderit eiuſmodi ſtudium atque facultas, nihil ferè ad leges patriámque tuendam, nihil ad pietatem, Religionémque amplificandam, dicam paucis, nihil ad benè beatéque viuendum aptius optatiúſque contingere poſſit. Attamen, Auditores, vbi admirabile hoc ſtudium careat moralis diſciplinæ præſidio, concidat ſanè ac iaceat neceſſe eſt. ſiue enim animi moderatio (id quod Plato docet) morúmque integritas in Oratore ſpectanda ſint, atque ita ſpectanda vt ſine ijs Republica ac foro arceri debeat: ſiue (quod Ariſtoteli placet) morata illi oratio ſatis eſſe poſſit, qua apud Auditores probitatis opinionem ſibi conciliet ac pariat; nemo eſt qui non videat moralis doctrinæ rationem illi habendam, atque in eius ſtudium incumbendum eſſe diligenter. quid plura? qua obſecro ratione languentes auditorum animos excitare poterit, ſiue effrenatas eorum cupiditates coercere, ac ſummatim illos opportunè flectere ac permiſcere, niſi ea priùs explorauerit atque perceperit, quæ de affectibus ac moribus in morali philoſophia tradi ſolent? Declarant hoc diſertiſſimi quique Oratores ac Rhetores: qui ſanè in ethicis præceptis tantum ſtudium collocarunt, vt ſolius Oratoris ac Rhetoris gratia ea videantur inuenta & comparata. Nam qui ab oratoria facultate reiiciunt totum hoc dicendi genus, quod ad afficiendos animos pertinet, atque Areopagitarum ſeueritatem ſectātes, nudas ratiocinationes Oratoribus relinquunt, ij ſanè eloquentiæ quaſi neruos mihi videntur incidere: ac totum ferè artis huius pulcherrimæ ac præſtantiſſimæ vſum naturámque peruertere. Etenim quonam obſecro in aperto Reipublicæ diſcrimine ſe vertat orator, vbi Auditores (quod ſæpè fit) rudiores ac tardiores offenderit, quàm vt rationum momenta perpendant? quò vt bonorum honori, fortunis, ſaluti denique ipſi proſpiciat, vbi improbo ac minimè beneuolo iudice vtatur? expeditiora ſanè arma arripiat probus Orator, ac robuſtiores machinas iſtorum ſiue improbitati, ſiue tarditati expugnandæ admoueat, neceſſe eſt. nimirum obteſtetur, indignetur, indoleat, clamet, tonet, fulminet Orator oportet, quò beneuolentiam, pudorem, miſericordiam, timorem cæteráſque huiuſmodi affectiones excitet in auditorum animis, eóſque ad ſaniorem mentem, ſententiámque compellat. Vt proinde totum hoc orationis genus quod in moralis philoſophiæ præceptis innititur, retinendum, ſummóque ſtudio excolendum, ſit Oratori.

Sed imprudens fortaſſe ſim ego, qui hactenus rem tantam ieiunè admodum ac nullo adhibito exemplo complexus ſim; cum tamen ſiue laudatam aliquam hiſtoriam euoluas, ſiue nobiliorum Poëtarum atq; Oratorum monumenta perluſtres, ingens ſuppetat exemplorũ copia: ex quibus intelligamus iſtos omnes, ethici fontibus ſuos campos irrigaſſe, ac virtutum tractatione frugiferos reddidiſſe. Quanquam non ego Auditores huc tanquam Orator acceſſi, cui res exemplis maximè tractanda atque illuſtranda ſit. quin potiùs in re tam aperta planis minimé q. fucatis rationibus ſimplicíque oratione delector: cum præſertim facilè perſpexerim me apud eos dicere, qui cum liberalibus diſciplinis ac philoſophia inprimis imbuti ſint, non tã oratoriis exẽplis delectantur, quàm argumentorum pondus atq; momenta perpendunt. Pergam itaque eâdem qua cœpi dicendi ſimplicitate. Et quoniam de Oratore ac Poëta, déq. hiſtorico diximus, ac quantùm ethico debeant, ſatis oſtendimus; age hoc ipſum de Dialectico, déque tota diſſerendi ſiue facultate, ſiue arte, ſiue peritia demonſtremus. Ergo niſi mihi aſſentias, Dialectice humaniſſime, hoc ego te dilemmate laceſſo. vel.n. tibi ex tuo iſto domeſtico puluere nullo vnquam tempore diſcedendũ, atque in eiuſmodi dumetis ac ſpinis conſeneſcendum ſtatuiſti: vel egrediendum aliqñ, atq; ad nobiliſſima philoſophorum ſpatia tranſmittendum cenſes. ſi negas, grauiſſimum tibi crimen inuidiámq. conflaſti. quis.n. non grauiter reprehendat athletam illũ, qui decreuerit vmbratili exercitatione ac pugna traducere ætatem omnem, atque in Solẽ certaménque nunquam prodire? aut quis militem illum ſuſtinere poſſit, qui omne vitæ ſpatium conſumpſit armis expediendis: militiam verò nunquã attigerit? ſed iu-

uat de tuo ingenio ominari meliora. Quare omnino reſpondebis, opinor, tibi conſtitutum eſſe breui è Dialecticorum officina tanquam ex caſtris in mediũ agmen prodire; atque inceuſis illis phyſicorum congreſſibus concertationibúſque pugnando intereſſe. Atqui ſi ita eſt, iiſdem te argumentis iam iam vrgeri ſenties, quibus phyſicum atque alios multos vrgebo, quæ enim efficiunt phyſico ethicem perdiſcendam, ac de vita & moribus philoſophandum, eadem efficient tibi quoque non ſine moralium virtutum cognitione atringendas eſſe phyſicas diſciplinas.

At enim eſto non ſine morali cognitione, ſiue phyſica, ſiue alia eiuſmodi ſcientia mihi ſit attingenda, interim tñ (quod tua pace dixerim) licebit mihi ſaltem Dialectici cãpum ſine vllo ethici præſidio longè latéque peragrare. non itaq; moralis ſciẽtia erit Dialectico neceſſaria. Acutè tu quidẽ ac bellè; hócque vno ꝙ eiuſmodi dilemma tã fœliciter declinare viſus es, dignus haberi potes, cui primo quoque tẽpore ad philoſophiam liceat conuolare. Verum ſi ne te interim argumentũ omnino diluiſſe, méque cauſa cecidiſſe putes, pulcherrimos illos Topicorum libros euolue, atque intelliges tanta locorum ſylua per paucos locos eſſe, qui ſine ethicorum dogmatum cognitione perfectè tractari poſſint; multos etiã reperiri, quos ſine accurata virtutum, vitiorum, fœlicitatis, totius denique moralis diſciplinæ cõmentatione ne primis quidem libris liceat attingere ac deguſtare. Vt omittã inter Dialecticas præceptiones varios de habitibus, qualitatibus, affectionibus atq; alijs hmõi ſermones incidere, in quibus Dialecticus, niſi Moralis Philoſophi induſtria ſubleuetur; æſtuet atq; hæreat neceſſe eſt.

Sed quoniam differenti mihi cum Dialectico, excidêre quædam, quibus quid de phyſico ſentiam indicare cœpi, iam mihi intueri hunc videor nobis indignantem ac repugnantem his propè verbis. Tu verò, Ethice, de me vide quid ſtatuas: neque enim mihi quemadmodum Oratori ac cæteris iſtis, cum Morali vinculum intercedit vllũ; ſed ſine illius vſu atque adminiculis meum valeo tueri munus. cum enim terras, maria, Cœlum, Vniuerſitatémque omnem perluſtrans animo, ſuauiſſima rerum naturalium contemplatione oblecter ac fruar, nihil eſt quòd mentem cogitationémque ad ea demittam, quæ in actione verſantur, ac tumultu perturbationibúſque referta ſunt. Quamobrem ſi non cæteris ab moralis ſcientiæ tractatione abſtinere licebit, mihi certè, velis nolis, omnino licebit.

His inquam Phyſicum mihi videor audire nobis reluctantem ac propè inſultantẽ. Sed vtinam ſententiam iſtam vel deponeret, vel moderatione aliqua temperaret: neque enim aliena curioſiùs inueſtigaret, negligeret ſua. Cúmque iuſtitiæ ac temperantiæ legibus reliquarúmque virtutum momentis exploratis, iuſtus fieri poſſit ac temperatus, humanaéque vitæ officia diligenter tueri & colere, haud ita facilè mancipare ingenium corporum contemplationi, vnde indomitas animæ cupiditates nequit euellere, inteſtináſque diſcordias componere atque ſedare. At verò, inquiet, res naturales diuinæ ſapientiæ veſtigia præſeferunt, quibus homo tanquam quibuſdam gradibus ad Deum propiùs agnoſcendum ardentiúſque colendum attollitur. Sit iſtud. Sed cum Deus non modò ſapientiæ ſuæ veſtigia impreſſerit in homine, verùm etiam ſui met imaginem ſimulachrúmque expreſſerit; cur tu pulcherrimam Dei imaginẽ negligis, vt veſtigia conſecteris? Denique ſic ſtatuo: Deus mentem in anima collocauit, vt quantum humana conditio patitur, effrenatos animæ impetus priùs edomaret homo, ac ſolidas in eam virtutes inſereret. Tum verò aliquam curæ & induſtriæ partem deriuaret in aliorum ſalutem ac bonum: & pro virili ſua humanæ ſocietati prodeſſet. Denique vbi ſine vlla officiorum prætermiſſione aut perturbatione fieri poſſet, in Naturæ ſtudium incumberet. Quæ cum ita ſint, præpoſterè omnino agat is qui rerum naturalium contemplatione morum virtutúmque curam ac ſtudium anteuertat; ac diurnas nocturnáſque vigilias phyſiologiæ deuouens, humanæ conſuetudinis officia ſéque ipſum ignoret ac deſerat.

Verùm eſto Auditores ſine vlla officij perturbatione, immo ſumma cum ratione ac laude in rerum naturalium ſtudia ſeſe abdat Phyſicus: attamen niſi multa peccare velit, grauiſſiméque labi, ad ethicæ præſidia illi adhuc confugiendum eſt. quæ enim extat phyſiologiæ pars aut nobilior, aut latior, aut vtilior quàm animæ tractatio & contemplatio? at cum moralis ſit non modò de animæ affectibus & cupiditatibus, ſed habitibus etiã, facultatibus, virtutibus denique ac vitijs agere, atque horum om-

nium

Digitized by Google

nium tum originem ac fontes oſtendere, tum nexum ordinémque explicare: tum partes ipſas qua rationis & intelligentiæ ſiue compotes ſiue expertes ſint commoſtrare, qua obſecro ratione his ignoratis, animæ vim ac naturam perfectè vnquam agnoſcet Phyſicus? Erit itaque cur Phyſicus etiam de moribus interdum diſſerat ac philoſophetur: niſi tamen eam phyſiologiæ partem, quæ eſt omnium præſtantiſſima, negligenter tractandam aut deſerendam, ac nobile illud celeberrimúmque præceptum, quo nos ipſos cognoſcere iubemur, negligendum exiſtimet.

Sed iam neſcio quo pacto, Auditores, paulò audaciùs, ſed veriſſimè tamen, mihi eſt diſſerendum; ac diuinis propè laudibus Moralis noſter ornandus. Etenim præſtantiſſima facultas ac longè omnium admirabilis eſt Theologia; quandoquidem non humanis præceptionibus atque ſententijs, ſed diuinis myſterijs continetur: nec humano artificio inuenta eſt & comparata, ſed diuinitùs, quæ Dei eſt beneficentia, hominibus importata. Interim tamen incredibile eſt, quàm arcta diuinæ huic ſapientiæ atque doctrinæ cum morali philoſophia intercedat neceſſitudo. Teſtis eſt locupletiſſimus B. Thomas (caue enim quenquam eximio huic Theologo, niſi fortè auguſtimum Eccleſiæ lumen Auguſtinum, doctrinæ laude anteponas) B. Thomas inquam doctor ſummus, quíque in Theologicis ſcholis dux nobis propoſitus eſt atque magiſter, teſtis eſt luculentiſſimus. Hic enim in ſuis theologicis libris Deum vnum ac trinum, eundémque Vniuerſitatis procreatorem vix agnouerat, cum ecce tibi ſubſtitit: nec in reliqua Theologiæ ſpatia pedem inferre auſus eſt, antequam ex moralis philoſophiæ fontibus toto pectore hauſiſſet. Atque hinc ſanè fit, vt qui hoſce fontes aut neglexerint aut prætererint, non poſſint non æſtuare paſſim in Theologia reliqua atque hærere. Cum tamen qui altiùs eos deguſtarint, proſperum curſum tenere ſoleāt, ac reliqua illa ſpatia, tametſi latiſſimè pateant, fœliciter peragrare.

Quæ cum ita ſint, iam intelligere quoque licèt quid ſigillatim de ea Theologiæ parte ſit ſentiendum quæ in humanæ vitæ officijs deſcribendis & conſcientiæ quæſtionibus explicandis verſatur. Neque enim negarim hanc facultatem frugiferam eſſe totam: ac ſiue ad fidelium mores componendos atque ornandos, ſiue ad Chriſtianam Rempublicam tuendam atque adminiſtrādam, ſiue denique ad fidem Religionémque propagandam, longè inter doctrinas omnes excellere. vt propterea Theologiæ flos ac vertex, Eccleſiæ præſidium ac firmamentum, &, vt rem complectar breui, benè beatéque viuendi norma ac ratio iure optimo appellari poſſit. Veruntamen hæc doctrina quoque ex vitiorum virtutúmque notione morúmque tractatione (quemadmodum de morali Theologia diximus in vniuerſum) tota ferè hauſta atque conflata eſt. quamobrem magnum illi momentum affert diuinarum litterarum, nouíque præſertim fœderis cognitio. fateor, ingentem eidem parit vtilitatem Conciliorū, Canonum, totiúsque Pontificij iuris animaduerſio: non inficior: at virtutum, vt dicebam, morúmque & humanorum actuum accurata tractatio, frugiferam hanc doctrinam parit ferè totam, eandémque alit, tuetur, ornat denique illuſtrátque mirificè. Quapropter vbi ex Grammaticorum rudimentis euaſeris, nullam ferè doctrinarum partem attingas, quin Moralis Philoſophiæ ſtudium tibi apprimè vtile atque adeò neceſſarium eſſe animaduertas.

Iam verò domeſticis ſtudijs peragratis (ſic enim eas diſciplinas appellabo in quibus verſari ſoleo) eæ doctrinæ artéſue luſtrandæ eſſent, in quibus ipſi tyrones fermè ſumus ac rudes, ſiue hoſpites ac peregrini. cum enim præter Dialecticam, Phyſicam, aliáſque huiuſmodi doctrinas, quas ipſi quotidie terimus, aliæ etiam reperiātur, quas cæteri amplectuntur, & non ſine laude atque vtilitate tractant, videndum eſſet an ijs quoque moralis cognitio ſit neceſſaria. Verùm enim verò non eo conſilio in hunc locum aſcendi, vt abſentes cohortarer, ſed præſentes. vobis enim vnis, qui ad Philoſopiam incumbitis in præſentia, mea ſeruit oratio. Vobis inquam, Auditores ornatiſſimi, in quorum vigilijs atque laboribus nihil deſiderari velim; ſed frugiferos eſſe totos: atque amicis, patriæ, vobis denique ipſis ſalutares. Quanquam quoniam multi ſunt qui quotidie ferè ex ijs ſcholis ad Iuriſprudentiæ Medicinaéue gymnaſia migrare ſolent, ij adhuc docendi ſunt, non illotis, vt aiunt, manibus, ac ſine Morali ſcientia Medicinæ ac Iuriſprudentiæ ſtudia eſſe capeſſenda. Cum iis igitur breuiſſimè agam, Auditores optimi; ſtatímque ad finem mea conuertetur oratio.

Ac mea quidem ſententia, qui paulò attentiùs recolat quis nam Iuris ciuilis ſit finis, quam materiam tractet, quæ denique ſit eius vis ac natura vniuerſa; is ſiue vlla dubitatione intelliget nihil aliud eſſe, quàm floretiſſimum idémque pulcherrimum moralis ſcientiæ germen. Cum enim Ethicus de virtutibus omnibus, maximè verò de Iuſtitia, hoc eſt de virtutum omnium parente optima, copioſiſſimè diſſeruiſſet, eáſque tanquam in theatro ante omnium oculos pulcherrimo ordine collocaſſet; ecce tibi nouus Reipublicæ adminiſtrator in egregium hunc virtutum chorum defigens oculos, admirabili illarum ſplendore ac pulchritudine captus eſt. Et quanquã perſpiceret eximium eſſe ſingularum decus ac ſpeciem. Iuſtitiã tamen quippe quam animaduerteret Reipublicæ regendæ momentum habere maximum, immo vnam eſſe, ſine qua humana ſocietas ſtare nequit, præ cæteris adamauit; ſibique in ciuili gubernatione, quantum poſſet, ad omnia vitæ officia deriuandam eſſe conſtituit. Quod cum longo tandem vſu atque opere perfeciſſet, ciuilis iuris ſcientiam, hoc eſt nouũ Ethicæ germen, ſiue traducem mauis aut propaginem, eduxit in lucem. quo fit vt iuris ciuilis ſtudioſo, niſi eius quam tractat, artis tum originem & fundamenta, tum partium materiaéque varietatem, tum vſum & munera, tum denique extrema in quibus peccatur, ignorare velit, hæc ab Ethico, qui vnus illa explicat, diſcenda atque haurienda ſint.

Nunc poſtremo loco venio ad Medicinam: quam profectò multiplici rerum cognitione ac peritia contineri, nemo eſt qui non videat. Etenim Medico niſi Empiricus atque eius quam tractat artis, ignarus haberi velit, cum rerum naturalium propè omnium, tum aſtrorum cœleſtiúmque conuerſionum notitia priùs eſt comparanda: ſimúlque horum omnium vis ac natura experientiis comprobanda. Vt omittam acre in eo ingenium celeríſque animi motus atque ad coniectandum fictos requiri. At quid ſi moralis adhuc philoſophia in ipſo vſque adeò requiratur, vt ſine ea, quantumuis floreat cæteris omnibus, nulla cum laude ſuum obire munus valeat? Mirabitur hoc fortaſſe quiſpiam, contendétque a nobis faciliùs affirmari ac iactari, quàm ratione vlla ſuaderi poſſe. Ego verò ne temerè id protuliſſe videar, ad ſapientiſſimum illum Medicorum Principem atque Magiſtrum Hippocratem prouoco. Is enim eſt qui moralium virtutum ſtudium in Medico non commendar ſolùm ac laudat; verùm etiam tanquam ad eam quam tractet artem, pernеceſſarium requirere ac flagitare ſolet. Quamobrem euoluite diligenter eum librum, quem de Decenti ornatu ſcripſit magnus hic & prudentiſſimus ſenex: expendite quæ in libro de Arte tam grauiter ſapientérque præcepit: demum (ne conſecter loca omnia) animaduertite quæ in lege tam ſanctè ac caſtè a Medico iuſſit cuſtodiri, atque intelligetis quàm diſertè, acutè conſtantérque docuerit, non poſſe Medicum rectè atque vtiliter eiuſmodi tractare artem, niſi priùs morali diſciplina excultus ac perpolitus, nobilem quandam atque illuſtrem adeptus ſit morum integritatem. Quam Galenus etiam, quem non medicinæ ſolùm, verùm etiam humanarum diſciplinarum propè omnium peritiſſimum fuiſſe conſtat, copioſè, vt ſemper ſolet, docuit in eo libro, qui ab illo, Optimus Medicus, is optimus Philoſophus, inſcriptus eſt. Quamobrem dum duo iſta clariſſima Medicinæ lumina Hippocrates & Galenus ethicæ ſcientiam Medico perneceſſariam eſſe & fatentur & prædicant, profectò Medicinæ ſtudioſis prouidendum eſt diligenter ne in hac noſtra facultate hoſpites ſint ac peregrini: præſertim verò quia cum ſæpè accidat, vt ex ira vehementioribúsque animi perturbationibus ſuboriantur morbi, oportet ſanè, vt Medicus harum perturbationum vim & varietatem antea perſpectam habeat; niſi tamen horum cauſis morborum ignoratis, ſatis ſe illis medicinam facere poſſe exiſtimet. Vt omittam magnopere quoque verendum ne Medicus (atque idem ſanè dixerim de Iuriſcõſulto) vbi morum probitate ac vitæ integritate minùs excultus ac munitus ſit (minùs verò excultus ac munitus erit qui morum notitiam contemnat ac ſtudium) facilè interdum adducatur vt officii immemor ac dignitatis, lucro turpiter ſeruiat & cupiditatibus. ex his enim in ægrotos aut clientes pericula multa & detrimenta redundare poſſe compertum eſt.

Expoſui Auditores quos habeat Moralis Philoſophia vſus, quaéque commoda iis afferat qui ad cæteras doctrinas incumbunt. qua in re etſi pro ingenti illius vtilitate pauca, pro temporis tamen anguſtiis ac breuitate multa ſatis, attulimus vt opinor.

Nunc

Nunc duo ſupereſſent orationi meæ. Vnum vt quoniam adiumenta perſpeximus, quæ reliquis ſuppeditat diſciplinis, vberrimos quoq; fructus inſpiceremus, quos per ſe illa & a cæteris ſecreta ſtudijs amplectentibus párere ſolet. Etenim moralis hæc diſciplina iure optimo appellari poteſt animi cultura & medicina, vitæ ornamentum & decus: vitiorum omnium expultrix: virtutum procreatrix & cuſtos: benè viuendi magiſtra: rectéque factorum omnium mater. Hæc ad nobilem omnem vitæ conſuetudinem accommodata est, ac ſiue tecum agas, ſiue cum alijs contrahas, mirificè cōſcientiam oblectat. hæc nobiſcum pernoctat, peregrinatur, ruſticatur: denique nos in ſecundis rebus moderatos reddit, atque in ærumnis & calamitatibus ſuſtentat ac recreat. Alterum quod ſuperetat illud nimirum erat, vt ethicæ facultatis vtilitate atq; præſtantia in vniuersùm explorata, ſigillatim Ariſtotelcç Ethicæ præſtantiam vtilitatémque declararem: ſimúlque oſtenderē quàm admirabili artificio, ſtudio ac ſapientia magnus iſte Philoſophus eiuſmodi lucubrauerit ac digeſſerit inſtituta. veriſſimè nanque dici poteſt, Ariſtotelem in his lucubrationibus omnes ingenij vires ac neruos intendiſſe, atque adeò ſapientiæ opes omnes theſauróſque profudiſſe: itaut ſi in cæteris libris cæteros philoſophos viciſſe, in his ſeipſum ſine vlla controuerſia ſuperaſſe, dicendus ſit. Hæc duo inquam fuiſſent a nobis exponenda diligenter. Verùm dies priùs viréſque ipſæ me deficiant Auditores, quàm ea valeam non dicam diſtinctè ac pro dignitate tractare, ſed ſtrictim leuitérque attingere. Quamobrem ne ſingulari humanitate ac patientia veſtra abuti videar, ea prætermittere non grauabor. idque eò libentiùs quòd Ariſtoteles ipſe optimè omnium inter diſputandum huius operis nobilitatem & excellentiam ingenioſis ſpectandam proponet: ac me propè tacente auditorum meorum animos vberrimis fructibus honeſtiſſimáque voluptate cōplebit.

DIXI.

ORATIO SEPTIMA.

De Poeſi atque Ariſtotelea Poeticæ præſtantia & vtilitate.

HABITA

In Patauino Gymnaſio cum Ariſtotelis Poetice eſſet explananda.

ARiſtotelis Poëticam rurſus explanandam aggredior: hoc eſt opus longè præclarum & nobile: ac veſtris auribus & ſtudijs, Auditores, veſtro ingenio ac nobilitate, ſummo etiā eloquentiæ præconio, immortalitate ipſa digniſſimum. Siue enim in otio iucundam occupationē adamatis ſiue in negotio honeſtam animorum relaxationem expetitis, nihil eſt quod Poëticæ facultatis tractatione aut iucundius ac dulcius, aut honeſta vtilitate cumulatius, requiratis. Denique Poëticis exercitationibus ac ſtudijs nihil aptius inueniatis ad animum non oblectandum modò & recreandū, verùm etiam omni virtutum genere, Ariſtotele præſertim magiſtro ac duce; imbuēdum & exornandum. Quapropter hæc maximè ſtudia, ſi veterum monumēta repetamus ab Hebræis orta atque adeò diuinitùs accepta, & a Græcis mirificè culta & ad nationes reliquas tranſmiſſa & propagata, mortalium omnium aures atque animos excitarunt, & ſupra quàm dici poſſit ad ſe conuerterunt. Hæc, hæc inquam, ſi M. Tullio credimus, adoleſcentiam alunt: ſenectutem oblectant: ſecundas res ornant: aduerſis perfugium ac ſolatium præbent: delectant domi: non impediunt foris: pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur: Hæc, ſi Ariſtotelem audiamus, certā mortalibus Ideam offerunt ac normam, vnde humanæ vitæ officia pro ſingulis vitæ generibus colere, atque ad benè beatéque viuendum contendere valeant. Atq; hinc, ſi quis attentiùs æſtimet, fluxit tripartita illa poëtici muneris atque adeò poëſis varietas, qua infimi homines, medij, ſummi ad virtutem informantur. Hinc etiam viri non indocti cenſent, poëſim non ſolùm eſſe præclaram quandam vitæ emendatricē, verùm etiam morali Philoſophiæ omnino affinem eſſe, ac tanquam ex altera parte

reſpon-

reſpondere : quaſi verò Poetæ induſtria omnium hominum ordines, & ad omne officij genus, inſtruendi ſint : atque id planè ipſum fictis exemplis ac ſermonis numerorúmque ſuauitate præſtandum ſit Poëtæ, quod Moralis Philoſophus rationum momentis ſeuerioribuſque præceptis moliri ſolet. Denique eâdem de cauſa a multis, quæ in actione poſita eſt Philoſophia, auſterior Poëſis, Poëſis contra, blandior Philoſophia, appellatur. Atque inde apud Græcos ſabulæ illi fuit locus, qua Orpheum dicerent cantus ſuauitate immanes belluas permulſiſſe. Amphionem verò lapides ipſos teſtudinis ſono mouiſſe ac blanda prece, ſignificabant enim Poëtas iſtos vſque adeò valuiſſe carminis ſuauitate ac poëtica virture & facultate, vt efferatas gẽtes illas quæque belluarum more degerent, a ſolitudine ad frequentiã & ſocietatem, ab agris & ſyluis ad vrbes ciuiléinque cultum, &, vt me ſemel explicem, a ferocia & immanitate ad manſuetudinem & humanitatem, traduxerint & informarint.

Sed quoniam carminum ac Poëticæ ſuauitatis mentionem feci, iam Poëſis decus inde etiam commonſtrare luber, quòd eius oratio ſplendoris pleniſſima eſt ac dignitatis. Etenim doctrinæ fermè reliquæ & facultates humili planè dictione pedeſtrique oratione vtuntur; atque ita vtuntur, vt non modò nitore careant & elegãtia, ſed munditia propè omni & cultu. ita ſanè illarum ſermo horridus paſſim apparet & ſqualore obſitus: ſæpè etiam vulgi atque imperitiſſimæ plebis oratione ſubdurior & inquinatior. Poëſis contra admirabilem refert nitorem: nullam dicendi virtutem non ſectatur: nullum orationis lumen & ornamentum non amplectitur. Denique quantũ abundat Ver floribus, Autumnus pomis, Aurora coloribus, Cęlum luminibus, tãtum ſuauiſſimis Orationis quaſi floribus pomíſque referta eſt Poëſis, & pulcherrimis coloribus luminibúſque diſtinguitur & variatur. Vt mihi quidem ceteræ illæ artes atq; doctrinæ pedeſtres atque humiles incedere, Poëſis contra veluti quadrigis inuehi ac triumphum agere, videatur. Neque verò hiſtoriam mihi commemoret quiſpiam aut Oratoriam dictionem: quaſi verò illa nec munditiam abijciat & elegantiam, nec ornamentis ac nitore careat: hæc luminibus ac pigmentis mirificè delectetur, & de pulchritudine ac venuſtate certet cum Poëſi. Hiſtoria enim, vbi munditiam quandã amplexa fuerit, mirum eſt quàm infœliciter ſectetur culturam, & maiora ornamenta referre geſtiat: cultus enim minuit hiſtoriæ fidem; & quò lautior atque ornatior eſt eius dictio, eò ſuſpectior & incredibilior videri ſolet. Denique hiſtoria grauis matronæ inſtar eſt, quæ, ſi paulò cultior appareat, ac munditiæ nitorem addat, minùs pudica, laſciua etiam & petulans, habeatur. At Poëſis quò magis coloribus diſtinguitur, & excolitur ornamentis, eò gratior accidit mortalium oculis atque iucundior. eſt enim venuſtæ puellæ ac nobili ſponſæ perſimilis, quam nullum decus, nullum ornamentum, nullus ſplendor dedeceat: quin margaritis, auro, gemmis, purpura magna cum dignitate vtitur & laude. Nam de eloquentia & oratoria dictione nihil attinet dicere, cum a Poëſi magnam ſplendoris ac decôris partem mutuetur: & ſuum illa decus Poëtis acceptum fermè referat, quorum virtutes in humiliore puluere imitatur. Vt omittam ne iſti quidem tantum ſplendoris concedi & lucis, vt a Poëſis ſplendore & luce non longo interuallo ſuperetur. Eſt enim eloquentia inſtar matris familias, quæ plus ſatis matronæ imitari debet inceſſum ac ſpeciem, quàm ſponſæ decus ac maieſtatem. Ita fit vt exquiſita venuſtas & elegantia in Oratore odioſa ſit atque ſuſpecta; in Poëta ſuauis accidat, & admirabilem concilie t dignitatem.

Sed imprudens ſim ego, qui dum externum Poëſis decus commemoro, interiorem illius pulchritudinem pręterierim, aut certè maiorem illi dignitatem tribuerim, quàm quòd morali philoſophiæ ſit affinis, & eius virtutes æmuletur. Ergo requiramus, ſi placet, Auditores ornatiſſimi, quantum Poëſis dignitas ac ſplendor in ijs eluceat, quæ contemplatione continentur. Qua in re, equidem, quoad reſpicere animo poſſum, ac priſcorum ætates & monumenta repetere; ſentio a primis ſapientiæ incunabulis vnos Poëtas fuiſſe, qui contemplatricis Philoſophiæ campos colerent & peragrarent. Neque enim alij tractabant Philoſophiam, alij pangebant Poëmata: nec Poëtæ ac Philoſophi munus diuulſum erat atque diſtinctum: Sed Poëtæ Σοφίαν æquè ac Muſas complectebautur: ita vt in vnius Poëtæ ſinu ac fide Muſarum & Sapientiæ décora & munera conquieſcerent. Hinc Zoroaſter, Democritus, Parmenides,

Empe-

Empedocles, Tales, Solon aliíque ſexcenti, quos deinde Philoſophis viſum eſt inter Philoſophos ac ſapientes numerare, Poëtæ fuerunt: & quicquid ſcripſerunt, carminibus commendarunt. Quin etiam antiquiores, Orpheus, Linus, Eumolpus, Muſæus aliíque non pauci qui inter Poëtas primarios numerantur, non minùs tractare ſapientiam ac philoſophari quàm verſus condere, &, vt cum Ennio loquar, poëtari, viſi ſunt. Nec ſanè Homerus alia de cauſa dictus eſt ſapientiæ Oceanus ac pater, quã quòd doctrinarum omnium præcepta, ſi non omnibus expreſſa coloribus, ac certè inchoata (ſi multis credas) & adumbrata in eius poëmatis deliteſcerent. Nam Muſas, quibus Poëſis ortum & gloriam acceptam referunt Græci, reuera non carmine ſolùm, ſed doctrinis etiam claruiſſe, hiſtoriarum monumentis cõpertum eſt. Neque verò illud eſt prætereundum, Viri ornatiſſimi, quod in noſtra hac palæſtra ferè caput cenſeri debet. poëtarum ſcilicet tractatione ad ſolutam orationem omnem; maximè verò ad eloquentiam tanquam copias parari, verè enim dici poteſt, oratoriam dictionem, vbi poëtarum lectionem planè contempſeris carminíſque virtutes, friġere omninò ac veluti exareſcere. Quin etiam poëmatis ſtudio eodem tempore mentis aciem acuimus atque intelligentiam attollimus. Neque enim diffitendum eſt, Poëtas eſſe intellectu difficiliores quàm Hiſtoricos: Oratorum verò difficultatem multis partibus ſuperare. Ex quo fit, vt ſi quos in Poëtica dictione labores ponimus, ij faciliorem nobis aperiant viam ad hiſtoricos, multóque magis ad Oratores, intelligenter peruolutandos. Nec profectò vtilitates prætermittendæ ſunt & opportunitates, quæ poëticæ propriæ videri ſolent; immo verò inter primarias ſunt recenſendæ, ac toto pectore amplectendæ. Ea enim eſt facultas hæc noſtra, vt inde mirificè iuuemur ad Poëmata ipſa, quantumuis eorum varietas permagna ſit, ſcienter vtilitérque tractanda. faciliùs namque in tanta Poëmatum varietate, ſiue fabulæ genus imitationíſque rationem, ſiue ſententiæ elocutioníſque characterem ac formam, ſiue metrorum vim ac numerorum, ſiue τὸ πρέπον, ac mores denique, ſtylum, artificiúmque vniuerſorum dignoſcimus. Ex quibus etiam fit, vt Poëtas ipſos acutè diiudicare, & quid quiſque valeat, quibus vel artis vel exercitationis vel ingenij Naturæque præſidijs inſtructus fuerit, cernere liceat. Atque hinc tandem, ne inter ſpectatores numeremur ſemper, optimos Poëtas carmine æmulamur & imitamur, poëmata pangentes ipſi quoque ac pertexentes. Ad extremùm ex cæteris artibus atque doctrinis certũ quæque vſum habet; Grammatica vt emendatè loquaris; Hiſtoria vt perdiſcas memoriam vetuſtatis: Rhetorica vt ad fidem dicas appoſitè: Dialectica vt diſſeras probabiliter, &, vt dicam paucis, rebus ferè ſingulis opportunæ ſunt ſingulæ. Poëſis res multas ac magnas cõtinet: quò quò te verteris præſto eſt; quicquid mediteris, opportuna & tempeſtiua. Itaque non aqua, non igne pluribus in rebus vtimur quàm poëſi. Memini me aliquando nobile atque adeò regium theatrum ingredi, in quo Poëſis egregio expreſſa opere ac magnifico cerneretur. Hæc Reginæ inſtar in ſublimi conſidebat ſolio, regio ſceptro, diademate, purpura præterea, auro, gemmíſque conſpicua; ſed egregia in primis forma ac ſpecie, in qua ſummum decus elucebat, admirabilis dignitas, incredibilis pulchritudo. Hanc circumſtabant puellæ aliquot ac matronæ, honeſta illæ quidem forma & liberali, ſed quæ tamen Reginæ illi venuſtate plurimũ concederent ac dignitate. Hæ igitur certatim Reginæ roſas floréſque ſuauiſſimos, aurũ gemmáſque pulcherrimas, offerebant, quibus adhuc illius diadema & caput exornaretur, ac regiæ maieſtati nouus nitor ac ſplendor adiungeretur. Ita ſanè Poëſis omnium quótquot ſpectatum admitterentur, oculos mirificè capiebat, delectabat, recreabat. Quæ cum ita ſint, quis non facilè animaduertat, Poëſim eſſe liberalium artium doctrinarúmque reginam? nam quæ illi famulantur ſiue puellæ ſiue matronæ, eſſe Hiſtoriam, Eloquentiam, Aſtrologiam, vno verbo, liberalium artium ac diſciplinarum chorum, facilè, vt opinor intellexiſtis.

Sed o me miſerum: dum enim pulcherrima detinet me Poëſis Imago, atq; illius recordatio ſuauitatis, ingentes audio clamores noſtræ huic Reginæ inſultantes. Sed quæſo clamores iſtos ac voces tantiſper audiamus.

Cur obſecro priſci illi ſapientes pronuntiarunt, Sirenes prætereuntium aures permulcere quidem, ſed eos tamen ad naufragium adigere? Cur ſapientiſſimum Græcorum Vlyſſem iſtarum cantus obſtructis auribus præteruectum ferunt, vt ſe ſocióſ-

que

que ſubtraheret naufragio? eo, eo inquam, hæc protulerunt conſilio, vt mortales admonerent, poëtarum carmina & cantus eſſe illecebram iuuentutis, morum corruptelam & peſtem: nec poſſe illis hominem præbere aures, atque animos adiungere, quin morum virtutiſque naufragium conſequatur. Declarant hoc ſatis fœdi Lyricorum amores, qui a Græcis poëtis ad Latinos, ab his ad Italicas gentes exteráſq; nationes multas, maiore ſemper cum obſcœnitate pernicieque manarunt. Declarant Comicorum ſiue noſtrates velis atque recentes, ſiue exteros & antiquos percurras, ſcurriles ioci ac turpitudines. eò enim multorum prouecta eſt licentia, vt ad omnem dicacitatem & impuritatem nacti & ficti videantur. Itaque minimè mirum videri debet, turpes ſcenæ dicacitates ac iocos orcheſtras & caueas, ſed quid dico caueas? vrbes complere totas. Nam Tragicorum ſæuitias & proditiones, ne dicam carnificinas & immanitates, horrendum quid inſonare auribus, ac fictis etiam inſidijs viam communire ad veras, nemo non fateatur. Denique Epicorum carmen ſuperſtitioſis deliramentis atque anilibus ſæpè fabulis eſſe pleniſſimum, paſſim etiam facta incredibilia ac portentis ſimilia canere, & ſummatim poëmata iſta omnia mortalium animos ſupra quàm ferri poſſit permiſcere ac perturbare, compertum eſt. Sic ſanè Poëſis vlcus eſt tota ac venenato melle infecta. Quapropter ſapienter, vt ſæpè ſolet, vertex ille Philoſophorum Plato, poëtas iuſſit a ſua Rep. exulare, ac τραγικώτατον καὶ ποιητικώτατον Homerum coronatum dimiſit: lauream illi ſine dubio detracturus, atq; in extremas vſque inſulas eum amandaturus, niſi Græcorum, quos poëtarum Homeríque maximè præſtigijs delinitos intelligebat & occupatos, inuidiā veritus eſſet. Sed quid moror? egregia Regina iſta quàm calamiſtrata incedat ac picta, quàm ſpiret laſciuiam vndique & libidinem, quàm huc illuc procaciter conijciat oculos, & cantus, vt incautos alliciat decipiátque mortales, nemo non experitur. Vt mihi quidem videatur petulantis meretricis ſpeciem veriùs referre, ac dignior quæ ab honeſtarum illo puellarum matronarúmque, hoc eſt diſciplinarum, choro excludatur, quàm Reginæ mereri nomen ac ſedem.

Audiſtis, opinor, accuſationem, atque eam ſanè grauiſſimam, ſed calumniæ tamē plenam, quæque facilè in authoris récidat caput. Ac primùm videre, Auditores optimi, quæ & quanta ſit aduerſariorum iniquitas & fraus. Poëtarum princeps Homerus Sirenarū introduxit fabulam: hanc ſubinde Poëtæ alij cecinerunt & carmine nobilitarunt ſuo: & erunt qui Sirenas naufragio infames quod mortalibus perpetuò moliuntur, poëtas ipſos deſignare affirment? quaſi verò ſibi illi inuidiam conflare ac ſuo Muſarúmque nomini infamiam inferre molirentur. Quanto æquius cum vitis doctis, id quod eſt, confeſſi eſſent; nimirum Sirenis meretrices, quippéque blāditijs ac dulcium lenocinio verborum amantes delinirent & caperent, eoſdemque ad fortunarum, honoríſque naufragium, impellerent; deſignati & commonſtrari? Atque has ſanè obſtructis auribus declinauit Vlyſſes: has poëtæ Vlyſſis exemplo declinari a nobis iubent ac deſeri. Neque verò ob inſanos Lyricorum quorundam amores & obſcœnitates culpanda eſt Poëſis & explodenda: ſed ij culpandi explodendíque, qui per ignauiam & intemperantiam abutuntur Poëſi: alioquin diuitiæ quoque, corporis robur, pulchritudo, quin eloquētia, rei militaris ſcientia, artes denique doctrinæque omnes culpandæ & explodendæ ſunt, cū ijs etiam interdum abutātur mortales. Atque id planè ipſum de dramatico Poëmate, quin de Epico etiam, iudicandum, ſi quando a virtutis norma deflectant: ijs enim non ars quæ caſta eſt & ſolers, ſed artificis ſiue laſciuia & improbitas, ſiue inſcitia & ſuperſtitio, apud probos viros & ſapientes conflauit inuidiam. Quocircà non ſtatim ego Platoni aſſentirem, niſi arbitrarer, eum non tam arti ac Poëſi, quæ per ſe optima eſt, quàm artificum poëtarúmq. multorum petulantiæ & improbitati fuiſſe infenſum, atque in primis vehementiore Poëtarum illorum imitatione, quæ reuera moderatione egeret plurima, permotum & exaſperatum Reipub. timuiſſe ſuæ. Sic ſanè vbi moderationem adhibueris poëſi, atque ita adhibueris, vt ornata quidem incedat & culta, non laſciua; feſtiuitatem ſpiret & iucunditatem, non libidinem; alliciat etiam, ſed ad honeſtam voluptatem & hilaritatem alliciat, nihil erit cur Poëſim cum meretrice conferas atque honeſtarum illā puellarum choro regiáque ſede arceas: ſed morum emendatricem vitæque magiſtram optimam eſſe fatearis, ac toto pectore colas, diligas, amplectaris.

Quod

Quod cum ita ſit, iam ad Ariſtoteleæ Poëticæ monumentum alacriùs noſtra deſcendet oratio. Etenim illud mihi videor tutò ac veriſſimè affirmare poſſe, in hoc monumento admirabilem Ariſtotelis induſtriam ac ſolertiam elucere, ita vt quantùuis magnus hic author in cæteris diſciplinis maximè excellat, ac ſummi ingenij commendationem & laudem apud omnes inuenerit, in hoc tamen accuratiſſimus ac ſolertiſſimus, ſibi denique ipſi ſimillimus, appareat. Quamquam illud etiam ingenuè fatendum eſt, Auditores, cum admirabili illa præceptorum copia ac varietate, parem ferè difficultatem atque adeò obſcuritatem coniunxiſſe. Is enim eſt Ariſtoteles, qui quicquid fermè ſcribit, id ingenioſè quidem ac doctè, ſed laconicè tamen ac preſsè, dicam planiùs, conciſa breuitate ſcribit: quaſi verò ſegnes arcendos longiùs, ingenioſos contra excitandos & inflammandos, ac ſummatim ſibi tantùm ſuiſque ſimillimis canendum putauerit.

Hinc videas ſummorum virorum, quótquot per breuem hunc libellum interpretati ſunt, ingenia mirificè ſemper exercuiſſe: non rarò etiam diſſidentibus mutuóque confligentibus ſententijs implicaſſe. Etenim compertum eſt Franciſcum Robortellũ Vtinenſem; mox etiam Vincentium Madium Brixianum, nobiles ſanè ac variæ literaturæ viros, ſic Ariſtotelis Poëticam ex hoc ipſo loco priùs, tũ publicis literis & cõmentarijs vnà cum Bartholomæo Veronẽſi explanaſſe, vt Mutinenſi interpreti, Petro Victorio, Alexandro Piccolomineo, Antonio Riccobono, diſſentiẽdi etiam, ac nouas ſæpè interpretationes excogitandi ampliſſimum locum reliquerint. Vt Minturnos, Scaligeros, Patritios, Mazzonios alióſque multos pręteream, qui etſi alio ſcribendi genere delectati, Poëticis Ariſtotelis præceptionibus, quaſi nouas ſemper tenebras in eis offenderent, aliquid lucis afferre conati ſunt. Certè Franciſcus Patritius tam multa nouauit in Poëſi; tam frequenter a Madio ac cæteris explanatoribus illis diſceſſit, vſq; adeò varias eorũ opiniones & interpretationes exagitauit, vt veriùs (ſi ei credas) operã illi ſuam luſiſſe, quàm poëtica Ariſtotelis decreta illuſtraſſe dicendi ſint.

Haud itaque erit cur Florentiſſimi Patauinæ Academiæ Auditores mirentur, ſi me quoque ſenſerint ex hoc ipſo loco eundem Ariſtotelis librum explanandum, nec ſemel tantùm, ſed iterum, ac tertiò, ſi opus fuerit, dilucidandum, ſuſcipere. etſi enim non ego iſtorum conatus atque vigilias ſperno, quin mirificè probo ac laudo, imò verò earum authores quippe eloquentiæ ac doctrinæ gloria claros, ac de ingenuis doctrinis egregiè meritos, in oculis fero; veruntamen (vt ingenuè fatear) haud omnino futurum deſpero, vt ampliſſimum quoque campum nobis reliquerint, in quem nõ ſine auditorum meorum iucunditate, ſpero etiam fructu & vtilitate, noſtra excurrat oratio. Ac profectò, Auditores, multa ſunt, quæ princeps ingenij ac doctrinæ Plato cũ alibi ſæpè, tum in Phædro, & in libris de Repub. de poëſi nobis præcepit: quæ cum exinde Ariſtoteles partim vſurpauerit ac pro ſuis vſus ſit, partim etiam de more oppugnarit ac repudiarit, operæpretium ſanè feciſſent Peripatetici interpretes, ſi ea diligenter expendiſſent, mutuóque contuliſſent. Multa quoque ſunt quæ Græcus Platonis interpres Proclus, Plutarchus item atque alij quidam veteres, ijdémque nobiles authores, de Poëſi vltrò citróque diſſerunt, quæ ab Poëticæ ſtudioſis magna cum vtilitate ac dignitate agnoſci & cum Ariſtotelicis decretis coniungi & poſſunt & debẽt. Denique dum Ariſtoteles de Poëſi in vniuerſum præcipit priùs, mox ſigillatim diſſerit de Tragœdia, paulò poſt de Epopœia, ac tandem ad Comœdiam, ac ſi quod eſt aliud poëmatis genus, ſe comparat: dúmque interim cæteris non facilè aſſentitur, ſed de more obſiſtit, ac mira in primis breuitate & ſubtilitate diſputat, incredibile profectò eſt, quàm multas & graues nobis controuerſias ac dubitationes obiecerit, in quibus explanandis noſtra vtiliter deſudet induſtria. Sic ſanè quam cæteri interpretes Ariſtotelis dictionem declarant copioſè hanc nos quoque, nehoneſtum laborem ſubterfugiamus, ac rei benè gerendæ occaſionem amittamus, non indiligenter, quantum tamen patietur ingenij noſtri tenuitas, examinabimus & dilucidabimus ac ſimul quas iſti nobiles controuerſias partim ſicco pede, partim etiam clauſis oculis, prætereunt, has ipſi accuratè omnino vberiúſque tractabimus. CENTVM interim POETICAS CONTROVERSIAS afferentes, quas in eruditiſſima hac terrarum orbis ſcena explicemus, & in clariſſimorum auditorum gratiam, literarum etiam monumentis, ſi opus fuerit, conſignemus.

Verùm enimuero vt labores noſtri fœliciter cadant, & quem optamus fructum & iucunditatem vobis pariant, vnum vos horto. Auditores, nec hortor ſolùm, ſed enixè obſecro, cupidiſſimè flagito, ſummis precibus obteſtor. At quid hoc tandem? Illud, illud inquam ornatiſſimi adoleſcentes, quod veſtra ſtudia mirificè iuuare, veſtros conatus promouere, altiùs prodeſt. nimirum vt antequam huc accedatis Doctorem audituri, domi quotidie eam ipſam Ariſtoteleæ Poëticæ partem, quæ a me proximè ediſſerenda eſt, per vos ipſos diligenter agnoſcatis ac pro virili parte veſtra excutiatis, tum verò aures mihi vacuas, vacuos item animos præbeatis. Ita enim fiet, vt præparato animo ad Doctorem accedentes, mira facilitate illius præcepta ac documenta percipiatis: immo verò abditos quoſque ſenſus & grauiores quaſque difficultates intimè peruadatis animo: ſæpè etiam cum Doctore ipſo ſtrenuè multa ingenioſéque certetis. Ipſe enim (vt verè fatear) nauos induſtrióſque auditores optarim, qui vbi attentas mihi præbuerint aures, méque è ſuperiore loco dicētem alacriter audierint, mox deſcendentem percunctentur, vrgeant argumentis, laceſſant diſputationibus. Hac enim ratione excitantur auditorum ſtudia, hac acuuntur ingenia, hac effloreſcit induſtria, hac delectatio & æmulatio, quæ ſanè duo doctrinis parandis plurimum valent, gignitur & excitatur. Ego ſanè, Auditores optimi, niſi vererer arroganter aliquid de me prædicare, omnino affirmarem & profiterer, in me, ſi quid eſt ingenij aut doctrinæ, quæ ſanè ſcio quàm ſint exigua, id totum ab huiuſmodi exercitationibus eſſe profectum. Dum enim adoleſcens in hoc ampliſſimo doctrinarum theatro ac Muſarum domicilio Philoſophiæ ac Theologiæ operam darem, nihil antiquius habui, quàm vt rerum explicandarum auditionem diligenti commentatione anteuerterē; mox Doctori attentiſſimas planè aures & vacuas darem; ad extremùm cum peroraſſet, multa de eo ſciſcitarer, aliqua etiam obiicerem, & moderata contentione vrgerem ac diſputarem. Ita ſanè rudem linguam, exile impolitúmque ingenium, inexercitatam memoriam, acuebam, excitabam, perpoliebam, excolebam. Hoc igitur eſt, quod in meis auditoribus exopto, atque a vobis ſummis precibus contendo ac flagito. Ita enim fore ſpero, vt nec vos temporis, nec me laboris, vnquam pœniteat. Alioquin quemadmodū nec fruges colligit agricola, qui terræ cultura ſationē non anteuertit: nec tutò curſū intendit nauta, qui ventorū haud captauerit opportunitatē: nec ſanitatē recuperat ægrotus, qui non benè præparato pectore hauſerit medicinam; ita nec optatos doctrinarum fructus colliget adoleſcens qui ad Doctorem imparatus accedat, ac nulla quaſi cultura animi ſationem anteuertat. Nam hoc planè ipſum, imparatum inquam in poëtica præcepta ac myſteria proſilire, eſſe *ἀνίπτοις ποσὶν ἀναβαίνειν, ἢ ἀμύτοις χερσὶν τοῖς ἁγίοις ἑαυτοὺς ἐπιτάγειν*, illotis inquam pedibus ingredi, aut profanis manibus ſe immiſcere ſacris, veteri ſanè prouerbio ac recepta multorum teſtificatione compertum eſt.

Quamquam meliora de vobis ominari iuuat, lectiſſimi Auditores: quin etiam optima quæque de vobis ſperare ac prolixè omnibus polliceri. Iam enim intueor frontem, oculos, vultus, mira in vobis alacritate incenſos: animos ipſos nobili ac generoſa cupiditate inflammatos; ac paratos inprimis ad propoſitos labores ſuſtinendos omnes, vigiliis parcendum nullis: vt excitatam de vobis expectationem non cumulatè ſolùm expleatis, ſed longo interuallo ſuperetis. Atque hac ſanè ſpe & cogitatione erectus ipſe ad receptum Ariſtoteleæ Poëticæ munus, quod fœlix fauſtúmque ſit, accedam propiùs, ab inſcriptione, vt par eſt, initium interpretandi faciens.

DIXI.

ORA-

ORATIO OCTAVA.

De Heroici poematis vtilitate ac dignitate.

Cum poſterior Ariſtoteleæ poeticæ pars, in qua de Epopœia diſſeritur, explananda eſſet.

Habita Patauij III. Non. Nouemb.

QVintus labori noſtro atque huic docendi muneri acceſſit annus. In quo ſanè, Auditores ornatiſsimi, de Epopœia ſiue de Heroico poëmate nobis erit diſputandum: hoc eſt de eo Poëmatis genere in quo elucent optimarũ artium ſtudia: ſplendent doctrinarum omniũ virtutes: enitent humanæ diuinaéq. ſapientiæ lumina & ornamẽta. Neque enim tot Cęlum ſtellas obijcit mortalium oculis, quot Heroicũ Poëma humanis mẽtibus offert præcepta doctrinarum & exempla virtutum. Deniq; in hoc ita cõfluunt prudentiæ, eruditionis, induſtriæ præſidia omnia & monumenta, vt incredibilem hinc ſuauitatẽ haurire, ſolidas vtilitates permultas capere, honeſtiſſima & commoda & oblectamenta excipere ac referre liceat. Vt mihi quidẽ in Heroico poëmate intueri videar ſplendidum illuſtris vitæ ſpeculum, Virtutis Theatrũ, Honoris Templum, mortalitatis huius immortale perfugium & ornamentum. Sed de hac re dicam opportuniùs paulò poſt: atque ita dicam Auditores, vt facilè quiſque veſtrum ſit percepturus, Heroici poëmatis cognitionem tum diurnis nocturniſque vigilijs noſtris ac ſtudijs, tum veſtro ingenio & nobilitate atque florentiſſima hac Auditorum Corona, eſſe digniſſimam.

Nunc potiùs Adoleſcentes optimi pro ſingulari humanitate veſtra date mihi, obſecro, hanc veniam vt rerum tractandarum ſeriem œconomiámq. omnẽ vobis commonſtrem ac tanquam ante oculos ponam. ita enim fiet vt tot tantarúmq. rerũ dignitate ordinéq. perfecto, multò auidiùs, ſed intelligẽte in primis ac præparato pectore audiatis. Vt omittam omnino fore vt hinc etiam faciliùs intelligatis quale quantúmque opus aggredimur & molimur: quàm ingentem prouinciam ſuſtinemus: quàm grauis, quàm honorificus, quàm frugiferus atque iucundus futurus ſit annuus hic noſter conatus ac labor.

Ergo quatuor in primis erũt in quibus præſens deſudabit induſtria, vt vberrimi fructus laboris extent ac temporis. Ac primùm quidem arduam ac perdifficilẽ Ariſtotelis de Epopœia ſeu Heroico poëmate Diſputationem qua maximè potero diligentia explanabo ac dilucidabo. ex quo fiet vt non ſolùm de huiuſce poëſis vi, natura & partibus conſtet, verùm etiam quid ſiue a Tragœdia, ſiue a Comœdia, cæteriſve Poëmatis generibus differat, quibus rurſus cũ iiſdem conueniat, perdiſcere liceat. Quo tẽpore, quoniam Epopœiæ ingens cum Hiſtoria ſimilitudo & affinitas intercedit, ac propterea dum mutuò ſibi reſpondent, nos de illarum tum ſimilitudine tum diſcrimine prolixè admonendos cenſuit Ariſtoteles. dabo operam, Auditores, vt Hiſtoriæ quoq; ſcribendæ leges atque præcepta curſim ſaltem ac breuiter agnoſcatis.

Tum verò, quoniã de Epici poëmatis dignitate atque natura nõnihil a Platone diſſidet Peripateticorũ princeps, proindéque dum hic Tragœdiæ, ille contra Epopœiæ, tribuit principatum, Academici cum Peripateticis grauiter altercantur, vniuerſam Platonis doctrinam atque ſententiam in hoc argumento grauiſſimo proferam, & cũ Ariſtotelica comparabo: fortaſſe etiam, ſi videlicet id res poſtulare videatur ac locus, vtram ſententiam libentiùs amplectar ac ſequar, ingenuè pateſaciam.

Et quia his expeditis & cognitis nihil iucũdius aut optatius cõtingere poterit poëticæ Artis ſtudioſis, quàm ſi Heroica Platonis Ariſtoteliſq. præcepta in Epicis poëtis agnoſcantur, in primis verò cũ Homero quẽ ſibi authorem ac Ducem propoſuit Ariſtoteles, coniungantur, hac de cauſa Epica præcepta in ipſo Homero accuratiſſimè requiram, & ad vtrũque illius poëma quoad eius fieri poterit conformabo. Quãquam non ita Homericas virtutes ac laudes requirã ac conſectabor, vt Virgilij, quẽ admira-

bili grauitate ac ſuauitate pleniſſimũ eſſe conſtat, iudicium virtutéſque contemnam, quin potiùs has vt par eſt in mediũ afferam, ac veluti tabulam benè pictam in optimo lumine collocabo. etenim vehementer optarim vt a vobis Auditores præſtantiſſimi diligenter ſpectētur, neque enim fieri poteſt vt qui ad poëſim ficti ſint, eas ſine incredibili voluptate contemplentur; imò verò vt illas ſine ſatietate ſuſpiciant & admirentur neceſſe eſt.

Ad extremũ ne noſtrates poëtas contemnere videamur, ac dum Græci de Græcis Latini etiã de Latinis tam honorificè loquuntur, nos contra quaſi inuidi de Italicis ſileamus, ea continenter attingam & indicabo quæ in Italicis Poëtis, præſertim verò in admirabili ac propè diuino Torquati Poëmate cõtinentur; Heroica decora & ornamenta, quæ etiam, vt ſi quomodo poſſim noſtro huic operi tanquam Colophonem pulcherrimũ imponamus, cum Virgilianis atque Homericis, quantũ tamen loci huius authoritas feret ac dignitas, coniungã & comparabo; ac tandẽ, aliquando cui Princeps Heroicæ Poëſis laus ac palma debeatur, pro virili parte mea demõſtrabo. Atque eodẽ ſanè tempore Ariſtotelem nobis audire licebit de Poëtarum accuſationibus & excuſationibus diſſerentẽ: vt enim poëtis Homeróq. in primis patrocinetur, mirũ eſt quàm ſubtiliter & acutè vias nobis omnes atq; rationes oſtendat, quibus poëtas tueamur, quæque illis obijci ſolent crimina & argumenta diſſoluamus.

Hæc ſunt in quibus hoc anno verſabitur noſter labor: hæc in quibus noſtra deſudabit induſtria. Quæ cum ita ſint, iam vt vnde diſceſſimus, hoc eſt ad ſuum illa caput, noſtra recurrat oratio, optimè animaduertere licebit, Clariſſimi Auditores, quã multa & varia, quàm egregia & illuſtria, quàm ardua & recõdita ſint nobis hoc tempore verſanda, explicanda, illuſtranda. Nihil enim liberalium artiũ ſtudijs continetur, nihil in optimorũ Philoſophorum curriculis agitatur, aut ſapientũ cõmentatione & lucubratione profertur; dicam planiùs, nihil Cœlo, terra mariq. ab Vniuerſitatis authore Deo mortalibus ſpectandũ proponitur, quod non interdũ a ſummis eiuſmodi Poëtis attingatur, ac veluti in pulcherrimũ Theatrum nitidiſsimis coloribus expreſſum referatur. Quapropter vtinam in tam graui munere & argumento par nobis ingenium afferre liceret, paribus doctrinæ & eloquentiæ viribus nobiliſsimũ hunc campũ excurrere. Fore enim ſperarẽ, vt nec mihi ſtudiũ attentióq. veſtra, nec etiã plauſus frequentiáq. deeſſet, nec vos vnquã ſuſcepti laboris pœniteret ac temporis. Sed vt ſpero ingenij mei nauicula aſsiduis conatibus tanquã ſecundis flatibus concitabitur, ac veſtræ tandem beneficentiæ aura ad optatum portũ fœliciter prouehetur. Atque hac planè erectus ſpe alacri animo ſoluere, ac pelago ratem cõmittere non dubitabo. Ita ſanè dum Homeri Virgiliíque interpretes ac ſectatores, atq; hi quidem non Ethnici ſolum verùm etiã Chriſtiana fide imbuti arcana myſteria ex iſtorum carminibus depromere audent, ita vt non rarò diuinos ſenſus attingere, ac ſummatim (vt cũ Tertulliano loquar) Theologari ſoleant, ipſi etiam Theologabimur. Dum rurſus in iiſdem abdita naturalis philoſophiæ decreta obſeruant ac notant in quibus philoſophari neceſſe ſit, philoſophabimur. Quod ſi etiam Ciuilis prudentiæ præcepta atque humanę vitæ officia in eis celebrant & proſequuntur, ita vt πολιτικώτατοι videri poſſint, nos quoque πολιτεύομεν ac Ciuilis ſcientię documẽta proſequemur. Denique ſi Aſtrologorum ſpatia, ſi Hiſtoricorum campos, ſi Rhetorum curricula, excurrere ſolent ac peragrare, excurremus ſanè ac peragrabimus. Nam de ipſomet Epici Poëmatis texendi artificio quò maximè noſtra ſpectat induſtria, nihil attinet dicere: hoc enim ſic proſequemur & explanabimus, vt tum fabulæ, morum, ſententiæ, dictionis, tum verò Epiſodij, Exodi cæterarúmque partium diligens ratio habeatur: atque omnia laudatiſsimorum Epicorum exemplis illuſtrentur & confirmentur.

Neque verò eſt quod Tyrones interim, ſi qui adſunt, quicquã commoueantur, ac non alacri celſóq. animo in hanc arenam deſcendant: etſi enim in priore Ariſtotelę Poëticæ parte, quã ſuperiore anno explanauimus, hoſpites videri poſſent ac peregrini, curabimus tamen vt ipſi quoque ex noſtris laboribus vberrimos fructus percipiant. Dum enim Epici Poëmatis definitio atque natura declarabitur, tũ Poëſis vniuerſim, tum partes ſingulæ ſeſe in conſpectum dabunt. Denique breuior eſt Epica Ariſtotelis diſputatio quàm vt vllis nos tẽporis concludat anguſtijs. Quid igitur prohibeat quominùs Epopœiam definientes, & cum Tragœdia (id quod iamdiu ſignificare cœ-

petam)

peram) Poëticíſque formis reliquis, vt par eſt, comparantes, cum poëſim in vniuerſum, tum ſingulas illius formas ac partes adumbremus? Sed quid dico adumbremus? imò verò ſuis illas coloribus atque luminibus exprimamus & illuſtremus? Ita quidẽ hoc anno benè iuuãte Deo veluti claſſicum canemus, quo & veterani & tyrones vno eodémq. tempore excitentur. Sed quid moror? aut cur longiore procemio vtor? An non lectiſſimos atque ornatiſſimos Adoleſcentes intueor ad propoſitũ curſum, hoc eſt ad Virtutis & Gloriæ metam, cum per ſe tum noſtra oratione mirificè incenſos & inflammatos? Age dum igitur in arenam omni cunctatione abiecta deſcendamus, & Epicorum atque adeò Poëtarum omnium Magiſtrum docentem audiamus. Niſi tamen iubeatis (iam enim ſat ſentio) inſequenti diei ſcholæ ad integrum reſeruari. Qua in re equidem non grauatè obſequar vobis Auditores optimi; ea tamen lege vt proximo die & frequentes redeatis, & attentas mihi aures, & alacres animos, quæ veſtra eſt humanitas præbeatis.

ORATIO NONA.

In qua tum Ariſtoteles inter res iucundas Conſuetudinem referentis confirmatur priùs mox exagitatur opinio.

Tum ad extremum Petro Duodo Vrbis Præfecto, qui inopinatus Patauinum Gymnaſium adierat & Rhetoricæ ſcholæ interfuerat, gratiæ aguntur.

QVæ nobis hodierna die in eloquentiæ curriculo offert Princeps Peripateticorum Ariſtoteles, ea ſanè dicendo perſequar hoc tempore. Tametſi, vt verè fatear. Præfecte Illuſtriſſime ac ſapientiſſime, non poſſũ non magnopere commoueri atque intimis ſenſibus perhorreſcere, cũ intelligam te præſente actum mihi ſpectante Roſcio agẽdum eſſe. Sed tamen illud me recreat atque ſuſtentat, quòd ſat ſciam parem in te cũ doctrina & ſapientia humanitatem ac morum facilitatem eſſe coniunctam. Itaque tua in primis humanitate fretus in arenam deſcendam.

De voluptate iucundíſque rebus diſputationem inſtituerat Ariſtoteles, cuius cauſa varias ac multiplices rerum iucundarum formas ac genera commemorare cœperat. Inter quæ illa iam refert, quibus aſſueſcimus, quæque conſuetudine terimus & vſurpamus. imò verò conſuetudinem ipſam inter ea numerari, ac iucundam haberi iubet. Hinc ampliſſimũ nobis dubitandi locũ ac veluti campum aperit, in quẽ noſtra excurrat oratio, etſi enim multis ac magnis argumentis confirmare liceat Ariſtotelicũ hoc decretum, multis tamen rurſus labefactari poteſt, ac funditus quaſi proſterni. Verùm agedum obſecro rationes afferamus quibus Ariſtotelis ſententiam pro virili parte confirmemus, tum verò aduerſarias ſubijciemus, atque vtriuſque momenta, ſi per tempus licuerit, expendemus.

Ergo res quæ conſuetudine teruntur & vſurpantur atque adeò conſuetudinem ipſam inter res iucũdas eſſe numerandas inde primùm ſuaderi poteſt ac doceri quòd conſuetudo ſit altera Natura, id enim ita in confeſſo eſt apud omnes, vt penè abierit in prouerbium. cum igitur ea quæ fiunt, Natura duce ac ſecundum Naturã iucunda ſint, ſanè quæ conſuetudine geruntur, ſine dubio iucũda erunt. quid eſt enim quòd fateamur conſuetudinem eſſe Naturam alteram, ea verò quæ conſuetudine gerũtur, iucunda eſſe inficiemur, cum ea quæ a Natura proficiſcuntur, & ſecundùm Naturam geruntur, ſint periucunda? Deinde nemo non animaduertit ea quæ conſuetudine fiunt, maiore in dies cum facilitate obiri ac peragi. At quæ a nobis maiore facilitate aguntur, ea ſanè (id quod paſſim experimur) non ſine voluptate perficiuntur. Quam rem appoſitè quidem declarauit Ariſtoteles cum de virtutibus diſputaret. Etenim (ſi ei credas) ex frequentibus actibus quædam veluti propenſio ac facilitas (hanc Peripatetici diſpoſitionem appellant) ſiue animi inclinatio gignitur in nobis, vnde res arduæ minùs difficilè geruntur tum verò ex propenſione ac diſpoſitione habitus quidam exiſtit, quo muniti res difficiles etiã atq; arduas mira tũ facilitate tum volupta-

ſe peragimus, Sic miles ex frequentibus rerum militarium laboribus, ſenſim propenſiones illas & inclinationes excitat in animo, vnde habitum tandem fortitudinis acquirit, cuius præſidio res arduas ſtrenuè ac mira cum facilitate aggreditur. Itaque appoſitè Flaccus,.

Anguſtam amici pauperiem pati
Robuſtus acri militia puer
Condiſcat: & Parthos feroces
Vexet eques metuendus haſta.
Vitámque ſub dio & trepidis agat
In rebus ——

ſed Virgilius in primis appoſitiſſimè exclamat,

——Adeò a teneris aſſueſcere multum eſt:

Cum igitur conſuetudo tanti referat, ac propterea Ouidius canat

——Nihil aſſuetudine maius

cúmque conſuetudo rurſus nihil aliud ſit quàm habitus quidam ex rerum gerendarum frequentatione comparatus, quis non fateatur conſuetudinem vnà cum facilitate voluptatem quoque afferre?

Ad hæc ea quæ crebro fiunt (id quod hoc in loco acutè nos admonet Ariſtoteles) parum admodum ab ijs abſunt quæ ſemper fiunt, cum igitur ea quæ fiunt ſemper, vt a Natura proficiſcuntur, voluptatia ſint & periucunda, cur obſecro ea, quæ a conſuetudine manant & crebrò fiunt, non aliquam voluptatem ac iucunditatis partem mortalibus afferent? Sed quæſo, Auditores optimi, repetite diligenter animo quas agricultura, quas venatio aut piſcatus, quas ars nautica, & (ne conſecter omnia) quas militiæ tractatio moleſtias affert ab initio & difficultates, at harum frequentatio rerũ & vſus tantam indies & facilitatem & voluptatem affert, vix vt harum artium exercitationúmque voluptates & oblectationes percenſeri poſſint. veriſſimè enim dici poteſt earum fructus & emolumenta eſſe ampliſſima: ſed oblectamenta tamen ac voluptates commodis ac fructibus nihil concedunt. Iam verò poſſum hoc in loco cum Oratorum & Poëtarum, tum verò Philoſophorum authoritate certare ac pulcherrimum Ariſtotelis decretum confirmare. Quapropter M. Tullius, qui pro Oratoribus ſatis eſſe poteſt; dum Verrem & crebras illius rapinas exagitaret, id totum conſuetudini acceptum referebat, quia nimirum adoleſcētia rapinis deditus turpiſsimis, hiſce illecebris & oblectamẽtis aſſueuiſſet. Pro Philoſophis verò inſtar omniũ Pythagoras ſit in præſentia, qui illud ſuos auditores frequẽter admonebat, Virtutem, etſi arduã, ſectandam, atque optimam viuendi rationem amplectendam: quandoquidem conſuetudo deinde moleſtias delet omnes & oblectationem affert. Atque hoc eſt quod tum Poëtæ tum Sophiſtæ olim de Hercule adoleſcente decantarunt perlungarũtq. dum eum in biuio collocarunt: cum enim eam viam iniiſſet, quæ initio puluere, ſudore, ſpinis etiam ac ſexcentis deniq; moleſtijs impediretur, paulò poſt cliuo ac monte conſcenſo, floribus omnia & voluptatibus referta. id enim acutiùs cernenti oſtendit ſatis in rebus gerendis longo vſu & conſuetudine voluptates ingentes comparari. Hæc pro Ariſtotelis decreto. Nunc pro aduerſaria ſententia, ſi placet, diſſeramus: id quod eò etiam libentiùs faciam, quòd vos Auditores optimi facilè mihi perſuadeam alteram aurem alteri parti referuaſſe.

Ac principio quidem nemo, vt opinor, qui recte ſentiat, inficietur, longiorem rei alicuius etſi alioquin iucundæ vſum facile ſatietatem gignere ac faſtidium, interdum etiam nauſeam ipſam mouere. quod tametſi ſæpe experimur, nobili tamen ac planè diuino lubet exemplo illuſtrare. Verſabatur olim Dei populus in heremo: vbi cum annonæ premeretur egeſtate, ecce tibi diuinitus manna demittitur, cuius tanta erat ſuauitas vt nihil iucũdius deguſtari poſſet. Denique quo quiſque maximè cibo delectaretur, huius ſaporem ac ſuauitatem manna illud referebat. & tamen diurnus huiuſce cibi vſus mira populũ illum cœpit ſatietas, ita vt exclamaret, nauſeat anima noſtra ſuper cibo iſto leuiſſimo. cõſuetudo igitur faſtidiũ, ſatietatem ac nauſeam gignit: tantùm abeſt vt voluptatem afferat & inter res iucundas ſit numeranda. Denique experientia cõpertum eſt varietatem mirificè delectare; ita vt ſatietati eiúſque moleſtijs varietate maximè occurramus. at varietas conſuetudini opponitur è veſtigio. quan-

tum enim conſuetudo in vnius eiuſdémque rei tractatione verſatur, tantum varietas ab vnius eiuſdémque rei tractatione abhorret. Cum igitur varietas quæ conſuetudini opponitur & ſatietati occurrit, magnam habeat voluptatem, nemo non videat conſuetudinem nullo modo inter res iucundas eſſe numerandam: ſed hanc laudem varietati quæ ſatietatis depellit moleſtias & voluptate pleniſſima eſt, eſſe reſeruandam. Illuſtrarem, Auditores, rem vniuerſam & Naturæ & Artis exemplis, niſi temporis me prohiberent anguſtiæ. illud tamen vos admonebo hanc rerum Vniuerſitatem quæ κόσμος ac Mundus ab ornatu & Munditie appellatur, nulla re magis capere intuentiū oculos & delectare, quàm varietate. vt præterea Mundus nihil aliud cenſeatur quàm rerum omnium varietas: atque inde maximè pulcherrimus habeatur, quòd admirabili rerum varietate diſtinctus eſt. quid? poteſtne mortalium oculis ſuauius quicquam accidere Solis aſpectu? at hic ob vnam conſuetudinem vileſcit ferè, ita vt tunc ſolùm aut maximè delectet, cum diu illo veluti orbati fuimus. quod maximo argumento eſſe poteſt conſuetudine deleri voluptatem aut minui, tantum abeſt vt concilietur & pariatur. nam & Oratores (vt aliquod Artis extet exemplum) & Muſicos & Pictores varietate maximè aures atque oculos capere animóſque iucunditate perfundere compertum eſt. ita vt mirum videri poſſit Ariſtotelem gignendæ voluptatis laudem ac veluti palmam conſuetudini tribuiſſe, quæ varietati eſſet tribuenda. Quãquã non eſt prætereundum tritum illud, ſed acutum tamen ac ſcitum, prouerbium, Omnia noua placent: hinc enim intelligitur conſueta obſoleſcere ac frigere, noua vireſcere ac florere: ita vt ad ea torpeamus, ad hæc aures erigamus atque animum. Natura enim comparatum eſt, vt rerum nouitate capiamur ac delectemur. itaque vt per noctem nihil præclarius ſpectari poſſit quàm ſerenum cœlum ac Noctis ipſius currus mira ſtellarũ pulchritudine decoratus, præ conſuetudine tamẽ ferè vileſcit eiuſmodi ſpectaculũ ac põpa. Et tamen ſi fortè infauſtus cometes appareat, hic propter rei nouitatem & inſolentiam quaſi res iucundiſſima rapit ad ſe mortaliũ oculos, vſq; adeò res nouæ, etſi infauſtæ, oblectant animum. Sed cogor iam hac in re ad Ariſtotelem ipſum prouocare; cui, niſi ſecum ipſe pugnare velit, fatendum eſt tandem, conſuetudinem voluptatem & affectiones omnes minuere, quin, ſi ei credas, extinguere. cum enim in pulcherrimis illis, quæ de anima ſcripſit decretis, axioma illud ac decretũ celeberrimum tulerit, Ab aſſuetis non fit paſſio ſiue affectio, ſanè fateatur neceſſe eſt, aſſiduo rerum vſu ac tractatione diuturna, vno verbo, conſuetudine paſſiones quas Peripatetici vocant ſeu affectiones animæ, cuiuſmodi eſt ſiue dolor ſiue voluptas, extingui aut minui. id quod exẽplis breuiter illuſtrari poteſt. Fac enim dux victoriã primo reportet ex hoſtibus. Fac pater primam ſuſcipiat ſobolem: fac agricola primos ex cultura reportet fructus, mira iſtorum animos ſubibit iucunditas & delectatio. Quod ſi in dies & victorias dux reportet, & pater liberos exinde alios ſuſcipiat multos, agricola etiam nouos quotidie percipiat fructus, minuetur ſanè voluptas conſuetudine: vt mirùm videri poſſit illud in mentem veniſſe Ariſtoteli vt ſcriberet conſuetudinẽ parere iucunditatem, & inter eas res numerandam & referendam eſſe quæ voluptatem delectationémque conciliant. Hæc enim gloria & palma varietati & nouitati, quæ vſui & conſuetudini è regione opponitur, iure ac meritò fuerat deferenda. Hæc ſunt quæ mihi in vtranque partem ſeſe offerebant diſputanda. Vos quæſo Auditores ingenioſiſſimi ac nobiles aduerſaria huiuſmodi argumenta illorúmque momenta diligenter expendite, méque pro veſtro ingenio ac ſolertia hærentem atque ancipiti diſtractum cogitatione, graui hac dubitatione, ſi ratio occurrit vlla, eximere ne grauemini. Tu verò Illuſtriſſime ac ſapientiſſime Præfecte, qui aduentu ac ſplendore tuo Gymnaſium hoc noſtrum illuſtrare, méque tua præſentia & amplitudine cohoneſtare non dubitaſti, ſic habeto. Mihi quidem dum te in ſubſellijs iſtis ſedentem intueor, præclarum Cn. Pompeij factum facilè in mentem recurrere. Etenim Pompeius, is qui ex tribus orbis Terrarum partibus tres inſignes triumphos reportauit, cum ex Aſia decedens Rhodũ veniſſet, nihil antiquius habuit quàm vt Poſſidonij Gymnaſium ingrederetur atq; illi attentas aures daret. Tu verò cũ varias Terrarũ partes peragraueris atque illas clariſſimis virtutibus quaſi triumphis compleueris, tandem in Patriam rediens, Patauiúmque digreſſus, nihil potius habuiſti quàm vt noſtrum Gymnaſium ſubires, mihíq. quę tua eſt ſingularis humanitas attẽtas præberes aures.

Qua in re eò maior quàm Pompeio tibi debetur laus, quòd Pompeium peruulgata Poſſidonij ſapientia ac ſumma dicendi virtus facilè allicere potuit; te virum eloquentiæ doctrinarúmque laude cumulatiſſimum ingenij mei tenuitas ac dicendi infantia deterrere quidem, allicere certè non potuit. Niſi tamen illud te permouit, Eques ſplendidiſſime, quòd facilè perſpexiſſes meum erga te ſtudium & obſeruantiam ſingularem: denique non ignorares quantopere virtutes tuas ac nominis prædicationem vel colerem vel admirarer. Et ſanè olim ego adoleſcens te adoleſcentem admirabar ac ſumma beneuolentia complectebar, cùm Patauinum Gymnaſium ſic frequentares ac celeberrimos doctores audires, vt nemo non ingenii tui magnitudinem agnoſceret; nemo tuos in Eloquentiæ Philoſophiæque curriculis progreſſus non admiraretur. Sed & ipſe vir te virum ſuſpiciebam, cum audirem, ſæpè etiam cernerem, te varia eáque grauiſſima Reipublicæ munera ſic obire vt non modò ætatem verùm etiam omnium opinionem, quantumuis egregiam ac nobilem, factis quam longiſſimè ſuperares. Ad extremum ſenex factus, te iam ferè ſenem non ſine ingenti lætitia & voluptate & admiror & ſuſpicio: video enim te incredibili cum dignitate non Allobroges ſolùm & Gallos, verùm etiam Sarmatas, Germanos, Britannos clariſſimis legationibus perluſtraſſe, Apoſtolicam ſedem ſemel atque iterum adiiſſe, denique ad Gymnaſium hoc noſtrum vel potiùs tuum rediiſſe, vnde tuæ eloquentiæ ac ſapientiæ initia & fundamenta ieceras adoleſcens. Qua in re tu quidem, Præfecte ſapientiſſime, cœleſtium luminum principem, aut ego magnopere fallor, imitaris. Vt enim ſummus hic luminum cœleſtium princeps, Sol inquam, ſic terrarum decurrit plagas, ſic ſtelliferi orbis illuſtrat ſigna, vt eò tandem redeat vnde nouum mortalibus aperit annum, ac terras floribus ac fructibus complet; ita tu plurimis terrarum regionibus decurſis, ac regiis vrbibus variis quaſi ſtelliferis ſignis tuarum ſplendore virtutum illuſtratis, Patauium rediſti, vt hinc rurſus Patauinæ Academiæ & Ciuitati nouum eúmque lætiſſimum aperires annum, in quo tuarum virtutum & flores lætiſſimos & fructus ſuauiſſimos caperemus. Et quidem cum tu, Præfecte Illuſtriſſime, non exiguam induſtriæ tuæ ac prouidentiæ partem in militares ordines deriuaueris, atque hos pœnis multò verò maximè præmiis ad bellicam laudem excitaris, poſtulabat ſanè ratio vt parem ſtudii ac beneuolentiæ partem doctrinarum artibus ac Muſis transmitteres; téque, quemadmodum armorum præſidium & decus, ita Togæ columen & ornamentum oſtenderes. Denique fortes creantur fortibus. itaque cum tu è ſtrenuiſſimo ortus ſis patre atque imperatoria laude clariſſimo (quis enim neſciat fœliciſſimam, quam ſuperiore ſæculo ex communi hoſte maritimo certamine victoriam retulimus, quinqueremibus, quibus Franciſcus Duodus pater tuus fortiſſimus imperabat, acceptam eſſe referendam?) fuit ſanè vt quoad pateretur occaſio & locus, eius induſtriam (quod ſanè & feciſti & facis egregiè) ac virtutem imitareris. Vt mihi quidem ad Patauinam Præfecturam tanquam ad veteris parentis ſtationem diuertiſſe videaris, Sed tamen illud etiam tibi erat præuidendum & enitendum, vt quæ ab ineunte ætate ſtudia atque inſtituta coluiſti, quibúſque tanquam gradibus ad ſummos honores aſcendiſti, hoc eſt Togæ Paciſque décora & monumenta, ornares, excoleres, illuſtrares: denique Patauinam Academiam, hoc eſt amores ac delicias tuas, præſentia, ſtudiis, authoritate cohoneſtares: ídque ab eloquentiæ Gymnaſio in quo tuæ dignitatis ac ſapientiæ initia ieceras & fundamenta, facto initio. Vt enim eloquentia aliud nihil eſt quàm copiosè & ornata loquens ſapientia, ita hanc in primis tibi excolendam duxiſti dum pro tua Republica perpetuum quendam legationum veluti curſum apud Reges ac Pontifices ſummos obires.

Quapropter quemadmodum ſingularem prudentiam humanitatémque tuam non poſſum non commendare, ita pro immortali hoc beneficio immortales tibi gratias ago: ídque non meo tantùm verùm etiam florentiſſimæ huius nobiliſſimæque iuuentutis nomine: quæ ſanè quantum ex illius frequentia, vultu, plauſu, veneratione perſpicio, cum tuo aduentu mirificè lætata eſt atque animi tui magnitudinem comitatémque toto pectore amplectitur, tum omnia tibi fauſta fœliciáque precatur.

DIXI.

Digitized by Google

ORATIO DECIMA.

Dum Ariſtotelis Rhetoricam explicandam ſuſceperit.

Patauini Gymnaſij primùm, tum Ariſtotelis, ad extremum Præſidum continet laudes.

Patauij Habita Non. Nouemb. Anno CIↃ. III.

REdeunti mihi ſuperiotibus menſibus ad hanc Vrbem celeberrimam, atque ornatiſſimum hoc pulcherrimúmque Sapientiæ Theatrũ ac domicilium frequenter adeunti, & illius Doctores cupidiſſimè audienti, cum alia multa vehemẽter probata ſunt, tum illud in primis, ex quo, vt verè fatear Præſides Illuſtriſſimi, vóſq. cæteri Auditores natiſſimi, incredibilem voluptatem lætitiámque percepi. quòd ſanè quoniam ab inſtituto hoc noſtro haud alienum eſſe duxi, exponere ac patefacere non grauabor.

Ergo cum ſeptimo ac vigeſimo ab hinc anno hanc mihi doctrinarum ſedem, hoc bonarum artium domicilium, elegiſſem, in quo Philoſophiæ ac Theologiæ ſtudia, quibus Romæ primùm tnm Bononiæ operam dederam, abſoluerẽ, atque in eloquentia interim, quam adoleſcens non nihil colueram, exeroerer; dici vix poteſt quàm grauiter affectus atque commotus ſim. Etenim videbam Gymnaſij huius doctores de præceptis doctrinarum ita ſolicitos eſſe, atque in Theologię, Iuriſprudentiæ, Philoſophiæ, Medicinæ denique ſtudia ſe vſque adeò abdidiſſe, vt de eloquentia, cum reliquarum artiũ ſtudijs coniungenda non modò non cogitarent, verùm etiam, ſi ternos fermè aut quaternos exceperis, barbaries quædam (inuitus dicam Auditores) eorum orationem propemodum infuſcaret. Quid plura? vſque adeò rerum non verborum, doctrinæ non orationis, ſapientiæ non eloquentiæ, ardor illos inuaſerat, vt cum ipſe inter Theologiæ magiſtros vnum Hieronymum Quainum inueniſſem, qui dũ ſacra diuinorum oraculorum myſteria panderet ac reſeraret, eloquentiam adamaret ac ſectaretur, hunc mihi Doctorum quaſi Deum quẽdam proponerem quem ſedulò audirem, ſequerer, colorem, imitarer. ſic ſanè huic diligenter operam dedi triennio toto, donèc importuna peſtilentiæ vi Bononiam aufugere, mox etiam ad Vrbem remigrare, coactus ſum.

Sed cum ſuperioribus menſibus (vt dicebam) Patauium rediiſſem, interimq. officii cauſa ad huius Academiæ Doctores audiendos itarem, ac quantum etiam dicẽdo poſſent pro virili parte mea attenderem, animaduerti equidem pleroſque illorũ talem ac tantam orationis elegantiam & vbertatem cum doctrina coniunxiſſe, vt tam magnam dictionis commutationem non potuerim non magnopere admirari. Audiebam enim aliquos ſic Ius ciuile interpretari aut cæterarum artium præcepta tradere, vt me quidem orationis munditia delectarent, tenerent elegantia, vbertate, dicendique virtute allicerent & caperent. Quæ res, cum in Doctoribus multis nõ modò ſemel ſed iterum ac tertiò id eſſem expertus, ſempérque illos ſui ſimiles, hoc eſt diſertos ac perpolitos, offendiſſem, effecit ſanè vt incredibilem quãdam voluptatem (id quod ab initio dicere cœperam) lætitiámq. perciperem, atque excellens einſmodi bonum Doctoribus, Academiæ, Ciuitati, denique vniuerſæ mirificè gratularer. Sed o præpoſteram gratulationem, o fluxas futiléſque voluptates, o lætitias inanes meas, quod enim antea ſummæ fuit mihi lætitiæ cauſa, ac Patauinos Doctores Ciuéſq. omnes quorum in me beneuolẽtiam & humanitatem perſenſi maximam, vnicè diligenti atque in oculis ipſis ferenti, ſiue commemorare ſiue recordari fuerat periucũdum, timore. n nunc tandẽ incutere cœpit, ac ſolicitudine & metu impleuit animum meũ. Quid enim non metuam, Auditores, ac pertimeſcam, quid non tota mente, omnibus artubus, contremiſcam, cum eloquentiam in ea Academia profiteri debeam, in qua qui illam non profitentur, dicendi virtute ac laude tantopere excellunt? Huc accedit

quòd

quòd ad Gymnaſium hoc noſtrum (optimè enim id aliquãdo animaduerti) Germanorum ſæpè, Gallorum, Belgarum, vno verbo Tranſalpinorum, magnus fieri concurſus ſoleat, qui ſanè omnes & a pueris munditiam orationi adhibent. & adoleſcentes excolunt eloquentiam, quapropter non poſſum non commoueri, atque intimis ſenſibus, toto corpore, perhorreſcere, cum me facilè intelligam Auditores illos nactum eſſe, qui quemadmodum generis ſplendore ac nobilitaté, corporiſque firmitudine ac venuſtate, ita vbertate ingenij dicendiſque copia ac facultate excellunt ac florent, Quamquam illud etiam, Auditores, meum angit animum ac debilitat metu: nam cum ætatem omnem in Philoſophia (id quod lucubrationes oſtendunt noſtræ) Theologiáque conſumpſerim, eloquentiam (vt verè atque ingenuè fatear) adamaui quidem & colui, (neque enim id negare auſim) & inter ſcribendum cum ſapientiæ inſtitutis atque præceptis pro tenuitate mea permiſcui; ſed dictionem ex domeſtica ac propè vmbratili exercitatione, aut tanquam ex militari tabernaculo in medium agmen, vel certè ex Philoſophorum ac Theologorum ſpatijs ad theatra Oratorum rarò admodum eduxi: tantum abeſt vt in turbulentos eiuſmodi congreſſus clamoréſque prodierim, vbi tanquam ad fluctum mihi ſit declamandum, atque ita etiam declamandum, vt niſi huiuſce maris fremitum voce peruincere aſſueuerim, ſubſiſtendum mihi ſæpè ſit, atque in mediis conſiſtendum ſpatiis.

Illud tamen vnum me recreat, Auditores, atq; ſuſtentat, quòd & Ariſtotelis libros de Arte dicendi interpretandos ſuſcipimus, quibus ad eloquentiam nihil accommodatius atque inſtructius; & cum Ariſtotele M. Tullium coniungere & comparare decreuimus, cuius magnificum ac ſingulare orationis genus omnium implere aures ſolet; & abdita Platonis decreta de ratione dicendi tanquam è tenebris eruere & cum Ariſtoteleis Tullianiſque cõferre moliamur, quibus nihil præclarius & admirabilius fingi aut excogitari poteſt. Quapropter ſi minùs ipſe tenere aures veſtras potero ac delectare animos, tenebit ſummus dicẽdi artifex Ariſtoteles, delectabit aureus ac ſuauiſſimus Plato, mira voluptate perfundet oratorum coryphæus ac Princeps M. Tullius. Præſertim verò quòd omnino conſtituerim eximios hoſce ac propè diuinos eloquentiæ parentes atque magiſtros præclara quæque huius facultatis argumenta hoc ipſo in loco diſputantes inducere. Sed hoc opportunè aliàs.

Nunc ad vnum Ariſtotelem redeo. In quo dum ea diligenter perpendo quę ad perfectum Oratorem effingendum regiámque eloquentiæ viam patefaciendam præcepit ac ſcripſit, profectò quid ſiue ad ingenium excolendum accommodatius, ſiue ad humanæ vitæ conſuetudinem iucundius, ſiue ad Rempublicam ornandam illuſtrius, fingi aut exoptari poſſit, non ſatis video, Quamquam laudatiſſimus dicendi Magiſter atque Orator ſummus Cicero non modò incredibilem dicendi grauitatem & ſuauitatem admiratur in Ariſtotele; eundémque affirmat aureum fundere orationis flumen; verùm etiam teſtatur neminem poſt hominum memoriam inuentum eſſe, qui aut in rebus inueniendis iudicandiſque acrior fuerit: aut eloquentiæ præcepta aptiùs explicarit: aut denique maiora Rhetoricæ facultati ornamenta & adiumenta ſuppeditarit. Quid multa? Is eſt Ariſtoteles, quo, ſi M. Tullio credimus, in ſubtili illo ac preſſo dicendi genere nihil limatius, nihil grauius, nihil perfectius vidit vnquã vlla ætas, qui verborum acrimonia, ſententiarum pondere, Atticáque in primis ſubtilitate Græcis omnibus longè præſtitit: qui demum quæ ad perfectam dicendi artem pertinent & acutè vidit, & ingenioſè diſpoſuit, & perpolitè ac dilucidè complexus eſt. Quamobrem perluſtrate obſecro. Honeſtiſſimi Auditores, pulcherrimos Ciceronis libros, atque ea præcipuè quæ tam copioſè de dicendi arte conſcripſit, diligenter euoluite: atque intelligetis quàm verè illud de ſeipſo prædicarit, ſuos libros Ariſteleam maximè rationem complecti: ſéque Ariſtotelica pigmenta ac lumina in illis cõſumpſiſſe ac veluti profudiſſe vniuerſa. Quæ ſanè res eò nobis gratior accidere debet, eò ſpes cogitationéſque noſtras excitare magis, atque ad eiuſmodi ſtudia incendere & inflammare, quòd admirabilem huic doctrinæ ſplendorem perſpicuitatémque adhibuerit noſter author, atque eloquentiæ præcepta tanquam in clariſſima luce collocarit. Quapropter eſto in Ariſtotele differendi rationes ac documenta in magna obſcuritate verſentur: tenebris inuoluta ſint Phyſica ac veluti caligine circũfuſa: ambigua videantur ac tortuoſa quæ ſiue de animo, ſiue de beatis mentibus ſcripſit ac Deo: de-

nique

Digitized by Google

nique noctem quandam offuderit phyſiologiæ naturalíque Theologiæ vniuerſæ: Rhetoricam certè tam apertè ac dilucidè complexus eſt, vt in tenebris illa, hæc in meridiana luce conſcripſiſſe, ibi calamum (quod veteres prodiderunt) in mẽte tinxiſse, hîc atramentum vel potiùs nitidiſſimos colores vſurpaſſe videatur. Vt propterea magnus hic author cæterarum ſectatores doctrinarum plerunque nõ tam allicere viſus ſit, quàm arcere longiùs aut deterrere: nobis contra, quæ eius ſuit in eloquentiæ ſtudioſos voluntas optima, ſuam illam eloquentiæ magnitudinem perſpicuitate ac luce æquandam exiſtimauerit.

Sed ne ineptus ſim ego Auditores, qui cum videar laudandum ornandúmq. ſuſcipere, quẽ Romanæ eloquentiæ princeps diuinis prope laudibus extulit ac celebrauit, ac ſummum dicendi magiſtrum vocari iuſſit, non inuitus hoc munere ſuperſedebo, ac vel ad Ariſtoteleæ Rhetoricæ inſcriptiones aggrediar, vel certè rem hanc totam (id enim fecerim ſanè libentiùs) ad craſtinam diem reijciam & ad finem, veſtra bona cũ venia, properabo. Si enim Ariſtoteles turpe ſibi duxit ſilere Iſocrate loquente, atque idcircò ſuis ille auditoribus frequenter illud inſuſurrabat,

Αἰσχρὸν σιωπᾶν μὲν, καὶ Ἰσοκράτην ἐᾶν λέγειν,

ego contra loqui mihi turpiſſimum duxerim Iohanne Baptiſta Bernardo tacente, hoc eſt Senatore Clariſſimo ac Prætore optimo & ſapientiſſimo: quíque Philoſophiæ ac liberalium artium laude, ſupra quàm dici poſſit, excellit ac præſtat. Neque enim me latet, Illuſtriſſime Prætor, tua literarum artium monumenta Philoſophiæ ac bonarum artium omnium armamentarium ac panopliam appellari a viris doctis, ac propter admirabilem rerum varietatem & copiam digniſſima iudicari quæ poſteris in omnem æternitatem commendentur. Denique ſi impudens a veteribus habebatur qui in ſcena geſtum ageret inſpectante Roſcio, cur non impudentiſſimus habear ego ſi dicendo ſim longior eo audiente & inſpectante, qui & eloquentiſſimus ſit, & in omnem eloquentiæ partem laudatiſſimas ediderit lucubrationes? Ad extremum, quod Epheſinus ille Phormio non animaduertit, quàm videlicet indecorum eſſet Annibale audiente de re militari diſputare, id ego eius exemplo edoctus, cauendum mihi puto: ne ſcilicet Oratore eloquentiſſimo audiente, de arte dicendi verba faciam.

Quapropter (vt ad finem mea ſeſe conuertat oratio) immortales tibi gratias ago prudentiſſime atque ornatiſſime Prætor, quòd Gymnaſium hoc noſtrum tua præſentia cohoneſtare, ac voluntatem erga nos optimam tanta animi facilitate & humanitate declarare non dubitaſti. Tibi etiam Illuſtriſſime ac ſtrenuiſſime Præfecte me in perpetuum deuinctum fateor, qui quod olim Gn. Pompeius Rhodi & Athenis, nimirum in clariſſima luce hominum, in celebertima ſapientiæ arce, factitauit, in hoc Gymnaſio, hoc eſt, ſi doctorem ſpectes, humili & obſcuro, efficere non reformidaſti. Sed & rurſus vtrique veſtrum, Principes optimi, gratias quantas poſſum maximas ago florentiſſimæ iuuentutis huius nobiliſſimaéque auditorum coronæ nomine. Id enim vt faciam eorum ora, vultus, oculi quos mira alacritate ac plauſu in vos coniectos video, admonent atque ſuadent. Quid? Hoc ipſum, ſi loqui poſſent, facerent hæc ipſa mœnia ac tecta, quæ nunc tacita lætari videntur aduentu veſtro; ac veſtra præſentia, plenóque dignitatis aſpectu & maieſtatis exultare. Quin ea mihi quodammodo audire videor triumphare gaudio ac mitificè gloriari; quòd cum hodierna die & Prætorem ſapientiſsimum & Præfectum fortiſsimum amplexu exceperint ſuo, clariſſima ac ſtrenuiſsima literarum armorúmque præſidia, togæ militiaéq. lumina & ornamenta complexa ſint.

DIXI.

ORATIO VNDECIMA.

De Aſtrologiæ ſiue commodis & vtilitate ſiue præſtantia & dignitate, ſiue admirabili iucunditate. Hanc ſcripſit Author amici rogatu: qui eam deinde habuit in Peruſino Gymnaſio, cum ad Sphæræ explanationem aggrederetur.

PLacuit Perilluſtribus Peruſini Athenæi Moderatoribus, vt meam ipſe induſtriam, qualis qualis ea eſſet, ad publicam vtilitatem referrem: atq; Aſtronomiæ præcepta è ſuperiore loco ornatiſſimæ iuuentuti explicarem ac traderem. In quo ſanè munere quantum rerum magnitudine ac difficultate deterreor, ac totis penè artubus contremiſco, tantũ Auguſtę Vrbis ſplendore, celeberrimi Gymnaſij dignitate, clariſsimorum denique Auditorum frequentia & nobilitate, recreor atque ſuſtineor. Ergo Sacroboſchi ſphæram, ſeu quam doctiſsimus Author de Sphæra reliquit diſputationem, interpretandam aggredior: exiguam illam quidem mole ac perbreuem: ſed vtilitate, præſtantia, iucunditate ampliſsimam. Etenim, ſi vtilitatem ſpectemus, veriſsimè dici poteſt hanc patẽte quamlatiſsimè, & in mortales omnes egregiè deriuari. quis enim neſciat terrarum ſationem, agriculturámque vniuerſam hinc mirificè adiuuari: Marium traiectionem, ac nauticam artem dirigi: Medicinam hinc opportunitates capere, atque adiumenta referre maxima; Phyſiologiam ipſam in ea niti ferè totam, ac tanquam Atlante Cœlum, regi & ſuſtineri? Quid? an non Poëtarum monumenta, Aſtrologorum decretis ac ſenſis tanquam ſtellis reſperſa ſunt & variata, ita vt paſsim Aſtrologi requirant induſtriam? Dies me deficiat Auditores ſi varia tum Homeri tũ Virgilij aliorumque laudatiſsimorũ Poëtarum carmina teferre velim, quæ, niſi Aſtrologiæ ſcientia imbutus ſis & excultus, intelligenter tractare nullo modo poſsis. Neq; verò ad Hiſtoriam non mirificè confert: quandoquidem vix ac ne vix quidem fieri poteſt vt ſine Coſmographiæ ac regionum cognitione Hiſtoriam intelligẽter ac pro dignitate euoluas aut ſcribas. Itaque omnino faciendum eſt Hiſtorico (præſertim ſi aut diſsitarum regionum res geſtas proſequatur, aut paulò ampliorem Hiſtoriã ſcribat) vt apud Coſmographum & Aſtrologum perdiſcat priùs terrarum longitudines ac latitudines, & ad quam quæque regio pertineat plagam, & quibus interuallis ac veluti gradibus a Polo diſtet noſtro aut ſub altero deliteſcat. Denique, vt de commodis ſileam, quæ ex Aſtrorum curſu tum induſtrius Imperator militiæ referre poteſt, tum Eccleſia ipſa in temporibus digerendis, rebúſque adminiſtrandis haurire ſolet, ſic ſtatuo. Talis ac tanta eſt Aſtronomiæ vtilitas, tot eius commoda & emolumenta, vt nulla propemodum Ars aut facultas, nullus hominum cœtus, nulla ætas, nulla regio, non mirificè Aſtrologorum ſtudijs atque laboribus excolatur, iuuetur, perficiatur.

Iam verò ſi quis de illius præſtantia & dignitate dicendum ſuſceperit, equidem vereor Auditores præclariſsimi ne

Ante diem clauſo componat veſper Olympo.

Nihil enim cœlo, terra, marique ſeſe obijcit, quod Aſtrologiæ induſtriam atque ſolertiam non præſeferat, atque illius non declaret dignitatem. quis enim ſyderum curſus, qui Solis, Lunæque labores, quis cœleſtium globorum varietatem & conuerſiones, quis dierum, noctium, temporum anníque totius viciſsitudines, atque momenta ſine Aſtrologiæ præſidijs percipere, ac pro dignitate explanare valeat? & tamen iſtarum cognitio rerum ita excellit, ac talem parit admirationem, vt ad earum planè contemplationem fictus videatur homo. Quin etiam, vt iſthæc perpetuò ſpectet & contempletur, procêrum corpore, & ad cœlum erectum vultu, conditum dixeris. Vt omittam inde etiam huiuſce præſtantiam facultatis commendari, quòd hinc priſci mortales ad beatarum mentium cognitionem peruenerint, ac ſummum rerum omnium Authorem & Moderatorem agnouerint.

Ego

Ego ſanè, Viri ornatiſſimi, nunquam aurea illa carmina mente & cogitatione paulò attentius euoluo.

Si quando magnum mirati ſurgere Solem
Oceano, & toto flammas diffundere cœlo,
Certatimque ſuo terras ambire meatu
Noctiuagam Phœbea præcinctam omnibus aureis,
Aeternos Aſtrórum igneiſ cœlique micantes
Scintillare oculos, aliquem dare iura putaſtis,
Atque polo regnare hominum, rerúmque parentem:
Cui mare, cui tellus, cui pareat arduus Aether
Cuncta ſupercilio qui temperet;

quin intelligam Aſtrologiæ præſtantiam nunquam ſatis celebrari poſſe, quæ nos ad Vniuerſitatis Principem tam facilè attollit Deum. Vt mihi quidem Aſtrologiæ præſtantiam ex Geographiæ aut Coſmographiæ dignitate, quam ex Aſtrologia vel maximè mutuatur, non neceſſe ſit repetere hoc tempore ac deriuare. Tantùm dicā iſtiuſmodi Doctrinas ſine Cœleſtium corporum cognitione iacêre, ac tanquam colorem ſine lumine, decus ac ſplendorem amittere, & in tenebris ſqualere ac ſitu.

Sed quoniam de huius doctrinæ tum vtilitate & commodis, tum præſtantia & nobilitate, diximus, expectet facilè quiſpiam vt de eiuſdem iucunditate verba faciam. ſed nullum eſt ingenij flumen, mihi credite Auditores, nulla orationis vbertas & copia, nulla Eloquentiæ vis ac magnitudo, quæ eius voluptates non dicam verbis æquare, ac pro dignitate referre, ſed breuiter enumerare ac percenſere, valeat. Quid enim iucundius excogitari poteſt, quàm vt ſedens, ac placidiſſimè cōquieſcens ad Mundanæ molis centrum deſcendas animo: atque inde terrarum altitudine dimenſa ſenſim emergens, libratum terræ mariſque globum peragres, eiuſdémque figuram, magnitudinē, firmitatem obſerues ac circumſpicias? Quid gratius aut optatius quàm vt Aquilæ inſtar & aëreos campos traijcias, & æthereos conſcendas, vnde cœleſtis terrenique Mundi intermedius, hinc caduca & mortalia, illinc immortalia & cœleſtia proſpectes pro arbitratu? quid ad oblectationem, atque animum admiratione ſuauitatéq. complendum aptius quàm

Lucentem globum Lunæ Titaniáque aſtra

intueri: eorum numerum, ordinem, varietatem ac pulchritudinem contemplari: Solem ipſum auream cœli Zonam peruagantem, eiúſque ſigna illuſtrantem ſuſpicere. quid? an non hinc varias cœli plagnas agnoſcas & climata; ſolſtitia obſerues & æquinoctia; Solis, Lunæque congreſſus, Terræ interiectionem, luciſque defectionē præuideas: tempeſtates, ſerenitatémque perſentias, quibus indocti ſtupeant illi quidem, tuus verò animus mirificè recreetur, ac delectetur? Nam quæ ex fixarum ſtellarum choreis gignitur voluptas, dum Orionis Arturíque ortum, Pleiadum Hyadúmq. occaſum, reliquorúmque ſyderum tripudia cernimus, nullis explicari verbis poteſt pro dignitate: ſic enim inter ſe colore, ſitu, lumine, vultu, ambitu, magnitudine, virtute diſſident, vt admirari illas quidem ſine ſatietate liceat, vim & naturam ſatis explicare nullo modo liceat. Sic profectò cœleſtium eiuſmodi luminum choreas ſpectaculis omnibus antecellere, & cum honeſtate ac pulchritudine, tum admiratione & iucunditate, humanas voluptates vincere, nihil eſt quòd dubitemus.

Itaque ſuauiſſimus idémq. ſanctiſſimus Author Cyprianus vt Mortales ab Theatralibus ſpectaculis auocaret, ad quæ non ſine morum corruptela pietatiſque iactura confluerent, ſtellarum ac cœleſtium corporum choreas atque ſpectacula illis proponebat, ex quibus & ſolidas honeſtáſque voluptates caperent, & animum incredibili iucunditate perfunderent. *Habet Chriſtianus* (inquit ſuauiſſimus Author) *ſpectacula meliora, ſi velit: habet veras voluptates ſi ſe collegerit: habet iſtam Mundi pulchritudinem quā videat atque miretur. Solis ortum aſpiciat, rurſus occaſum, mutuis vicibus dies noctéſq. reuocantem: globum Lunæ, temporum curſus incrementis ſuis decrementiſque ſignantem: aſtrorum choreas, & a ſummo de ſumma nobilitate fulgentes: anni totius per vices metra diuiſa, & dies ipſos cum noctibus per horarum ſpatia digeſtos, & terræ morem libratam cum montibus, & profluа flumina cum ſuis fontibus, extenſa maria cum ſuis fluctibus atque littoribus. Interim conſtantem pariter cum ſumma conſpiratione, nexibúſque concordia, extenſum aerem medium tenuitate ſua*

cuncta

cuncta vegetantem, nunc imbres contractis nubibus profundentem, nunc ſerenitatem refecta vari-tate reuocantem, & in omnibus iſtis incolas proprios in aere auem, in aquis piſcem, & in terra hominem. Hæc inquam, & alia opera diuina ſunt Chriſtianis fidelibus ſpectacula. Quod thatrum humanis manibus extructum iſtis operibus poterit comparari, magnis licet lapidum molibus extruatur, cruſta ſunt montium, & auro licet tecta lacunaria reluceant, aſtrorum fulgore vincuntur. Hæc Sanctiſſimus Antiſtes ac Martyr.

Quamquam, vt verè atque ingenuè fatear Auditores ornatiſſimi, ſuas quoque difficultates habet hæc facultas. vt enim pulchra ſunt ardua & difficilia, eius veluti flores ac fructus dumetis, ſed quid dumetis dico? imò altiſſimis, ac præruptis montibus obſtructa ſunt & impedita. Quapropter cũ Doctorem induſtrium ac nauum, tum Auditorem ingenioſum atq; attentum tum vtrũque laboris ac diligentiæ amicũ requirit. quocirca, quod ad me attinet, Vtinã parem ipſe ingenij, ac doctrinæ vim afferre poſſem huic muneri grauiſsimo ac difficillimo: Fore enim ſperarem vt veſtris auribus mea præceptio accideret non iniucunda. Sed tamen omni contentione, ac diurnis nocturníſque vigilijs, enitar vt labore ſaltem ac ſtudio Ingenij mei tarditatẽ compenſem. id quod eò etiam alacriùs faciam, quòd ſapientiſsimorum Quadriumuirũm de me iudicium & expectationem nõ explere; atque ornatiſsimo Paulutio in primis, qui me vnà cum fratribus optimis in clientelam receptum, omnibus beneficentię argumentis atque officijs eſt proſequutus, útque ornatiſsimum hunc locum attingerẽ author fuit, non in hoc munere ſatisfacere turpe videri poſſet. Quid multa? vrget doctiſsimorum virorum Authoritas, quorum induſtriam in hac laudis palæſtra æmulari cogor & imitari. vrget florentiſsimæ iuuentutis, quæ ex Italia tota huc cõfluere ſolet, ingenium ac ſplendor, quibus nihil niſi elaboratum induſtria ſit afferendũ. vrget Auguſtæ Vrbis fama atque celebritas, quæ quantum ingeniorum præſtantia & fœlicitate, incredibiliq. animorum ſolertia & probitate excellit: quantum vbertate ſoli, cœli clementia, diuitijs, nobilitate, belli páciſq. artibus domi foríſq. viget, tãtum in ijs qui doctrinas publicè profitentur, ingenij ac ſapientiæ lucem ſuo iure poſtulat. Vt omittã fortaſſe plus aliquid ab eo requiri, qui in Gymnaſio Patauino, hoc eſt toto terrarum orbe celeberrimo, diù multúmque verſatus ſit, atque inde tanquam ex optimarum artium mercatura huc tandem veluti in Patriam remeatit. Hęc inquam certatim meum excitant animum ad labores, ad vigilias, ad induſtriam, vt in hoc curriculo & doctrinæ & laudis cum expectationi veſtræ, tum meo muneri ſatisfaciam. Ad quam rem dum ipſe auidiſsimè aſpiro, ac velis remíſque contendo, vos oratos velim Auditores nobiliſsimi, vt mihi in poſterum, quæ veſtra eſt humanitas, frequentia, & attentione faueatis: & conatus meos, qui vtilitati ac dignitati veſtræ ſeruient omnes, omni ſtudio & alacritate foueatis.

DIXI.

ORATIO XII.

Dum Virgilij Aeneis atque Heroici Poematis condendi ratio explicanda eſſet. Continet Virgilij, maximè verò Aeneidis, laudes.

Patauij habita III. Non. Nouemb. Anno CIↃ. IↃC. V.

P. Virgilij Aeneidem explicare atque Heroici Poëmatis condendi rationem ac viam oſtendere aggredimur hoc tempore: nimirum opus multò iucundiſsimum; ac ſummis ingenijs, Auditores Ornatiſsimi, florentiſsima nobilitate atque frequentia, quæ omnia in præſens aſpicio; ipſa denique immortalitate digniſsimum. ſiue enim in negotio honeſtam animorum relaxationem adamatis, ſiue in otio ſuauem & frugiferam occupationẽ expetitis, nihil eſt quod Virgilij Aeneide aut ſuauius ac dulcius, aut honeſta vtilitate cumulatius, requiratis. Denique (ſi me audiatis Heroico Maronis poëmate nihil aptius excogitari poteſt ad animum non oblectandum modò & recreandum, ſed tolerantia, pietate, patriaéque charitate, & (vt ſemel dicam) omni virtutum genere imbuendum.

buendum. Et enim Virgilij poëſis frugifera eſt tota, atque ingenio ſuauitatéque pleniſſima, Aeneis tamen, ſiue rerum varietatem ſpectemus & vbertatem, ſiue præſtantiam ac dignitatem, antecellit omnibus, quin (vt me planiùs explicem) ad miraculum vſque excellit. Quapropter minimè mirum videri debet Propertium, hoc eſt Poëtam laudatum ac nobilem, vix parte aliqua Aeneidis perfecta, continuò exclamaſſe.

Cedite Romani ſcriptores: cedite Graij:
Neſcio quid maius naſcitur Iliade.

Quamquam enim ſunt quibus videatur arte magis quàm natura excelluiſſe Virgilius, verè tamen arte in eo iudicium cernitur ac prædiues ingenium: itaut mentis ſolertiam ac vim cum vſu & exercitatione, iudicium cum imitatione, Naturam cum Arte coniungens, Poëſim ad faſtigium fermè euexerit. Quamobrem nihil in eo ſpinoſum occurrit ac durum: nihil inane atque redundans: nuſquam faſtidium gignit aut ſatietatem: nil præpoſtero ordine fundit aut inconditè comminiſcitur: quin nitidns ſemper, grauis, (ita tamen vt ſuauitate non careat) orationíſque perſpicuitate, caſtimonia, frugalitate excellit: quíque Homerum dum imitatur, detrahendo auctior atque vberior factus eſt. denique iurè ac meritò primus inter Epicos haberi poteſt, qui egregiè oſtenderit quid ſit canere & non ineptire. Atque hinc etjam dignus mihi videri ſolet de quo alter cecinerit Vates.

——Date lilta plenis
Pierides calathis: tantóque aſſurgite alumno.
Vnus hic ingenio præſtanti, geotis Achinæ
Diuinos Vates longè ſuperauit & arte:
Aureus, immortale ſonans, ſtupet ipſa pauétque
Quamuis ingentem miretur, Græcia, Homerum.

Et ſanè poëta hic noſter habuit in ſua Aeneide incredibilem rerum delectum, & dignitati in primis atque decoro mirificè ſtuduit; itaut ſi cum Homero atque alijs Epicis ſiue Græcis, ſiue Latinis conferatur, veriſſimè dici poſſit, vnum eſſe qui nihil vſquam condit niſi ſublime atque heroica grauitate & maieſtate digniſſimum. Quapropter qui Virgilium carminis principem ac Platonem poëtarum appellarunt, ij mihi quidem egregiè ſenſiſſe atque acutè pronunciaſſe videtur. Verùm de Maronianis Muſis in primíſque de Aeneidis præſtantia & dignitate dicam vberiùs alibi: atque ita dicam, Auditores, vt ſi minùs ipſe muneri pro dignitate ſatisfecero, id quidem nō modò orationis meæ tenuitati, verùm etiam admirabili ac propè diuino Maronis ingenio, quod nulla oratione ſatis ornari poteſt, acceptum ſit referendum.

Nunc lubet inuidiam vel potiùs calumniam quandam eleuare aut etiam diſſoluere, quam mihi, neſcio quo pacto, nouo hoc atque in Patauino Gymnaſio iamdiu inuſitato, Virgilij interpretandi munere conflaſſe videor. etſi enim meum conſilium multis iíſque laudatiſſimis viris probari audio; veruntamen, vt varia ſunt hominum ingenia, perſenſi etiam me apud aliquos offendiſſe: quaſi verò ab Ariſtotelis Peripateticorúmque curriculis ad florentiſſimos Poëtarum campos diuertens inertis inſtar athletæ a Sole ad vmbram, a labore ad quietem, a dumetis ad delicias confugiam. Ac mihi quidem, vt ingenuè fatear, longè gratius cecidiſſet omni cunctatione abiecta ad iucundiſſimas Virgilij Muſas linguam mentémque conuertere, vóſque illarum ſuauitate cantus oblectare, quàm de me ipſo cōſilióque meo plura hoc tempore commemorare. Sed tamen, quoniam res ita poſtular, non committam, Auditores optimi, vt non ante & facti huius rationem afferam, & me ipſum pro ſuſcepti muneris dignitate ac Gymnaſij huius authoritate ab omni inuidia eximam.

Ergo variæ eæque graues impulerunt me cauſæ vt hoc anno ad Virgilium, hoc eſt ad Poëtarum Principem & Coryphæum, diuerterem, inter quas ea Princeps atque adeò inſtar omnium videri poteſt, quòd cū ſuperioribus annis Poëtica Ariſtotelis præcepta atque heroica in primis explanauerim, ratio poſtulare videretur, vt tandem aliquando præcepta ipſa ſeriò ac diligenter in poëmate aliquo agnoſcerentur. Etenim dici vix poteſt quantopere interſit eloquentiæ poëſiſq. præcepta optimorū Oratorum ac Poëtarum exemplis & tractatione illuſtrare & confirmare. Ita enim fit

E vt

vt dum a nobis non adumbrata modò & quadam veluti deſignatione effiĉta, ſed ſuis illa coloribus expreſſa, cernuntur, cum aures magis ac magis oblectent, tum verò in animis altiùs inſideant & conſignentur. Denique vt ad eloquentiam aut poëſim pro dignitate informeris, niſi præceptionibus oratores ac poëtas optimos adiungas, quos diu noctúque euoluas & tractes, quin & æmuleris & imiteris, fieri nullo modo poteſt. Quapropter his planè laboribus ac ſtudijs ad ſummam eloquentiæ gloriam peruenit M. Tullius: his artibus atque vigilijs Poëticæ virtutis laudem ac palmam conſecurus eſt Virgilius. neque enim aut ille Platonem, Iſoctatem, Demoſthenem, Xenophontem è manibus deponebat vnquam: aut hic Homerum, Heſiodum, Orpheum, Apollonium, Lucretium non ſemper peruolutabat. Nam de Italicorum Principe Heroicorum Torquato nihil attinet dicere quantopere ſemper in Græcorũ Latinorúmque Poëtarum lectione alſerit aut diſſudarit, atque Homeri in primis Virgilijque ſtudio & æmulatione exarſerit. Itaque hinc ſui poëmatis colores deſumpſit: hinc ſuccum, ſanguinem, neruos hauſit ac deriuauit. Quid multa? quantus fuit Torquatus noſter (fuit autem ſine dubio maximus, quémque demirari potiùs liceat quàm imitari) totus ex Virgilij Homerique ſpatiis extitit, & æmula altricéque virtutum imitatione.

Neque verò (vt alteri accuſationis parti reſpondeam) a Sole interim ad vmbram, a labore ad quietem, a dumeris ad delicijs confugio, dum ab Ariſtotelis ſpatijs ad Virgilij campos deflecto. Nam fateor quidem, imò profiteor nos ex Ariſtotele ſexennio toto eloquentiæ poëſiſque documenta collegiſte, quæ tanquam ſpinis conſita eſſent vndique ac difficultatibus interſepta. Aſſentior quoque Virgilij campos eſſe florentiſſimos ac delitiarum, ſi placet, voluptatiſque pleniſſimos. ſed tamen non idcirco laborem cum quiete, ſtudium cum otio, vigilias cum ſomno deſidiáque commutâmus: quinetiam me ipſe ad nouos labores ſudoréſque comparo: & ingenij, qualecunque illud ſit, mentémque omnem ad grauiſſimas exercitationes refero. Quamquam enim Muſarum domicilia gratiſſimis vndique ſparſa ſunt vmbris, ac perennibus aquis & fontibus irrigantur, quin ſuauiſſimis Zephyris, vernantibus floribus, melliſluis cantibus demulcent aures, animóſque perfundunt, & (vt ſemel dicam) incredibili amœnitate ac voluptate delectant, ita vt ad requietem aptiſſima videri poſſint, priùs tamen arduos ſcopulos ſuperare, ac celſos præruptóſque montes conſcendere, neceſſe eſt: quod niſi de ſudore multo atque labore perficere haud liceat. Quapropter quemadmodum ibi

Aequora tuta ſilent. tum ſyluis ſcena coruſcis
Deſuper, horrentique antrum nemus imminet vmbra,
Intus aquæ dulces, viuóque ſedilia ſaxo:

ita etiam è contrariò

Hinc atque hinc vaſtæ rupes, geminique minantur
In cœlum ſcopuli.

Denique vt fabularum ſeponam inuolucra, Virgilij monumenta explicate aggredienti cum multarum magnarúmq. doctrinarum curricula ingredienda ſunt priùs; ac nullum diſciplinæ genus, nulla ingenuo viro digna cognitio, non attingenda atque paranda eſt; tum in primis magnus hic Vates cum antiquorum principe poëtarum Homero quamdiligentiſſimè comparandus. ex quo ſanè fit vt tantorum Poëtarum conſenſio, diſſenſio, œconomia denique artificiúmque vniuerſum aperienda nobis ſint & commonſtranda. Neque enim Virgilium pro dignitate explanari poſſe crediderim, niſi cum Homero conſeratur paſsim; atque vtriuſque virtutes explorentur & agnoſcantur. Et quamquam multa ſunt atque ea nobilia, in quibus duos hoſce poëtarum coryphæos ac principes comparamus, dum publicis literis Torquatum noſtrum veluti in theatrum adducentes, requirimus ac diſputamus cui tandem HEROICI POEMATIS PRAECIPVA LAVS AC PALMA IPSA DEBEATVR, HOMERO ne; an VIRGILIO, an potiùs TORQVATO, veruntamen multa ſunt quæ huius dictionis ac temporis ſunt propria: quæque in præſentia ſine crimine præterire aut diſsimulare non poſſumus. Ac profectò alijs concertationibus gaudet Latina oratio, atque hic ornatiſsimus dicendi locus: alijs Italicus ſermo ac ſtylus quæque ſucciſiuis horis lucubrata quaſi exoterici

libri

libri poſteris conſignantur. Hæc enim feſtiuitatem requirunt in primis, vt aurium voluptati non minùs quàm eruditis animis ſeruiant: ea verò maiore doctrina inſtruenda ſunt atque interioribus literis indigent. Ita ſanè illa veluti floribus ac ſuauibus pomis, hæc non floribus modò ac pomis, ſed frugibus ac fructibus omnibus abundent neceſſe eſt. Quo fit vt in Virgilio explicando præter aliorum morem attollenda ſit nobis oratio, atque in primis poëtica præcepta cum oratorijs, oratoria cũ philoſophicis, permiſcenda ac varianda. Denique non grammaticum aut vulgarem poëtam interpretandum ſuſcipimus, ſed eum qui omnium doctrinarum ornamentis ac varietate onerasset pectus. Veriſſimè enim dici poteſt, Virgilium non modò penetrales Poëtarum ſedes ac focos adiſſe Oratorúmque curricula peragraſſe, verùm etiam Platonicorum Stoicorúmque campos atque Aſtrologorum ſpatia, & (vt rem planiùs complectar) liberales artes omnes coluiſſe ac perluſtraſſe, itaut omnis fermè diſciplinarum varietas tenenda & vſurpanda ſit ijs qui ſummum hunc Poëtarum principem pro dignitate explicare cupiant. Vt propterea veriùs ab vmbra ad Solem, a palæſtra ad certamen, è caſtris ad prœlium mihi progrediendum ſit. Præſertim verò cum vno eodémque tempore HEROICI POEMATIS condendi ratio ac via nobis ſit commonſtranda: cuius rei cauſa ſudores mihi geminari, imò verò multis partibus augeri, ſentio, tantum abeſt vt vlla quietis pars laxametúmq. laboris mihi ſperandum ſit.

Diſſoluimus, opinor Auditores ornatiſſimi, accuſationem vniuerſam; atque ita diſſoluimus, vt perſpicuè ſatis conſtare poſſit ſuſceptum a nobis munus etſi periucundum ac dulce (neque enim id inficior) arduum eſſe & operoſum, atque huius authoritate loci digniſſimum. Niſi tamen, quoniam oſtendimus nobilem hunc poëtarum coryphæum explanare, atque Heroici Poëmatis rationem tradere, inſtituenti, plurimarum maximarúmque rerum ſcientia & vbertate imbuendum eſſe pectus, iam vereatur aliquis, ne tali ſaltem tantóque oneri impares ſint vires noſtræ. Cui rei quoniam mei imbecillitatem ingenij & ſentio & doleo, improbo labore ac diurnis nocturniſque vigilijs ſuccurrere conabor. Id quod tum demum è ſententia mihi euenturum ſpero, cum egregiæ indolis eximiíque ingenij, quod nunc planè & ſentio & gaudeo, Auditores nactus fuero. Veriſsimè enim videor mihi affirmare poſſe, veſtram hanc celebritatem tali tantáque nobilitate quotidie magis ac magis eſſe auctam, vt non modò cum nobilitate frequentia, cum frequentia ingenium, cum ingenio ſtudium atque ardor liberalium doctrinarum, contendat ac certet, verùm etiam fructus ſuauiſsimi è multorum laboribus atque vigilijs percipiantur, qui poſteritati quoque accidant iucundiſsimi. Itaque non poſſum non vobis hoc tempore tale tantúmque bonum ac decus gratulari. cum præſertim non publicè modò verùm etiam priuatim noſtris conatibus faueatis, optiméque vobis perſpectum eſſe oſtendatis, quod ipſe ſemper optaui, ſæpè etiam vobis in memoriam reuocaui: nimirum ad grauiores diſciplinas eum dumtaxat fœliciter aſpirare, qui in humanioribus literis, quas eloquentiæ in primis, Hiſtoriæ, Poëſis, ſeria tractatione concludimus; egregié priùs profecerit; ac ſtylum & dicendo & ſcribendo, ſiue ſoluta oratione velis, ſiue numeris adſtricta, excoluerit diligenter. Quod ſauè dum antea, neſcio quo pacto, negligerent multi, magnopere dolendum erat ac deplorandum. Ac profectò eò prouecta erat in doctrinis comparandis præpropera Adoleſcentium feſtinatio, vt ſtatim cæca quadam cupiditate ad recondita ſtudia proſilientes, politiores literas, ac diſciplinas vix ac ne vix quidem deguſtarent. Sed quid dico deguſtarent? Pudet me, Auditores, rem totam commemorare: ſed quoniam ſemel cœpi, ac res ita poſtulat, commemorabo. Eò itaque, eò inquam, adducta res erat, vt iuuentus (neſcio quo caſu, ſed duro illo quidem & luctuoſo, aut doctrinas animiq. ornamenta quaſi deliramenta quædam ſperneret, aut moræ impatiens, vix prima Grammaticæ rudimenta, ne dicam elementa, attingere, cum ἄμουσοι καὶ ἀθεώρητοι in grauiſsimas quaſque difficillimáſque doctrinas irrumperet & conuolaret. Quaſi verò fruges colligere liceat terræ cultura ſationéque contempta: aut ingentem domum nullis fundamentis iactis extollere & (vt dicam breui) ingenium ac mentem ſine exercitatione ac præparatione vlla excolere & exornare. Quam ſanè culpã a meis Auditoribus iam abeſſe longiùs, non modò gratulor ſed triumpho. Cum enim

& nobiles conciones, & Poëmata egregia vno verbo lucubrationes elegantia pleniſſimæ a pleriſque veſtrûm mihi ſæpè offerantur, quid ni omnibus lætitiis inceſſam ac triumphem? Quamquam illud rurſus erigit atque incredibili voluptate perfundit animum meum, quòd meliora quotidie atque maiora de vobis ſperem Auditores: & optima quæq; iure mihi pollicear. Iam enim intueor in vobis frontem, oculos, vultus mira alacritate incenſos: animos ipſos nobili ac generoſa cupiditate inflammatos, paratoſque in primis ad labores omnes ſuſcipiẽdos & exanthlandos, ne niſi optimis politioris literaturæ vniuerſæ fundamentis altiùs cõſtitutis, ad ſeueriores doctrinas properetis. Qua in re ego quidem, quod ad me attinet, Auditores optimi, omnem meã curam, ſtudium, laborem, induſtriam, publicè vobis priuatimque polliceor ac defero. Atque hac de cauſa nobilem quoque ac planè auream M. Tullii orationem pro lege Manilia domi interpretabor, qua non modò ſtylum perficere, & ad eloquentiæ metam contendere, verùm etiam rei militaris imperatoriæque virtutis initia & fundamenta addo etiam pulcherrima Romanæ hiſtoriæ monumenta perſpicere, animum denique ipſum plurimis iiſque optimis inſtitutis imbuere, valeatis.

DIXI.

ORATIO XIII.

cum Ariſtotelis Rhetorica interpretanda rurſus initium faceret.

Venetus Princeps priùs ac Patauini Gymnaſij Moderatores, tum Ariſtoteles, eiúſque Rhetorice laudatur.

Quam habuit Patauij Non. Nouemb. Anno CIↃ. IↃC. VI.

EST ſanè, Auditores optimi, cur in hac ſtudiorum inſtauratione nobis ipſi toto pectore gratulemur, ac ſapientiſſimis Patauinæ Academiæ moderatoribus, vigilantiſſimóque Principi immortales gratias habeamus. Quis enim futurum putaſſet vnquam, vt in tãta rerum humanarum perturbatione, in tanto militum tumultu atque armorum ſtrepitu, Gymnaſium hoc ſtaret: nec ſtaret ſolùm, verùm etiã lectiſſima iuuenum nobilitate tãtoperè augeretur & effloreſceret? Et tamen id in præſentia oculis ipſis ſpectamus, tutiſſima pace inter arma, Muſis inter milites ac turbas, annonæ quoque frugúmque copia & vbertate in ſumma Italiæ reliquæ inopia & caritate, perfruentes. Ita ſanè ferreum quod impendêre nobis ſæculum videbatur, aureum fieri, ac ſuſpicionibus ſpem, perturbationibus tranquillitatem, timori ſecuritatem ſuccedere animaduertimus. Quapropter in tanta Vrbis Gymnaſiíque huius fœlicitate illud mihi videor iurè ac meritò vſurpare poſſe, quod ſummus eloquẽtiæ parens Marcus Tullius inter armorum ſtrepitus pronunciauit aliquando CEDANT ARMA TOGAE. Cur enim Togæ ac Paci, maximè verò Doctrinæ ac Muſis, non cedant arma, quæ non ſanè terrent oculos, aut perturbant animos: ſed Pacis indices ſunt, atque optimarum artium præſidium & firmamentum? Paci igitur, Muſis ac bonis Artibus cedant Arma: vel certè, quoniam Mineruam quoque armatam incedere interdum iuuat, cum Minerua ipſa fœdus ac ſocietatem conſtituant, ac bonarum artium, Muſarum, Pacis denique comites appellentur.

Sed vtinã illud ẽt vſurpare nobis liceret Auditores ornatiſſimi, quod eidẽ eloquentiæ parẽti Togæ ac Pacis decora celebrãti, ſucclamatũ eſt; CONCEDANT AVREA LINGVAE: aut ẽt, CONCEDANT LAVREA LINGVAE. Ita enim fore ſperarẽ vt Gymnaſium hoc noſtrũ quod Auditorũ frequẽtia quotidie magis ac magis auctũ eſt, ad ſummã amplitudinem ac celebritatem perueniret: ſubſellia quoque iſta, parietes ipſi præſentia veſtra ingentiq; frequentia cohoneſtati, mihi animos adderent: denique roſtra hæc noſtra minus iniuuanem, fortaſſe etiã perincundam, atque in primis fru-

frugiferam, vobis redderent orationem meam. Sed qualis qualis ſit oratio noſtra,
illud vobis compertum eſſe velim clariſſimi Adoleſcentes, me vtilitatis ac dignitatis
veſtræ quæ ſine dubio in eloquentia & eruditione poſita eſt maximè, cupidiſſimū eſ-
ſe: nec veſtris commodis & amplitudine antiquius quicquam aut optatius mihi con-
tingere poſſe. Quapropter quemadmodum nec vigilijs vnquam aut labori parcam
vt veſtris obſequar ſtudijs ita magnopere ſemper lætabor, ſi (quod vehementer & cu-
pio & ſpero) vos eloquentię egregiam operam nauare perſpexero, atque in humanio-
ribus literis ac diſciplinis proficere. Neque enim humilem de vobis ſpem concitaſtis
aut vulgarem ſuſtinetis expectationem, qui ad Patauinum Gymnaſium tanquam ad
doctrinarum mercaturam confluxiſtis, ſed magnificam, ac præclaro ingenio, egregia
nobilitate, florentíque ætate digniſſimam. Denique idcircò vos & Patria genuit, &
Academia hæc ornatiſſima inſtituit, vt eloquentiæ virtutúmque præſidiis & orna-
mentis & vobis & Patriæ Chriſtianaéque Reipublicæ quamdiutiſſimè floreatis. Sed
quoniam optatum rediit tempus, in quo inſtauranda nobis ſunt ſtudia doctrinarum,
iámque veluti claſſicum audiuimus, quo ad veteres ſtationes reuocamur, nouos hoc
anno Authores explanaturi; vos quæſo, Auditores optimi de inſtituto conſilióq; meo
pauca quædam accipite.

Ac mea quidem ſententia poſtulare videtur ratio, vt quoniam Virgilij ac Poëtarū
campos diu multúmque peragrauimus, nunc tandem ad Rhetorum curricula re-
deamus. Etſi enim Poëſis tractatio miras habet voluptates, præſertim vero vbi præ-
cepta exemplis illuſtrentur, ac Poëtæ ipſi (id quod ſuperiore anno fecimus) tanquam
in theatrum adducantur, veruntamen ad eloquentiam comparandam lōgiùs præſtat
in Rhetorum ſpatiis verſari, ac florentiſſimos oratorum campos excurrere & perlu-
ſtrare. Id quod ornatiſſimi adoleſcentes aliqui mecum & egerunt & vehemēter ex-
poſtularunt. Cum enim in præceptis Poëtarum atque Epicis præſertim tandiu nos
detinueris, Virgilij quoque Aeneidis nō exiguam partem explanaueris, quid eſt quod
pulcherrima Rhetorum ſtudia ab hoc Gymnaſio diutiùs exulare patiaris? An non
eloquentia, quam in hoc doctrinarum theatro atq; optimarum artiū domicilio pro-
fiteris, Rhetorum concertationibus ac præceptis continetur maximè? Humanitatis
verò ſtudia qui tandem non exareſcent, vbi oratoriæ præceptiones tandiu intermit-
tantur? Num igitur ſuſtinebis vt poſtulatis querelas, querelis contentiones addamus?
Niſi fortè expectandum quoque putas, vt ad Gymnaſii Moderatores prouocātes, atq;
illorum fidem implorantes, de Poëtis interdicto tecū agi atque intermiſſas eloquen-
tiæ exercitationes veluti poſtliminio reuocari poſtulemus. Sic fermè iſti. Ego verò
Auditores, cur ornatiſſimorum adoleſcentium optaris vel potiùs mandatis nō libens
paream ac ſatisfaciam, non ſatis habeo. Video enim nos in Latino Poëta non ita pridē
iucundè ſatis verſatos eſſe: ſentio me ex eius viridariis, atque hortis & flores decer-
pſiſſe, & fructus ſuauiſſimos deguſtaſſe: quin etiam paulò poſt maiora audētes, Ho-
merum, Virgilium, Torquatum in Heroico Poëmate comparādos ſuſcepimus, quo-
rum comparationem typis etiam mandauimus, vt ſiue laborum noſtrorum index ſit
& quaſi teſtis, ſiue noſtræ erga vos obſeruantiæ pignus extet & argumentum. Quid
igitur nunc tandem ad Rhetorum ſpatia diuertere, atque ad Ariſtotelem, hoc eſt gra-
uiſſimum eloquentiæ magiſtrum, vel potiùs dicendi intelligendíque authorem ſum-
mum, redire pigeat? An fortaſſe, dum eloquentiam expetimus illius præcepta ſper-
nemus, quem ad eloquentiam inſtituit mortalium omnium diſertiſſimus Plato? eum
poſthabebimus in quo Atticam venuſtatem admiratur antiquitas, quem aureū ora-
tionis flumen fundere prædicat M. Tullius, qui denique vnus Alexandro Macedoni
inſtituendo, non ſecus atque Apelles pingendo, dignus habitus eſt. Híccine eloquen-
tiæ docendæ natus, ab eloquentiæ Gymnaſio diutiùs exulabit? aut quem cæteræ om-
nes Europæ colunt Academiæ, hic a noſtra expelletur? O Academiam illam ingra-
tam quæ huius monumenta reiecerit: miſeram ſi amiſerit: fortunatam ac planè bea-
tam ſi exceperit.

Nos itaque Ariſtotelis libros de Arte dicendi hoc anno, Deo benè iuuante, expla-
nabimus. Id quod eò etiam libentius faciam, Auditores, quòd eloquentiæ tractatio
tum dignitatis & iucunditatis pleniſſima ſit, tum verò frugifera ſit tota, atque inge-
nuo viro & nobili vtilitates maximas afferre ſoleat. Nam quæ obſecro eſt vitæ

pars, in qua viro nobili ac Patriæ peramanti, domi foriſq. non magnopere cauẽdum ſit ne rudis & impolita; aut etiam eneruis & indecora, ſit eius oratio? aut cui non vehementer ſtudendum, vt ſuauis cadat omnibus & periucunda quæque animis conciliandis rebúſque fœliciter peragendis, authoritatem addat & pondus? Equidem cum accidere facilè poſſit: vt quis Iudices aut ciues; vno verbo, Auditores, offendat ſiue largitione corruptos, ſiue aduerſariorum mendacijs oneratos, interdum etiam odio aut inuidentia incenſos & agitatos, is ad eloquentiæ præſidia confugiat neceſſe eſt, quibus illos emolliat, flectat, & ad ſententiam traducat meliorem. Erupit olim ex Alpium faucibus truculentus barbarus Gaïnas nomine: hic tum ſexcentis erat cædibus obſtrictus, atque omni propè ſcelerum genere coopertus, tum maximè Arcadio Romanóque imperio infenſiſsimus. Cúmque ſeditiones inter & latrocinia non minùs eſſet auctus potentia, quàm dominandi flagraret cupiditate, Imperij Tyrãnidem affectare cœpit. Hinc formidoloſo exercitu comparato, Italiam & Macedoniam vaſtare, varias Vrbes ac Prouincias occupare, Bizantiũ denique magnis itineribus contendere, vt totius Imperii arcem inuaderet. Cúmque imo pectore anhelaret crudelitatem, ſic conciderunt omnium animi, nullus vt arma in illum ſumere, nullus legationem ad eum obire, nullus ei ſupplex eſſe, auderet. Cum ecce tibi præſto fuit aureũ orationis flumen Chryſoſtomus: vir ſanè non modò ab omnibus belli præſidiis imparatus; verùm etiam ab armorum aſpectu alienus. Hic igitur, quamuis a Tyranno ob interpoſitas offenſiones quaſdam primus ad cædem deſignari videretur, alacer tamen celſóque animo legationem ſuſcepit: atque hoſti ferociter inſultanti occurrit. Quid plura? ſic Barbari animũ orationis & ſuauitate deliniuit, & grauitate perculſit ac fregit, vt qui omnibus ferro minitabatur ac flamma, ad vnius pedes ſtatim accideret: eius dextram ſupplex oſcularetur: filios iuberet ad eiuſdem pedes prouolui: denique omni feritate & cupiditate depoſita, cum Imperatore ipſo fœdus iniret & conſtitueret. Sed quid externis exemplis vtor, Auditores, cum domeſticis abundemus? Flagrabat bello ſuperioribus annis Gallia tota, atque ita flagrabat, vt florentiſsimum illud ac toto terrarum orbe celeberrimum Galliæ regnum iam iam ad interitũ rueret: Cum ecce tibi a Sereniſsima Republica Oratores mittuntur ad Xiſtum V. Pont. Max. vt eum, ſi quomodo poſſent, ad Regis partes a fœderatis aduerſariis quibus fauebat, deducerent. Renuit ille primùm eiuſmodi factum, deteſtatur, execratur. Imo verò ne rurſus hac de re ſibi mentio fieret vlla, Oratores ipſos a colloquio excludit, atque a ſpectu interdicit ſuo. tum ex iis vnus Xiſtum, velit nolit, adit rurſum: atque obfirmato animo in ſententia perſtans, iureiurando conteſtatur ſe inde non diſceſſurum, niſi priùs ſibi dicendi poteſtas fieret, atque attentæ aures præberentur. Quid multa? Orationis grauitate ac ſuauitate ita ſummi illius Pontificis permouit animum ac flexit, vſque adeò aptiore ſententia illum deduxit ac reuocauit, vt ſtatim ſe victum exclamauerit, & Henrici Regis acerrimus fautor ac propugnator euaſerit. O admirabilem eloquentiæ vim, ac propè diuinam ac ſingularem. Tu, tu inquã vna reperta es inter mortales, quæ olim furentes Barbarorum impetus in mediis ſpatiis cohiberes ac frangeres, atque illorum ferocitatem & ſæuitiam in manſuetudinẽ pietatémque conuerteres. Tu rurſus noſtris hiſce temporibus vna fuiſti quæ afflictis & calamitoſis Galliæ rebus ſummi Pontificis ſtudium ac beneuolentiam conciliares: opem & adiumẽtum afferres: denique Regnum illud penè extinctum optimè ſperare, ad antiquam etiam fœlicitatem aſpirare, iuberes. Vt mihi quidem, etſi humanæ diuinæque philoſophiæ cupidiſſimo, omnino ſit conſtitutum iam ſummis conatibus tua præcepta colere: tuum decus, tua ornamenta, dies noctéſque ſectari: a tuo latere, a tuis veſtigijs nunquam diſcedere: in tuo denique ſinu tanquam in portu fœliciter conquieſcere.

Neque verò eloquentiæ curricula repetentibus nobis verẽdum erit Auditores, ne quemadmodum ex Poëtarum lectione, ita ex Oratorum tractatione, rei benè gerendæ haud offeratur occaſio. Vt enim nuper Heroici Poëmatis Anteſignanos in medium adduximus, qui inter ſe de Principatu certarent, ita hoc anno ſummi eloquẽtiæ Principes in ſtadium deſcendent, multa de dicendi ratione & artificio deque principe laude certaturi. Etenim cum multa in Rhetorum ſcholis nequaquam ſatis adhuc explicata ſunt, tum maximè quæ inter Platonem & Ariſtotelem de Oratore ac tota di-

cendi ratione, exiſtunt controuerſiæ. De quibus ſanè, quoniam in iis pulcherrimus ſeſe nobis aperit campus, in quem noſtra excurrat oratio, ſæpè nobis hoc anno dicendum, ac non minùs vtiliter, vt ſpero, quàm iucundè diſceptandum erit. Sed quid moror? Ariſtoteleæ Rhetoricæ Inſcriptionem, ſi placet, agnoſcamus, ac paucis explicẽmus. ita enim fiet vt in proxima Schola ad Proœmium aggredientes, Platonem & Ariſtotelem (iam enim vterque moræ impatiens ſe comparat atque arma arripit vt primo quoque tempore in arenam deſcendat) in Theatrum atque adeò in grauiſſimum pulcherrimúmque certamen (quod vobis fœlix fauſtúmque ſit) traducamus. Niſi tamen quoniam & ipſe dicendo iam penè ſum defeſſus, & vobis, tametſi audiendo defatigatis, iam iam Doctori alteri ſunt præbendæ aures, rem totam in craſtinam diem reijciendam putatis. quod ſanè, vt vtrique noſtrûm integris viribus in Ariſtoteleum campum deſcendere liceat, faciam non grauatè.

DIXI.

ORATIO XIIII.

Laudis continet laudationem. Habuit hanc Patauii Non. Nouemb. Anno M. DC. VII.

Cum eam Ariſtoteleæ Rhetoricæ partem explicandam aggrederetur, in qua Demonſtratiui generis præcepta traduntur.

ORatorium cauſæ genus, de quo nobis præcipiendum eſt hoc tempore, Auditores Ornatiſſimi, Ἐπιδεικτικὸν ab Ariſtotele, Demonſtratiuum a M. Tullio appellatur. Tanta verò eſt huius generis vbertas & amplitudo, talis ſplendor ac dignitas, vt reliquis duobus cauſarũ generibus admirabilem vbertatem & amplitudinem afferat, incredibilem ſplendorem ac dignitatem adiungat. Et ſanè cum in laudatione ac vituperatione verſetur, ac proinde pulcherrimos virtutum morúmque campos excolere ac peragrare ſoleat, quis non videat Iudicia & Deliberationes non poſſe non exareſcere, niſi laudum virtutúmq. copia & vbertate veluti fontibus irrigentur. Quapropter quemadmodum Nilus, Rex ille fluminũ celeberrimus, è ſuo emergens ſinu, non Aegypti modo, verùm etiam Africæ atque Aſiæ quos interluit campos, ad ſummam traducit fertilitatẽ; ita hoc orationis & cauſæ genus, quod in laudatione ac virtutibus occupatur, è ſuo ſe paſſim effundens ſinu, Iudiciorum Deliberationúmque campos, qui alioquin areſcerent, florentiſſimos ac feraciſſimos reddit. Verùm enim vero Auditores ponite vobis ante oculos clariſſima oratorum exempla, in primíſque ſummum Romanæ eloquentiæ Principem M. Tullium conſulite. Is eſt enim qui cũ Manilianã legem ſuaſurus, in Deliberatiuo genere verſaretur, nihil antiquius habuit quàm vt ſummi Imperatoris virtutes, Cn. Pompeii laudes, populi Romani dignitatẽ, longè latéque celebraret. Ita etiam cum Archiæ Poëtæ magnopere pertimeſceret, quem aduerſarij Ciuis Romani ornamentis & commodis ſpoliare niterentur, nihil ei potius fuit quàm vt optimarum artium ſtudia, poëtarum ſanctitatem, ſingularem denique Archiæ eruditionem, poëticamq. virtutem, ornatiſſima laudatione extolleret. quibus ſanè laudibus tantum effecit, vt Pompeius, etſi Senatu propè vniuerſo repugnante, contra Mitridatem Imperator diligeretur; Archias verò Romani Ciuis nomine in Vrbe honeſtiſſimè retineretur,

At verò cum ſiue Rempub. aduerſus M. Antonium excitaret, ac de illo expellendo perduellioniſque reo efficiendo cogitaret, ſiue in C. Verrem, Piſonem, Vatinium, Curionem accuſationem intenderet, mirum eſt quàm frequentibus ignominiis illos effecerit; quàm magnis opprobrijs, quàm multis vituperationibus, ſuas orationes cõpleuerit. Porrò Antonij vxor Fuluia, cum ſibi tandem honeſtiſſimum illud immortalitatéque digniſſimum Ciceronis caput delatum eſſet, eiúſq. linguam, vt furore æſtuabat, è faucibus euulſam, dilacerare cœpiſſet, Nunc tona (aiebat improba fœmina)

nunc

nunc fulmina contra Antonium meum. Quaſi verò a M.Tullio non tam contumelijs ac probris quàm tonitruo & fulmine perculſus eſſet Antonius. Sed vox me deficiat ac dies, ornatiſſimi Iuuenes, ſi varias Ciceronis orationes & exempla percenſere velim, in quibus, etſi in Iudicijs aut conſultationibus verſaretur, ad virtutes ac laudes ſiue ad vituperationes reprehenſionéſque, hoc eſt ab inopia ad copiam, ex anguſtiis ad amplitudinem dictionem traduxit ac ſtylum. Iam verò quid nobiliſſimas Iſocratis orationes, Panegyricum Panathenaicúmq. commemoro. Quid admirabiles Helenæ, quid Buſiridis, quid Euagoræ laudationes percenſeo? quid acerrimas Sophiſtarum Callimachíque reprehenſiones refero? Sanè Iſocrates in laudationibus ita ſeſe accuratè exercuit, vt in vno Panegyrico quindecim annos conſumpſiſſe, hoc eſt longiore quàm Elephanti pariant, tempore, fœtum edidiſſe perhibeatur. Denique quantus fuit Iſocrates (fuit autem ſine dubio Orator maximus, quíque iure à Platone, & M.Tullio ſummis præconiis celebretur) totus ex motum virtutúmque ſpatiis, totus ex cohortationibus & laudationibus extitit. Vt propterea ſapienter illud ſuis Auditoribus affirmaret, vituperationem ac laudem totam cauſarum varietatem peragrare, omnia dicendi genera continere. Nam quid ego Demoſthenis orationes profero atque ingentem illam exemplorum ſyluam ingredior? etenim veriſſimè dici poteſt, clariſſimum hoc Græcæ eloquentiæ lumen, nunquam ferè ad conſultationes Iudiciáve deſcendere, quin ad laudes aut vituperationes eius excurrat oratio. Itaque tamũ dicam, quas in Philippum Macedonem conciones habuit Demoſthenes, his vnã belli Pacíſve deliberationem fuiſſe propoſitam. Et tamen in Philippo criminando ac vituperando vſque adeò exarſit, vt non conuicia & maledicta fundere, ſed tela; ſed fulmina vibrare, non ciuibus deliberandi rationem oſtendere, ſed militibus arma fabricare, immo verò Græciam vniuerſam in Philippum armare diceretur. Vt minimè mirum videri debeat Philippum ipſum, cum Philippicas aliquando recitari audiſſet, illud continuò exclamaſſe, Ipſe quoque ſi Demoſthenis conciones ac vituperationes audiſſẽ, bellum contra me ipſum ſuſcipiendum decreuiſſem.

Sed dum Oratorum exemplis doceo, Auditores, qualis & quanta ſit huiuſce generis quod explicandum nobis eſt, vtilitas & amplitudo, video me plurima præteriiſſe quæ ad eius ſiue præſtantiam ac decus, ſiue opportunitatem atque adeò neceſſitatem pertinet declarandam. Cum enim in more poſitum ſit vt non homines ſolùm, verũ etiam Vrbes, Doctrinæ, Virtutes, gentium inſtituta ac leges, humana denique ac diuina ferè omnia celebrentur, nuſquam non obuius eſt laudandi locus: nemini nõ celebrandi ſeſe offerre ſolet occaſio. Itaque & Iuriſconſultus, etſi conſultiſſimus ille quidem ac prudentiſſimus & Philoſophus quantumuis acutus & doctus, & Medicus experientiſſimus licet ac gnarus, & Dux, fortiſsimus quamuis ac rei militaris ſcientiſſimus & Ciuis ac Princeps, tametſi ciuili ſapientia mirificè inſtructus, minus doctus videri poterit, interdum etiam ignarus rerum & imperitus, niſi ea quæ cõmendatione indigeant ac laude, laudare valeat & commendare. Quod ſi Socrates, is qui Apollinis oraculum laudatiorem ſummam inuenit, minùs eruditus ac perpolitus habitus eſt quòd citharam pulſare haud noſſet, cur ingenuus vir ac nobilis non contemnatur, qui laudandi ac benè facta celebrandi virtute careat?

Denique laudibus conciliantur mortalium animi, mitigantur irati, amicitiæ confirmantur quibus nihil in hac vita dulciùs, merita compenſantur ac beneficia, gratus animus ac beneuolentia declaratur. Sed & laude rectè facta commendantur, & ad res præclarè gerendas æmulationémque virtutis excitantur omnes & inflammantur. Vt enim virtus laudata creſcit, ita mortales, etſi deſidia interdum pleniſsimi, laudibus excitantur ad virtutem. Neque enim reperitur quiſquam ita alienus ab humanitate, qui non ſuum nomen celebrari cupiat, aut certè non ſuam virtutem prædicari patiatur. Siquidem honeſta gloria optimus quiſque ducitur: laudibus nemo non flectitur & incitatur. His etiam ſi quid pulchrum, ſi quid admirabile lateat, è tenebris in lucem ex obliuione in hominum prædicationem, ex ſqualore ac ſitu in gloriæ theatrum refertur, immortalitatíque commendatur. Nam laudem eſſe Virtutis præmium, ac propterea viris probis & ſapientibus debitam eſſe, nemo non fateatur. Vt omittam laudis præſidio obtrectatores coërceri ac reprimi, Inuidiam ſæpè extingui, edacem temporis dentem retundi; Mortem ipſam quodammodo falli ac ſuperari,

Cum

Cum enim ea lege in hanc lucem editi ſimus, vt nobis aliquando ſit moriendũ, quin etiam ſic omnibus definita ſit mors, vt veluti Tantali ſaxum quotidie nobis impendeat, optandum ſanè eſt vt vita quæ neceſſitati debetur, laudi commendetur prius, ac nomen quæq. ex virtute collecta eſt fama, apud poſteros quoad eius fieri poſſit, conſeruetur. Etſi enim adulantium blanditiæ veluti peſtis vitandæ ſunt ac fugiendæ, aſſentatoribúſque ipſis, non ſecus ac Syrenis, claudendæ ſunt aures, honeſti tamen labores ac vigiliæ, quæque pro virtute ſuſcipiuntur pericula, non modo ſua laude fraudanda, verùm etiam omnibus præcomijs celebranda ſunt. Atque hinc ſanè factum eſt clariſſimi Auditores, vt olim apud Athenienſes lege ſancitum eſſet vt ii qui egregium aliquid geſſiſſent, in primis verò pro patria fortiter occubuiſſent, publicè laudarẽtur. Intelligebant enim viri illi Sapientiſſimi, inde ciues, maximè verò adoleſcentes, incẽdi ad virtutem, præſertim verò ad patriam libertatémque tuendam. quo etiã factum eſt vt innumeri in fœlicitatis loco ponerent animam pro Patria effundere, diémque illũ omnium lætiſſimum & glorioſiſſimum ducerent in quo pro Repub. vitam cũ morte commutarent. etſi enim coronis & ouationibus, multò verò magis triumphis ac ſtatuis excitarentur ad patriæ charitatem, publicis tamen laudationibus & encomiis longè magis ac magis inflammabantur.

Nec mirum. viua enim vox præſertim laudati viri, quæque a patria proficiſcitur commendatio, maiorem quandam vim habet, quàm vt cum illa trophea & lapides conferri poſſint. Statuæ nanque & imagines non animorum ſunt ſimulacra, ſed corporum: doctrinæ verò & ſapientiæ imago literarum monumentis exprimitur: virtutum effigies laudum præconiis effingitur. Itaque Alexander Macedo is qui nullam vnquam Vrbem obſedit quam non expugnarit, nullum prœlium commiſit, ex quo non victor extiterit, qui denique maximam Terrarum orbis partem militari virtute ac fortuna ſuo imperio ſubegit, vnum laudatorem Achilli inuidit, atque hac planè de cauſa carus fuit Africano Ennius, Mario, etſi alioquin a Muſis alieno, Plotius, Põpeio Mithylenæus Theophylus, Bruto Actius, M. Tullio Archias & Luceius, Mœcenati & Auguſto Flaccus & Virgilius. Quanto autem carus Cyro Regi fuiſſet Xenophõ, ſi Atticam hanc Muſam a qua tantopere celebraretur, audire potuiſſet? Sanè vnum Xenophontem in eo Rege laudando omnes omnium imagines ac ficta pictáq. ſimulacra omnia quam longiſſimè ſuperaſſe compertum eſt.

Quæ cum ita ſint, Auditores, iam facilè animaduertere licet totum hoc cauſæ genus quod laudatione continetur, cum florentiſſimum ac pulcherrimum eſſe: tũ verò digniſſimum in quo omne ſuum ſtudium collocent ij qui ſibi ſi non ad eloquentiæ metam contendendum, at certè vitam cum dignitate traducendam, exiſtiment. Quãquam ſi cuipiam vſui eſſe ſolet hoc ſtudium, vobis certè adoleſcentes optimi ac nobiliſſimi eſt perneceſſarium. cum enim neglecta dicendi exercitatione ac facultate, doctrinæ reliquæ nequeant comparari, contra verò illa retenta, doctrinas omnes fœliciter aggredi, magnóſque in illis progreſſus habere liceat; quis non intelligat noſtrum hoc ſtudium vobis toto pectore amplectendum ac diurnis nocturniſque vigilijs excolendum eſſe? Vt quidem cum ex variis Italiæ Europæque partibus ad nouas haſce Athenas, ad ornatiſſimum hoc doctrinarum theatrum ac domicilium, confluxeritis, an non animaduertitis quot quantáque in veſtris ſtudijs periclitentur; niſi ſolidis illa fundamentis nitantur? periclitatur veſtrarum Vrbium ſplendor ac dignitas quæ per vos conſeruari optat & augeri. Periclitantur honeſtiſſimæ parentum ſpes & cupiditates, cum ex tot incommodis ac ſumptibus, familiæ commoda & ornamenta ſuo iure a vobis repoſcant. periclitatur Patauinæ & Ciuitatis & Academiæ authoritas & exiſtimatio, quæ per vos Europa tota propaganda eſſet ac uirtutum ſplendore illuſtranda. Denique, ne longum faciam, Doctorum lucubrationes, Triumuirûm vigilantia, Sereniſs. Principis maieſtas, dicam planiùs, tutius Chriſtianæ Reipub. ornamentum ac decus, ſed quid dico ornamentum ac decus? ſalus ipſa periclitatur. Itaq. Patauinam mihi Vrbem quodammodo intueri videor, quæ quoniam communis patria facta eſt voſq. omnes quaſi filios vnicè diligit, ſqualida & mœrens hiſce vos interim vocibus lamentationibúſque compellet. Egoquidem perbeata prædicabar aliquando, cum ad eximiam nobilitatem atque ſplendorem quem ex Antenore parente optimo ac gentis antiquitate referẽ, ſingularis ac propè diuina Ciuium meo-

rum

rum doctrina acceſſiſſet ac ſapientia. Ob hanc enim ex Europa tota maximus ad me concurſus fiebat lectiſſimorum adoleſcentium, quibus nihil antiquius erat. nihil ſuauius, nihil optatius quàm vt in meo ſinu optimis artibus ac diſciplinis imbuerentur, ac poſt diuturnas vigilias & exercitationes laurea cæteriſque doctrinæ ornamentis decorarentur. Ita ſanè cum ij propter incredibilem doctrinam ac ſapientiam omnibus admirationi eſſent, ipſa, quæ docebam, iam tum in docendo me diſſeminare arbitrabar in orbis terræ memoriam ſempiternam. Quid plura? In tanta ſiue doctrinarum copia & varietate, ſiue Auditorum concurſu & celebritate, ſic apud exteras gentes mea percrebuit gloria, vt veterem Athenarum gloriam non æquaret modò, verùm etiam longo interuallo ſuperaret. Sed ô fallaces ſpes, ô volucrem fortunam, o breues gratulationes. Nunc enim ex ſumma illa frequentia ad ſolitudinem, ex celebritate ad orbitatem, ex ſplendore ad ſqualorem ſic recidimus, vix vt vllum priſtinæ dignitatis veſtigium retineamus. Quod ſi iam vrgeat eadem fortuna quæ cœpit, nec vos mœrori noſtro & calamitati ſuccurrendum putetis, quò me infœlix vertam, ad quos confugiam, quem implorem & obteſter, non habeo. Hæc illa, Auditores. Ego verò (vt verè fatear) illius acerbitate ſic afficior, vt præ animi dolore plura de illius calamitate commemorare nec poſſim, nec velim. Et ſi enim video interim Gymnaſium hoc noſtrum ſuperioris ſæculi ſqualorem abieciſſe, & veterem infrequentiam atque adeò ſolitudinem, in quas neſcio quo pacto illud offendimus, cum frequentia & celebritate fœliciter commutaſſe, ita vt mihi tum de veſtro concurſu & crebritate, tum maximè de ſtudio & ardore vehementer lætandum ſit, veruntamen id Patauinæ Academiæ vniuerſæ, quanta eſt, atque in omni doctrinæ genere eſt tribuendum. Vt quoniam grauiora vobis ſtudia in dies capeſſenda ſunt, atque in omni doctrinarum genere verſandum, celeberrimum hoc Atheneum per vos omni ex parte vigeat & efflореſcat. Itaque veſtræ iam ſunt partes, Clariſſimi Adoleſcentes, hæc diligenter reputare, atque omnino efficere, vt vos ipſos ab impuris voluptatibus quod facitis, ab armorum ſtrepitu, ab corruptelæ illecebris omnibus etiam atque etiam ſeuocantes, ac celſo fortique animo doctrinarum curricula virtutiſque viam ingredientes, Patauinæ Vrbis Academiæque mœrori & acerbitati, Parentum veſtrorum optatis, honori quoque veſtro, ſed in primis Chriſtianæ Reipub. bono proſpiciatis. Ego enim in veſtra induſtria & humanitate, quam pari cum nobilitate ingeniiſque vbertate coniunctam eſſe & ſentio & gaudeo, rem interim repono totam, méque vobis, hoc eſt vtilitati dignitatique veſtræ, de more do, dono ac dico.

D I X I.

ORATIO XV.

De naturali hominis in Patriam amore & charitate. Hanc ſcripſit vt amico gratificaretur in Patriam poſt multos annos redeunti & in Iuriſconſultorum Collegium cooptari poſtulanti.

NEmo non intelligit Patres Ampliſſimi varia eſſe hominum ingenia: ac noſtros animos varijs affectibus excitari. Inter quos potiſſimum ſanè obtinet locum cupiditas gloriæ, qua nomen quoquo modo ad immortalitatem contendit. Atque hæc ſanè cupiditas & Themiſtoclis & Alexandri Macedonis & M. Tullij vſque adeò incendit animũ & inflammauit, vt de gloria & immortalitate nominis dies noctéſq. cogitarent. Itaque Themiſtocles noctu ambulabat in publicum quòd ſomnum aut vllam quietis partem capere non poſſet: cúmque ex eo quæreretur cur ita faceret, reſpondebat ſe Milciadis trophæis & gloria a ſomno ſuſcitari. De Alexandro autem nihil attinet dicere: qui hac vna de cauſa Achilli inuideret Homeri præconium. Etſi enim magnopere ſuſpicor ſummum hunc Heroem ac Ducem inde in primis commotum eſſe, & Achillem fortunatum appellaſſe, quòd ſuæ ſibi virtutis conſcius, ac rerum a ſe geſtarum magnitudinem reputans, ſe reuera & longè magis

quàm

quàm Achillem Homeri Muſa (ea enim rudi illo ſæculo illuſtris viſa eſt & eximia) dignum exiſtimaret, & debita laude atq; heroico præconio fraudatum cerneret, haud tamen eſt quod dubitemus Alexandrum gloriæ cupiditate mirificè æſtuaſſe, atque in hac ſummum bonum veluti collocaſſe. Et hinc ſanè accidit vt cum ab Anaxarcho audiret plurimos eſſe Mundos, grauiter cõmoueretur & ingemiſceret quòd ſe diceret ne vnum quidem adhuc integrum comparaſſe. Denique ſatis conſtat ſummum illũ Romanæ eloquẽtiæ parentem, atque adeò Oratorum facilè principem, M. Tullium mirificè ad gloriam aſpiraſſe: huius intenſum ſtudio grauiſsimos labores, perpetuas vigilias ſubijſſe, virtutem ipſam, doctrinam, ſapiẽtiam ad gloriam retuliſſe. Trahimur (inquit) omnes laudis ſtudio: & optimus quiſque maximè gloria ducitur: Philoſophi etiam in libris quos de contemnenda gloria ſcribunt, nomen ſuum inſcribunt, & in eo ipſo in quo prædicationem nobilitatémque deſpiciunt, prædicari ſe ac nominari volunt. & rurſus, In imperio atque in publica dignitate omnia ad gloriã ſplendorémque reuocantur, quandoquidem vita breuis eſt: curſus gloriæ ſempiternus.

Neque verò non acer ac vehemens in mortalium pectore excitatur cupiditas qua ad varias terrarum partes ac regiones perluſtrandas, ad gentium mores peregrináq. inſtituta cognoſcenda, denique ad terreni huius Mundi Theatrum ſpectandũ & contemplandum, adducuntur. teſtis eſt laudatiſsimus ille Athenicẽſium legislator Solon, qui, etſi in patria certatim a ſuis ciuibus coleretur, & in magna exiſtimatione haberetur, maluit tamen longè latéque peregrinari, quàm in ciuium oculis patriaéque amplexu verſari. teſtis eſt Lycurgus: qui cum a rege vnicè diligeretur, & ad regni adminiſtrationem magno cum honore adhiberetur, ſatius eſſe duxit ac fœliciùs in Aegyptum, ad Perſas, ad Indos traijcere, ac varias Mundi plagas obire, varios hominũ mores perdiſcere. Teſtis Apollonius ille ſiue Magus ſiue ſapiens. qui intrauit Perſas, pertranſiuit Caucaſum, Albanos, Scytas, Maſſageſtas, opulentiſsima Indiæ regna peruaſit: & ad extremùm latiſsimo Piſon amne tranſmiſſo ad Brachmanas peruenit ac penetrauit. Deinde Pythagoras, Plato, Architas, Euclides, alij ſexcenti memorantur iique prudentiæ laude clariſsimi, quos peregrinandi cupiditas incendit, excitauit, inflammauit.

Me verò, vt verè fatear, Conſeſſus ornatiſsime, non ardens illa cupiditas gloriæ, nõ peregrinandi ac terras viſendi ſtudium incendit; ſed patriæ cupiditas ab ineunte ætate ſemper tenuit. ita vt patriæ cogitatione atque ad eam remeandi deſiderio vel potiùs ardore pectus ſemper æſtuauerit meum. Et ſanè cum Vlyſſes, etſi immortalitatem illi offerret Calypſo, dummodo apud eam degere ac vitam traducere ne grauaretur, patriam immortalitati anteponeret, quid ne ipſe qui extra patriam mihi extorris ac ſine tribu & lare vitam traducere ſemper viſus ſum, non de patriæ ſedibus ac domicilijs, déque affinium caritate, complexu, ſuauitate dies noctéſque cogitem? Quid multa? ille, quippe eximia virtute præſtans, ac rerum geſtarum gloria clariſſimus, poterat magna cum gloria in aliena vrbe verſari; præſertim verò, quia viro frugi ac ſapienti omne ſolum patria eſt; & tamen Ithacam patriam, hoc eſt vrbem perexiguam & aſpertimis ſaxulis tanquam nidulum affixã, reliquis Vrbibus omnibus antepoſuit; cur igitur ipſe, qui nulla rerum geſtarum aut virtutis laude excellam vnde peregrinis gentibus gratioſus efficiar, non patriæ amplexum expetam? aut cur non in eam vrbẽ remigrare geſtiam quæ incredibili cœli clementia & fœlicitate, vbertate ac feracitate ſoli, frugum fructuúmque ſuauitate atque præſtantia, in primis verò nobilitate, ingenio, authoritate, denique optimarum artium ſtudiis ac Iuriſprudentiæ laude ad miraculum excellit ac præſtat? Itaque vt mihi nihil patria dulcius, nihil optatius, accidere poterat, egregium ac magnificum vel potius regium Vicentiæ theatrum pro Terrarum orbis theatro mihi reuiſendum & contemplandum ſtatuebam: ciuibus meis nobili aliquo officii genere opitulari, ac tempus tranſmittere, pro nominis celebritate & gloria proponebam. Denique ampliſſimum hoc & celeberrimum Iuriſconſultorum Collegium, ſi quando mihi aditus & conſeſſus ad illud patuiſſet, pro Calypſea immortalitate illa aut etiam Iouis ambroſia & nectare mihi augurabar & expetebam.

Et quidem talis eſt ac tantus quem in hominis pectus amorem inſéruit ingeniúmque Natura erga patriam, vt qui patriæ amore non excitatur aut ſuauitate non capi-

tur,

tur, hunc ſtupidum atque adeò inerti ſtipiti ſimillimum iudicauerim. Patria (inquit magnus ille patriæ propugnator ac liberator M. Tullius) Patria, inquã, nihil dulcius, nihil carius in vita eſſe debet. nullus locus eſt domeſtica ſede iucundior. chari ſunt liberi, propinqui, familiares: ſed omnes omnium charitates Patria complexa eſt. Et rectè quidem. cum enim Natura duce amicos, multò verò magis parẽtes ac liberos, diligamus, quid ni ſumma quadam beneuolentia & charitate Patriam proſequamur quæ nobis & amicos & liberos ac parentes ſuppeditat ac tuetur? Itaque magnus ille Philoſophorum coryphæus ac veritatis amator Plato, nullam in terris maiorem eſſe charitatem arbitratus eſt quàm quæ cum patria intercedit vnicuique. Hæc parens, hæc nutrix hominum: hæc artibus, opibus, diſciplinis inſtruit, dignitatibus ornat: hæc omnia ad ſuorum ciuium commoda refert & ornamenta: amat hæc, viciſſimq. amari cupit: tuetur illa ſuos, nec vult negligi: ſed à ciuibus exigit officia, & quod cuiq. noſtrum præſtat, ſuo iure a nobis repoſcit. Denique cum nobis communis hæc omniũ parens, huius lucis vſuram, parẽtes, commoda, leges, humana, diuináque omnia procuret, vt benè beatéque viuamus, quis tam inhumanus & ferus reperiatur, qui hanc nõ modò non ſpernat & obliuiſcatur, verùm etiam perpetuò illam amore ac ſtudio proſequatur? Scitè igitur non minùs quàm eleganter Poëta,

Neſcio qua natale ſolum dulcedine cunctos
Ducit & immemores non ſinit eſſe ſui.
Quid melius Roma? Scythico quid frigore peius?
Huc tamen ex illa barbarus Vrbe fugit.

Quid quod viri ſapientes exiſtimarunt ijs qui patriæ commoda ſalutémque tuerẽtur, atque eius dignitatem amplificarent, proprium in cœlo conſtitutum eſſe locũ in quo multò beatius quàm cæteri æuum ducerent? Itaque Magnus ille Scipio omnibus (inquit apud M. Tullium) qui patriam conſeruarint, adiuuerint, auxerint certus in cœlo ac definitus eſt locus, vbi beati æuo ſempiterno fruantur. Nihil eſt enim illi principi Deo qui omnem hunc Mundum regit, in terris acceptius quàm concilia; cœtúſque hominũ iurè ſociati qui Ciuitates appellantur: harum rectores & conſeruatores hinc profecti huc reuertuntur. ſic ille. qui ſanè dum hæc ſentiret ac diceret, non in Epicuri quidem ſchola edoctus, aut Cynicorum inſtitutis imbutus, ſed admirabili Platonis doctrina ac ſanctiſſimis diſciplinis excultus videri potuit. hic enim nos admonet genitoribus patriam eſſe anteponendam quòd venerabilius quiddam ac ſanctius ſit patria, & in ſuperiore ſorte tum apud Deum tum apud homines habenda & collocãda. Quid plura? alterum nobis veluti Deum patriam eſſe cenſuit Plato. Eſt (inquit) patria veluti alter quidam Deus, & primus maximúſque parens: ita vt ſecundum Deum colenda ſit. Quæ cum ita ſeſe habeant, nemo veſtrum (opinor) miretur, Patres Ampliſſimi ac ſapientiſſimi, quòd me patriæ cupidiſſimũ animaduertat in præſentia. Etenim cum patriæ commoda & ſuauitatem deguſtare cœpiſſem adoleſcentulus, atq; in eius complexu iucundiſſimè viuerem, ecce tibi inde repentè migrandum atque in aliena mihi Vrbe degendum fuit: vbi ſexdecim integros annos patria veluti extorris atque exul dies mihi ipſe traducere viſus ſum: præſertim verò cum in eâdem breui & patruo ſuauiſſimo doctrinaéq. laude clariſſimo, apud quem degerem & ad doctrinas informarer, importuna morte priuatus, paulò poſt etiam matre optima & lectiſſima fœmina, a qua vnicè diligerer, quam etiam in oculis ferrem, orbatus, non poſſem non in ſqualore quodam ac mœrore verſari. Et quamquam interim id ſolatij haberem, vt mihi liceret præclaris Philoſophis & Iureconſultis operam dare, atque optimis diſciplinis informare animum, patria tamen in mentem recurrebat perpetuò: hæc obuerſabatur ante oculos: hæc meas ad ſe cogitationes rapiebat ferè omnes. Denique vt Ithacenſis ille ſic patriæ memoria & charitate commouebatur, vt vel eius fumũ alienis delicijs anteferret, ſic ipſe, vt inuitus ab eius ſinu diuulſus fueram, inuitúſque aberam, dies noctéſque de patria cogitabam, atque huius non dicam fumum, ſed vſuram lucis, pulchritudinem Vrbis, nobilitatem Ciuium ac dignitatem, cæteris commodis anteponebam. Quapropter cũ mihi ſuperioribus menſibus Deo benè iuuante contigerit, vt inſtitutæ diſciplinæ curriculum de more peregerim, ac Iuriſprudentiæ lauream in Patauina Academia retulerim, nunc mirificè lætor quòd in eam Vrbem ac Patriam mihi breui ſit redeundum ac tanquam è poſtliminio remigrandum, cui me

totum

totum dédere & conſectare cupidiſſimè ſemper optaſſem. Etſi enim Patauina mihi Vrbs chara ſemper erit in qua ad humaniores literas primùm, tum ad grauiores diſciplinas, inſtitui conceſſum fuit; in Vicetina tamē Vrbe mihi ſedem ac domicilium ſtatuendum, in hac omnes meas rationes & cogitationes ponendas, pro eâdē etiam, ſi opus fuerit, moriendum conſtitui. Quamquam, tum demum omnibus gaudijs exultabo, ſummiſque lætitijs inceſſam, cum mihi pro veſtra humanitate Vicetino et Collegio frui licuerit atque honeſtiſſimo & ampliſſimo conſeſſu veſtro, quæ veſtra erit benignitas, cohoneſtabor.

Scio quidem, Patres Conſcripti, me cum ingenio & doctrina tum rerum gerendarum peritia & exercitatione vobis longè imparem eſſe: nec vel Naturæ vel fortunæ dotibus & ornamentis cum vllo ex ijs qui in hoc ampliſſimo Theatro ſedent, conferri poſſe; ſed tamen quantum ſtudio ac diligentia, quantum diurnis nocturniſq. vigilijs & laboribus, eniti potero, equidem virtutem ac prudentiam veſtram imitabor, veſtra conſilia & facta æmulabor, vt non modò tam honorificum de me iudicium non fallam, verùm etiam in dies magis ac magis veſtris erga me ſtudijs beneficiiſque reſpondeam. vt enim in cœli Theatro luna, etſi per ſe obſcura ſatis & languens, dum ſplendidiſſimæ ac pulcherrimæ Solis occurrit luci, paulatim illuſtratur & nitore completur, ſic ego in illuſtri hoc Theatro, dum veſtra ſectabor veſtigia, dum in grauiſſimis iudicationibus ac negocijs prudentiam veſtram, integritatem, conſtantiam, æquitatē imitatione perſequar, veſtræ, vt ſpero, virtutis ac ſapientiæ luce illuſtrabor. Ita demū, niſi me ſpes fallet, Patres ampliſſimi ac ſapientiſsimi. ſed optatis reſpondebit meis, dum vos ipſe admirabor & colam, dum veſtram ſapientiam & virtutem tum dicendo tum agendo vtcunque exprimam, in primis verò obſequijs & obſeruantia declarabo quantopere vos diligam & in oculis feram, neminem veſtrûm pœnitebit honori ac dignitati meæ fauiſſe, ac ſuam erga me humanitatem ac beneuolentiam declaraſſe. Quin etiam quiſque veſtrûm me tanquā ſuæ beneficentiæ germen nouis quotidie beneficijs & ornamentis explere geſtiet ac cumulare. Quæ cum ita ſint, nunc vos Patres optimos & excellentiſsimos enixè rogo & obteſtor vt mihi legem de more ſortitam repetendam attribuatis & explicādam. cum enim iam vigeſimum ſecundum annum exegerim, in quo mihi hac in re veſtra beneficentia vti licet, ea ſine cunctatione vlla vtendum decreui; vt veſtra opera, hoc eſt humanitate, ſtudijs, beneuolentia, fauore denique & charitate, in patriam fœliciter reuerti, atque in eâdem cum dignitate verſari, ac vobis, quos vnicè ſemper colam ac diligam, in perpetuum obſtringi, tribuatur.

DIXI.

ORATIO XVI.

Virgilij Aeneis, quippe quæ Populi Romani texat hiſtoriam, ornatur ac celebratur. Habita Patauij cum Aeneis atque heroici poematis artificium explicanda eſſet.

INter cæteras laudes quibus Auguſtus, ac Romani deinde, Virgilium exornarant, ea quidem longè præclara & nobilis, ſed admirabilis tamen ac propemodum incredibilis, videri ſolet, qua populi Romani Hiſtoricus appellatur. cum enim Poëtæ ſit fingere & comminiſci, quid obſecro in Virgilio, hoc eſt in Poëta opimo, reperiatur, vnde hiſtoricus meritò appelletur? aut cur Poëſis non è regione opponatur hiſtoriæ, cum hæc veritate nitatur tota, illa mendacijs gaudeat & concludatur? Quid? nonne Græcorum Poëtarum vertex Homerus ea maximè de cauſa celebratur ab Ariſtotele quòd aptè mentiatur, atque adeò mentiendi artem ac rationem oſtenderit? Sic ſanè. Cur igitur Virgilius, hoc eſt Latinus Homerus, hiſtoriæ potiùs ac veritatis nomine quàm mentiendi dexteritate ac poëſis

virtute commendetur? Denique Auguſti ſæculo præter Atticum atque alios multos, Halicarnaſſeus, Dionyſius iam Populi Romani facta conſcripſerat: per idem tempus florebat noſter Liuius, qui Romanum hiſtoriam ab Aneæ aduentu repetens ad Auguſtum vſque traduxerat. quis igitur non commoueatur cum audiat vnum Virgilium populi Romani hiſtoricum renunciari, & a Romanis miro conſenſu ac plauſu Romanæ hiſtoriæ ſcriptorem conſalutari? Verùm, ſi quis rem attentiùs æſtimet ac mediterur, intelliget profectò non immeritò Virgilium hoc præconio commendari, ac Romani hiſtorici laudem noménque referre. Etenim ſi in eo vetuſtiſſima Romanæ gentis incunabula authorémque requiras; ecce tibi hæc quaſi alter Liuius ab Aneæ Troianorúmque repetit aduentu, atque ita repetit, vt ipſius Aneæ pericula, nauigationes, bella, vitam denique vniuerſam, quæ tamen ab Halicarnaſſeo & Liuio prætermittuntur, conſcripſerit. Quod ſi deinde Regum Albanorum ſucceſſionē exquiras qui ab Aenea ad Romulum profecti ſunt; eam tibi Virgilius ſtrictim quidē, ſed pleniùs tamen ac luculentiùs, narrat quàm Liuius.

Nunc age, Dardaniam prolem quæ deinde ſequatur
Gloria, qui maneant Itala de gente nepotes,
Illuſtres animas noſtrúmque in nomen ituras,
Expediam dictis & te tua fata docebo.
Ille (vides?) pura iuuenis qui nititur haſta,
Proxima ſorte tenet lucis loca: primus ad auras
Ætherias Italo commiſtus ſanguine ſurget.
Syluius, Albanum nomen, tua poſthuma proles,
Quem tibi longæuo ſerum Lauinia coniux
Educet ſyluis regem: regúmque parentem:
Vnde genus longa noſtrum dominabitur Alba,
Proximus ille Procus Troianæ gloria gentis
Et Capys, & Numitor, & qui te nomine reddat.
Syluius Aeneas, pariter pietate vel armis
Egregius. ſi vnquam regnandum acceperit Albam.
Qui iuuenes quantas oſtentant aſpice vires,
Atque vmbrata gerunt ciuili tempora quercu.
Hi tibi Nomentum & Gabios vrbémque Fidenam,
Hi Collatinas imponent montibus arces:
Pomerios caſtrúmque Inui Bolámque Caramque.

Sic Virgilius Latinorū ſiue Albanorum Regum texit hiſtoriam. Dum verò Romulus ac Remus Albano Regum ſanguine oriuntur qui Romanam condunt Vrbem,

Quin & auo (pergit Virgil.) *comitem ſeſe Mauortius addet*
Romulus, Aſſaraci quem ſanguine Ilia mater
Educet. video vt geminæ ſtant vertice criſtæ?
Et pater ipſe ſuo ſuperûm iam ſignat honore?
En huius nate auſpicijs illa inclyta Roma
Imperium terris, animos æquabit Olympo,
Septémque vna ſibi muro circundabit arces.

& rurſus cum Vulcani deſcriberet clypeum

——— Illic genus omne futuræ
Stirpis ab Aſcanio, pugnatáque in ordine bella
Fecerat: & viridi fœtam Mauortis in antro
Procubuiſſe lupum: geminos huic vbera circum
Ludere pendentes pueros, & lambere matrem
Impauidos: illam tereti ceruice reflexam
Mulcere alternos, & corpora fingere lingua.
Nec procul hinc Romam & raptas ſine more Sabinas
Conſeſſu caueæ magnis Circenſibus actis,
Addiderat: ſubitóque nouum conſurgere bellum
Romulidis, Latióque ſeni, Curibúſque ſeueris,
Poſt ijdem inter ſe poſito certamine reges

Armati,

Armati Iouis, ante aras, pateráſque tenentes
Stabant, & cæſa iungebant fœdera porca ;

hęc de Romulo Virgilius. Vt quamuis non inficier huius facta Regis vberiùs a Liuio, copioſiſsimè a Dionyſio, deſcribi, Virgilius tamen adamuſſim illa cecinerit & eleganter. Sed quæſo Numam, quàm egregiè deſignet, attendite,

Quis procul ille autem ramis inſignis oliua,
Sacra ferens, noſco crines incanáque menta
Reges Romani. primus qui legibus Vrbem
Fundabit : Curibus paruis & paupere terra
Miſſus in imperium magnum.

Sic Numam, cui ſcitè Tullius, & Ancus ſubijciuntur.

Cui deinde ſubdit,

Otia qui rumpet patriæ reſidéſque mouebit
Tullus in arma viros, & iam deſueta triumphis
Agmina : quem iuxta ſequitur iactantior Ancus,
Nunc quoque tum nimium gaudens popularibus auris.

& alibi rurſus.

Haud procul inde citæ Metum in diuerſa quadrigæ
Distulerant (at tu dictis Albane maneres)
Raptabátque viri mendacis viſcera Tullus
Per ſyluam, & ſparſi rorabant ſanguine vepres.

nec tamen interim reticentur Tarquinij, de quibus ſic canit Poëta noſter.

Vis & Tarquinios reges, animámque ſuperbam ?

& rurſus.

Nec non Tarquinium eiectum Porſenna iubebat
Accipere, ingentíque Vrbem obſidione premebat.
Illum indignanti ſimilem, ſimilémque minanti
Aſpiceres pontem auderet quòd vellere Cocles,
Et fluuium vinclis innaret Clœlia ruptis.

Ita quidem eleganter ac ſplendidè Romanorum Regum facta ad Coſs. vſque deſcripſit Virgilius.

At enim vbi egregius ille Romanę libertatis vindex & author Brutus? vbi cæteri illi Coſs. ac ciues qui pro Romana Rep. & imperio fortiter dimicarũt? en illos: attẽdite.

Vltoris Bruti faſcéſque videre receptos
Conſulis imperium hic primus ſæuáſque ſecures
Accipiet : natóſque pater noua bella mouentes
Ad pœnam pulchra pro libertate vocabit.
Infœlix : vtcunque ferent ea fata nepotes.
Vincet amor patriæ laudúmque immenſa cupido.
Quin Decios Druſóſque procul ſæuúmque ſecuri
Aſpice Torquatum & referentem ſigna Camillum.

Sed imprudens ſim ego, Auditores optimi, qui Virgilianum Romanæ hiſtoriæ campum ingreſſus ſim, quem perbreui hoc temporis ſpatio quod mihi ad dicendum tribuitur, percurrere haud liceat. Igitur tantum dicam Latinum Poëtam Romanorum hiſtoriam non modò ab Aenea per Albanos Romanóſque Reges & Conſules ad Vrbem a Gallis captam & a Camillo in priſtinum decus reſtitutam texuiſſe, quemadmodum audiſtis; verùm etiam ab eodem Camillo per reliquos Conſules ad Auguſtum vſque traduxiſſe: ita vt Aeneidem attentiùs reputanti, Romana hiſtoria ſeſe obijciat vniuerſa. Quid multa? is fuit noſter Vates, qui etſi interim Iuliam gentem ſibi celebrandam atque hinc in Auguſti Laudibus exultandum propoſuiſſet, C. Cæſarem proferre maluerit arma in patriam conuertentem, quàm hiſtoriam imperfectam relinquere. Et huc illud pertinet quod de Cæſare cecinit cum aduerſus Pompeium deſcenderet,

Aggeribus ſocer Alpinis atque arce Monœci
Deſcendens, gener aduerſis inſtructus Eois
Ne pueri, ne tanta animis aſſueſcite bella :

Num patriæ validas in viſcera vertite vires.
Túque prior, tu parce, genus qui ducis Olympo
Proijce tela manu ſanguis meus.

Quin etiam vt plenior eſſet hiſtoria, ad Tartareas quoq; Sedes intendens oculũ, eos ſtrictim ſaltem agnoſcit qui per vim patriæ tyrannidem affectaſſent.

Hinc procul addit

Tartareus etiam ſedes alta oſtia Ditis,
Et ſcelerum pœnas & te Catilina minaci
Prudentem ſcopulo furiarúmque ora trementem.

Ita quidem ad Auguſti facta deſcendit quem diuinis laudibus ornare non dubitauit.

Hic vir, hic eſt tibi quem promitti ſæpius audis,
Auguſtus Cæſar, diuum genus, aurea condet,
Secula, qui rurſus Latino, regnata per arua
Saturno quondam ſuper & Garamantas & Indos
Proferet imperium, iacet extra ſydera tellus.
Extra anni ſoliſque vias vbi cœlifer Atlas
Axem humero torquet ſtellis ardentibus aptum;

Hæc & alia plura de Auguſto, in quibus Marcelli nepotis eximium præconium & funus Romanam abſoluit hiſtoriam. Itaque Meſſala cum Iuliæ gentis hiſtoriam deſcriberet, ac Romanorum principũ ſucceſſionem declararet, nihil antiquius habuit quàm vt ab Aenea & Aſcanio per Albanos Reges ac Romulum ad Auguſtum vſque, Virgiliano planè more ac modo, deſcenderet. Quis igitur inficiari audeat Virgilio Romani hiſtorici nomen iurè ac meritò tributum eſſe?

Quamquam mea quidem ſententia, altiùs adhuc ſpectarunt Romani dum Virgilium Romanorum hiſtoriam ſcripſiſſe affirmarent, ac Populi Romani hiſtoricũ appellarent. Etenim ſi quid erat vnde tum maximam ſibi nominis celebritatem conciliaſſet Homerus, tum Græcorum ſiue creuiſſet æſtimatio, ſiue generoſa quædam exultaret ambitio; Iliadis certè erat præconium, quo Græci, quippe Troiæ expugnatores Aſiæque victores tantopere celebrantur, vt enim facilè fuit Athenienſes ipſos Athenis laudare, ac Græcos in Græcia celebrare, facilius etiam ab iis quos laudaueris & celebraueris, commendari, mirum eſt quantopere ob Iliadem Græcorũ Homerique ipſius gloria percrebreſceret. Sed ecce tibi Virgilius extitit tandem qui Latinorum facta cum Poëſi tali tantóque artificio temperauit, quæque a Romanis præclarè geſta eſſent tam appoſitè elegantérque decantauit, vt tum heroico ſtylo & carminis nobilitate tum in primis argumenti præſtantia ac maieſtate Homerum ac Poëtas omnes quotquot floruerant longiſſimè ſuperarit. Id quod & Poëta nobilis ſignificauit egregiè cum de Aeneide caneret.

Cedite Romani ſcriptores: cedite Graij:
Neſcio quid maius naſcitur Iliade:

& Romani vniuerſim declararunt, cum Maronem Romanorum hiſtoricum renunciari voluerunt: & Aeneidem ipſam Populi Romani hiſtoriam inſcripſerunt. Et quidem magnum fuit Auditores Populum Romanum in Theatro Virgilij verſibus auditis ſurrexiſſe vniuerſum: maius Romanos præſentem ſpectantémq. Virgilium non ſecus atque Auguſtum veneratos eſſe: ſed longè maximum inter clariſſimos rerum Romanarum ſcriptores, Populi Romani hiſtoricum appellari, neque enim humana hiſtoria vlla rerum geſtarum ſplendore ac magnitudine ſeu varietate & multitudine cum Romana conferri poteſt. Quapropter quæ de C. Cæſaris ac Cn. Pompeii victoriis ac factis pronunciauit M. Tullius, ea fermè ad Romanæ hiſtoriæ amplitudinem, vnde Virgilii amplitudo declaretur, videor mihi referre poſſe. Nullus tantum eſt flumen ingenii, nulla dicendi aut ſcribendi tanta vis, tanta copia, quæ non dicam exornare, ſed enarrare res a Romanis geſtas poſſit. Itaque ſi quis ſibi ante oculos ponat omnia cæterarum gentium potentiſſimorúmque populorum aut etiam fortiſſimorum Imperatorum ac Regum vel Rerumpublicarum facta, ſentiet cum Romanis nec contentionum magnitudine nec numero præliorum, nec varietate regionum, nec celeritate conficiendi, nec diſſimilitudine bellorum, poſſe conferri. Denique (vt me planiùs explicem) quas in ſummo Imperatore

virtutes requirendas, in Pompeio verò ad miraculũ ſuſcipiendas, cenſuit M. Tullius, ſcientiam rei militaris, virtutem, authoritatem, fœlicitatem; has omnes in Romana Repub. vnicè demiremur neceſſe eſt. inter quas fortitudo in primis enituit ac militaris virtus, qua ſæpius cum hoſte conflixit quàm aliæ Reſpublicæ omnes cum inimicis concertarint: plura bella geſſit quàm quiſquam mortalium legerit: plures Prouincias confecit quàm cæteræ gentes concupierint. cuius veluti adoleſcentia ad ſcientiã rei militaris non alienis præceptis, ſed ſuis imperiis, non offenſionibus belli, ſed victoriis, non ſtipendijs, ſed triumphis traducta eſt. Neque verò vllum genus belli fuit in quo Romanos non exercuerit fortuna Reipublicæ. Italicum multiplex, Siculũ, Africanum, Hiſpanienſe, Tranſalpinum, mixtum ex ciuitatibus atque ex bellicoſiſſimis nationibus, Achæum, Aſiaticum, Illyricum, Macedonicum, &c, ne conſecter omnia, ſeruile, nauale, ciuile varium: quæ ſic etiam geſſit & confecit, vt nulla res in vſu militari ſit poſita quæ Romanorum ſcientiam ac virtutem effugeret. Ac profectò eſt quod in præſentia eas vnas militares & imperatorias virtutes in Romana Republica probemus & admiremur quæ vulgò exiſtimantur; laborem in negotiis, fortitudinem in periculis, induſtriam in agendo, celeritatem in conficiendo, conſilium in prouidendo, clementiam in ignoſcendo: quæ tanta fuerunt in hac vna, quanta in omnibus reliquis gentibus, quas aut vidimus aut audiuimus, nunquam fuerunt, ſed tamen eſt etiam cur ſplendorem & decus vel potiùs inauditam quandam ac penè diuinam amplitudinem & gloriam agnoſcamus & celebremus. Teſtis eſt Italia. Sed quid dico Italia? Europa vniuerſa ac totus ferè Terrarum orbis, cum de tribus Terræ partibus vel vnus Romanus Imperator tres inſignes triumphos reportauerit. Itaque multò facilius ſit Auditores ſtellas propemodum, quàm Romanorum triumphos ac trophæa percenſere. Faciliùs etiam ſit cœli decus ac pulchritudinem dicendo referre & exæquare, quàm huiuſmodi triumphorum pompam & maieſtatem orationis ſtylo exprimere. qualem enim pompam triũphi illius fuiſſe dixeris in quo expugnatæ arces mille, deuictæ vrbes nongentæ, captæ depreſſæve naues octingentæ, diuerſæ inter ſe gentes quæ populi Romani Imperio ſimul additæ eſſent, quatuordecim, numerarentur, & operoſis ſimulacris effictæ nobilique ſpectaculo circumferrentur? Nam de clariſſimis Senatoribus ac ſummis Ducibus & Imperatoribus ſat ſit monuiſſe, Magni Alexandri ſpeculatores Romanorum patrum maieſtate perculſos, retuliſſe, quot Romæ Senatores, tot ſe Alexandros inueniſſe: ſapientiſſimum verò Pyrrhi legatum Cineam interroganti Regi qualem offendiſſet Romam, reſpondiſſe ſtatim, Regum ſe patriam vidiſſe: taléſque ſibi viſos Senatores ſingulos Romæ, qualis ipſe Pyrrhus in Epiro ac reliqua Græcia videretur. Vt propterea exteræ gentes ac nationes habeant vnde Romanorum facta ſine ſatietate mirentur, ac Romanæ Reipublicæ nomen extollant, cui ob admirabilem virtutem & fœlicitatem ſocij toto terrarum orbe obtemperarint, hoſtes obedierint, venti tẽpeſtateſque obſecundarint. præſertim verò quia cum tandem Imperij fines non terræ ſed cœli propemodum regionibus terminaſſet, inuidiam fama, famam gloria, gloriam virtute ſuperauit. Quid plura? Romani Imperij maieſtas ad eam peruenit amplitudinem ac dignitatem quam ſperare incredibilis fidentiæ, tentare vix heroicæ fortitudinis, perficere diuinæ propè virtutis atque inauditæ fælicitatis, cenſendum ſit. Ita factum eſt vt omnem rerum humanarum vſum prætergreſſa, quaſi Solis æmula, breui omnes terras ſuo ſplendore compleuerit, & proximum cœlo caput extulerit.

Quin etiam nihil eſt Auditores ornatiſſimi, cur cæteri populi fateri vereantur Romanam virtutem ac maieſtatem quoniam non in Regibus modò & Conſulibus, verùm etiam in Auguſto, Traiano, Conſtantino, atque alijs Imperatoribus multis adhuc enituit ac floruit, diuturnitate quoque poſteris gentibus ampliſſimum admirationi, exiguum aut nullum æmulationi, reliquiſſe locum. Ex quo fit vt Romana hiſtoria ſiue præſtantia & dignitate, ſiue admiratione ac pulchritudine, ſiue vtilitate & iucunditate, humanas hiſtorias omnes quamlongiſſimo ſuperet interuallo.

Neque verò hæc dixerim Auditores quòd Græcam hiſtoriam contemnam, quam vnus vel Themiſtocles vel Alexander mirificè nobilitate potuit, ac ſupra multarum gentium hiſtorias efferre, ſiquidem nec ſplẽdore & amplitudine, nec varietate ac diuturnitate, Romanam vllo modo æquare poteſt: præſertim verò cũ quicquid de Græ-

corum fortitudine ac fœlicitate dixeris, id Romanorum fœlicitati ac virtuti extollendæ valeat, a quibus Græci, etſi terra marîque celeberrimi, & immortali præconio digniſſimi, facilè ſuperati ſunt. Denique Græci ad vnum Orientem propagarũt dominatum: qui breui quoque extinctus eſt, præſertim cum Alexãder regnum ſibi veriùs comparaſſe quàm regnaſſe videatur. Romani contra in omnes Mundi plagas dilatarunt Imperium, quo diu etiam potiri ſunt. Vt propterea illi per medias laudes breui curſu, hi veluti quadrigis, ad diuturnæ gloriæ metam delati ſint.

Scio Pœnos Romanis fuiſſe infenſos; & vt Cartago antiquitate, diuitijs, ſitu, militari ſcientia, Imperij magnitudine, terra marîque præſtabat, cum Romanis de Imperio Terrarum orbis dimicaſſe: quin vix quicquam abfuiſſe, quominùs Annibal Romam expugnarit, ac Romanæ Reipub. ſpem Imperij vnà cum libertate ademerit. Sed tamen breui quoque ex vna Cornelia gente Carthaginenſium domitores progenuit extulirque Roma; atque Annibalis furorem vnà cum infenſiſſimis Africæ æmulis & Carthagine ipſa deleuit. Fuerit igitur vt acer Pœnus intractari inſtar equi, cuius inuenti capitis augurio bellici principatus ſpem conceperat ac fundatæ Vrbi nomẽ dederat; Romanis ferociter inſultauerit, ac penè Imperij ſpem omnem ademerit; quandoquidem vt equus, etſi ferociſſimus ac bello aptiſſimus, ab homine frenatur ac domatur, ſic Pœnus a Romano, qui humani quod effoderat, capitis auſpicio Vrbis arcẽ condiderat, eidémque Capitolij, nomen tribuerat, frenatus, victus, ac domitus eſt. Ita quidem iure optimo elegans Poëta de Romana cecinit Vrbe,

Terrarum Dea gentiũmque Roma:
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

iure quoque cecinit alter,

Gentibus eſt alijs tellus data limite certo:
Romanæ ſpatium eſt Vrbis & Orbis idem.

Huius igitur, huius inquam, præſtantiſſimæ gentis facta Poëmati cum illigauerit atq; Heroica tuba decantarit Virgilius, ab Augusto Populi Romani hiſtoricus appellatus eſt. Atque huius ſanè ſiue Hiſtorici, ſiue Poëtæ, hoc eſt authoris longè optimi & præſtantiſſimi, quîque Homerum ipſum ac ſummatim Græcos Latinóſq. poëtas incredibili quadam grauitate ac ſuauitate ſuperauit, heroicum monumentum hoc anno explanabimus: & quales, ſiue ingenij & naturæ, ſiue artis ac ſcientiæ, ſiue exercitationis ac ſtudij, opes atque adeò theſauros in Aeneidem ac P. Romani hiſtoriam effuderit; quod vobis Auditores ornatiſſimi fœlix fauſtúmq. ſit demonſtrabimus.

DIXI.

ORATIO XVII.

De Studijs Humanitatis; quàm ampla ſint, ac multarum magnarumque rerum cognitione indigeant; ſigillatimque de Eloquentiæ *commodis & dignitate.*

Habita Patauij, cum rurſus a Poëtis ad Rhetores rediretur.

ETSI Humanitatis ſtudia niſi multis ac varijs ijſdémque præclariſſimis Artibus ac Diſciplinis non efflorefcunt, duæ tamen Artes ſunt ac facultates quibus vel maximè gaudent ac præſtant, quæcque inſtar omniũ videri poſſunt; Eloquentia nimirũ ac Poëſis. Quamquam enim haud inficior, Auditores, noſtra hæc ſtudia rerum geſtarum atque adeò Hiſtoriæ notitia mirificè nobilitari, virtutũ inſuper morúmque, ſeu mauis Ciuilis Philoſophiæ, cognitionem requirere; quin Aſtrologiæ aliarúmque huiuſmodi diſciplinarum conſortio ſummopere delectari, ita vt Humanitatis ſtudium magna quædam res ſit, ac neſcio etiam an maxima; Poëſis tamen & Eloquentia principatum in illo obtinent ac dominantur. Siue enim id euenire dixeris, quòd Poëſis & Eloquentia maiorem quàm cæteræ facultates ſplendorem referunt, ac decus maximum

mum obijciunt mortalium oculis, ſiue quia reliquæ illæ Artes atq; Doctrinæ in Eloquentiam ac Poëſim confluere certatim ſolent & emanare, ita vt Poëſis & Eloquẽtia quaſi regij duo Amnes cæterarum aquis amplificentur ac nobilitentur, nemo eſt qui non videat Suada & Muſis Gymnaſium hoc ampliſſimum, curricula hæc nobiliſſima, gaudere in primis & efflore ſcere.

Neque verò id eo conſilio affirmauerim, Ornatiſſimi Auditores, quòd non facilè aut intelligam aut fatear inter Humaniores literas præclarum Hiſtoriæ deberi locũ, atque adeò in hoc noſtro Theatro primariam aliquam ſibi ſedem depoſcere & vindicare. Ipſe enim in noſtro hoc Regno ſic principatum deferebã Poëſi & Eloquentiæ vt illud quoque reputarem; haſce Artes & facultates Hiſtoriæ conſortio indigere ac nobilitari, quin etiam expleri ac perfici: ita vt ſine hac vel planè iaceãt, vel omnino frigeant & exareſcant. Videbam enim M. Tullium ita fingere Oratorem ſuũ & exornare, vt nuſquam non doceat antiquitatis monumẽta Oratori diligenter eſſe tractanda: inde exempla paſſim ac fidei præſidia deriuanda, inde Orationis adiumenta, interdum etiam ornamenta, eſſe petenda. denique Hiſtoriam ipſam ab Oratore quoque ſcribendam ne egregia Hiſtoriæ commoda ac varias vtilitates amittat. Obſeruabam etiam Poëtas nobiles res geſtas imitari: ex Hiſtoria paſſim haurire: hinc veluti ſuccũ & ſanguinem ducere vnde vberior fiat Poëſis & copioſior. Quid plura? An non Homerus Græcorum Virgilius Latinorum ac Romanorum Hiſtoricus ea de cauſa appellatus eſt, quòd vterque ex rebus geſtis, ex Græcis ac Troianis ille, hic ex Latinis maximè ac Romanis; conflaſſet fabulam ac Poëma conſtituiſſet ſuum? Sic ſanè. Itaque ea cogitatione Suadæ & Muſæ principatum detulerã in Gymnaſio hoc noſtro, quod Hiſtoriam, etſi ſolitaria quoque a nobis tractanda ſit, in Poëſim in primis & eloquentiam includerem, eandémq. vtriuſque vel originem & fontem, vel præſidium & adiumentum, vel etiam columen & ornamentum, exiſtimarem.

Quamquam ſi quis ſecum ipſe reputet Gratias ternario numero gaudere, Muſas etiam priſcis temporibus ternarium numerum adamaſſe, ac propterea tres veluti Muſas aut Gratias in ſtudia Humanitatis introducere geſtiat quibus tribuat principatũ, nimirum Eloquentiam, Poëſim, Hiſtoriam, ego ſanè non repugnarim. præſertim verò quia ſat ſciam Hiſtoriam non modò Poëſis & Eloquentiæ gratia a nobis tractandam, verùm etiam per ſe maximè (id quod indicare cœperam) euoluendam & excolendam. Quis enim Hiſtoriam ipſam aptiùs ſcribere aut iudicare valeat, quàm qui ſtylum, decorum, ac dicendi virtutem, vno verbo Humanitatis ac liberalium Artium ſtudia profitetur? Quis rurſus Hiſtoricos ipſos explanare, Hiſtoriæ leges obſeruare, ac præcepta tradere audeat, niſi in noſtris hiſce doctrinarum curriculis deſudauerit, ætatémque conſumpſerit? Nos certè ea planè de cauſa de Hiſtoria libros conſcripſimus, in quibus Hiſtoriæ tum euoluendæ, tum iudicandæ, tum ſcribendæ, tum ad publicam priuatámque vtilitatem referẽdæ, rationem complexi ſumus, quòd intelligeremus Humanitatis Doctori hoc non exiguam laboris & induſtriæ partem eſſe reuocandam. Quin etiam ſi quis interim Humanitatis dignitatem tripartitò diſtribuat, ac principes ſedes non Eloquentiæ modò & Poëſi, verùm etiam Hiſtoriæ quaſi tribus Muſis aut Gratijs duxerit tribuẽdas, huic illud etiam libẽtiſſimè largiemur; eas quoque liberales diſciplinas quas paulò ante commemorabam, & ad Humanitatis ſtudia referebam, proximè eſſe collocandas. Ita fiet vt quemadmodum Muſæ decurſu temporis nouenarium expleuere numerum. Gratiæ quoque in ſuum conſortium Nymphas admittentes Muſarum Chorum æmulatæ ſunt. (ideò enim eleganter cecinit Flaccus dum Ver deſcriberet,

Gratia cum Nymphis geminiſque ſororibus audet
—— Ducere nuda choros)

ſic Humanitatis ſtudium ter ternario numero gaudeat, & Gratiarum Muſarúmque Chorum æmuletur. Qui enim Eloquentiæ, Poëſi, Hiſtoriæ Aſtrologiam primũ addiderit, tum Geographiam & Topographiam adiunxerit, inde Phyſiologiam (qua ſaltem animantes ac Mundanam molem deſcribere oportuerit) ac tum Moralẽ, tum militarem ſcientiam aliquam, vnde Hiſtorici ac Poëtæ in primis explicentur, ſubiecerit, is Humanitatis ſtudium Muſarum inſtar Chori & Gratiarum expreſſerit. Quamquam hæc omnia eo nomine vel conceſſiſſe vel diſputaſſe velim Auditores,

vt tamen ſine vlla dubitatione illud fatear, Eloquẽtiam in primis & Poëſim nobis tractandam eſſe: Oratores maximè atque Poëtas euoluendos: huc præcipuam curam & induſtriam eſſe reuocandam, vt ſiue ſoluta oratione, ſiue numeris adſtricta, quidpiã dicendum ſcribendúmve ſit, muneris ſatis faciamus pro dignitate.

Quæ cum ita ſint, nemo, vt exiſtimo, admirabitur, quòd ſenſerit nos ſuperiore anno Poëtarum campos longè ac latè peragraſſe, nunc vero ad Rhetorum ſpatia emigrare; atque ad Ariſtotelem, hoc eſt ad grauiſſimum eloquentiæ Magiſtrum, atque adeo dicendi intelligendíque auditorem ſummum, redire totum. Id quod eò etiam libentiùs faciam Auditores, quòd quemadmodum Poëſis miras habet voluptates & vtilitates, ita eloquentiæ tractatio rum dignitatis ac iucunditatis pleniſſima ſit, tũ verò frugifera ſit tota, atque ingenuo viro & nobili vtilitates maximas afferre ſoleat. Nam quæ obſecro eſt vitæ pars in qua viro nobili ac patriæ peramanti, domi foriſque non magnopere prouidendum ſit atque cauendum, ne rudis & impolita, aut etiam eneruis & indecora, ſit eius oratio; ſed ſuauis cadat omnibus & periucunda, quæque animis conciliandis, rebúſque fœliciter peragendis, authoritatem addat, ac pondus? Et quidem, cum accidere facilè poſſit, vt quis Iudices, aut Ciues, vno verbo, Auditores; offendat ſiue largitione corruptos ſiue aduerſariorum mendacijs oneratos, interdum etiam odio aut inuidentia incenſos & agitatos, is ad eloquentiæ arma confugiat neceſſe eſt, quibus illos emolliat, flectat, & ad ſententiam traducat meliorem.

Memini me legere, olim Romæ Cinnanæ proſcriptione ſæuiẽte, percuſſores ſubmiſſos qui M. Antonium Oratorem obtruncarent. Cúmque diſtrictis gladijs eum iam iam diuerberaturi viderentur, ecce tibi illius Oratione commoti ac deliniti, conſtiterunt, & gladios cruore vacuos vaginis reddiderunt: vſque adeò diſerti hominis valet Oratio, modò ad aures admittatur. Memoriæ quoque proditum eſt Conſtantium, cum in Orientis Imperio Conſtantino patri ſuccederet, Illyricum ſuperiorémque Myſiam a Vetranio Tyranno occupatam offendiſſe. Cúmque res eò adducta eſſet, vt armis dirimenda foret, ac propterea vtrinque exercitus eductus, iam iã claſſicum expectaret, Conſtantius a Vetranio poſtulauit, vt ſibi ante pugnam eum publicè alloqui liceret. quod cum impetraſſet, tantam in dicendo facundiam exeruit, vt nemini ſuas rationes non probarit: neminem non in Vetranium acerrimè concitarit. Ita factum eſt, vt Conſtantius vtriuſque exercitu acclamante Imperator cõſalutatus, Vetranius contra Imperio deiectus ſit. Quæ ſanè gloria vt poſt excitatum Imperiũ vix fortaſſe alteri Imperatori contigit, ita vni eloquentiæ accepta eſt referenda, quia quod multo eſſet ſanguine obtinendum, largita, de armis quodam modo triũphauit. Sed præclaram, & admirabilem eloquentiæ vim ſoleo ego Chryſoſtomi exemplo libentiùs declarare, & immortale illius factum multò alacriùs quàm M. Antonij, hoc eſt Idololatræ, aut Conſtantij, hoc eſt Arianorum fautoris, vſurpare. Quod dum facio, vos quæſo, Auditores optimi, pro ſingulari humanitate veſtra diligenter attendite.

Erupit Arcadij tempore ex Alpium, ne dicam ex Orci, faucibus truculentus barbarus, Gainas nomine: hic tum ſexcentis erat cædibus obſtrictus, atque omni propè ſcelerum genere coopertus, tũ maximè Romano Imperio ac nomini infenſiſſimus. Cúmque ſeditiones inter & latrocinia non minùs eſſet auctus potentia, quàm dominandi flagraret cupiditate, Romani Imperij Tyrannidem affectare cœpit. Hinc formidoloſo exercitu comparato, Italiam ac Macedoniam vexare: varias Vrbes ac prouincias occupare: Bizantium denique magnis itineribus contendere, vt totius Imperij arcem inuaderet. Cúmque imo pectore anhelaret crudelitatem, ſic conciderunt omnium animi, nullus vt arma in illum ſumere, nullus legationem ad eum obire, nullus ei ſupplex eſſe, auderet. Cum ecce tibi præſto fuit aureũ orationis flumẽ Chryſoſtomus: vir ab armorum tumultu longè alienus, atque ab omnibus belli præſidiis imparatus. Qui quamuis a Tyranno ob interpoſitas offenſiones quaſdam primus ad cædem deſignatus videretur, alacer tamen celsóque animo legationem ſuſcepit: atque hoſti ferociter inſultanti occurrit. Quid plura? ſic Barbari animum orationis & ſuauitate deliniuit, & grauitate perculſit ac fregit, vt qui omnibus ferro minitabatur ac flamma, ad vnius pedes accideret: eius dexteram ſupplex oſcularetur: filios iu-

beret

beret ad eiuſdem pedes prouolui: atque omni feritate & cupiditate depoſita cu Imperatore ipſo fœdus iniret. O admirabilem eloquentiæ vim ac propè diuinam & ſingularem. Tu, tu inquam, vna reperta es inter mortales, quæ furentes Barbarorum impetus in mediis ſpatiis cohiberes ac frangeres: atque illorum ferocitatem ac ſæuitiã in manſuetudinem pietatémque conuerteres.

Iam verò ponite vobis ante oculos, Auditores, opulẽtiſſimam ciuitatem, quæ ſiue a Tyranno crudeli ſeruitute prematur: ſiue iniquiſſimis conditionibus, nec ſine Religionis offenſione, cum hoſtibus pacem conſtituat. aut etiam (ſi placet) deſidia langueat, ac turpi diffluat otio. Ad quem obſecro confugiendum erit, quis accerſendus, vt in tot tantiſque periculis & calamitatibus illi proſpiciat: ac patriæ ſalutẽ Chriſtianæque Religionis dignitatẽ a tot iniuriis vindicet ac tueatur; Nullus, nullus alius, mihi credite Audirores, niſi probus ac diſertus Orator. Is enim eſt qui hominũ ingeniis moribúſque perſpectis, ac viis omnibus exploratis & cognitis, vnde illarũ mentes ſiue excitentur, ſiue reſtinguantur, languentes Ciues ab otio & deſidia ad honeſta vitæ officia reuocabit: indignam pacem veluti peſtẽ auertet: Religionis tuendæ ſtudium in eorum animis inſeret: iacentem denique pópulum excitabit inflammabítq. vt turpiſſimum Tyrannidis iugum a ceruicibus excutiat,

Neque verò aliter ſentiendum eſt ſi popularibus tumultibus (id quod accidere ſæpè ſoler) æſtuet Ciuitas, atque inteſtinis diſcordiis & ſeditionibus ad interitum ruat. Sunt enim in publicis eiuſmodi calamitatibus atque periculis nõ modò Solones, Lyſiæ, Valerii, Catones, quod Græcos Romanóſque factitaſſe legimus, conuocandi, vt illos orationis tum grauitate percellãt, tum ſuauitate permulceanr, verùm etiam Alcibiades ac Tullii optandi, qui tonent, fulminent, atque illorum pectora quaſi ſaucient atque perſringant.

Timotheus, is qui Muſicæ laude tantopere floruit apud Græcos, inde celebratur vel maximè, quòd iracundiam contento auſteróq. cantu concirarer, remiſſo leniret mitigarétque, cum vellet. Quapropter cum Phrygium aliquando caneret apud Alexandrum, hunc dicitur inter cænandum ad iram & arma concitaſſe: mox verò harmonia mutata, ad conuiuium hilaritatémque reuocaſſe. Atque hinc etiam Pythagoræ nomen percrebuit; cum enim in ebrios quoſdam laſciuientes incidiſſet, iuſſiſſe fertur Cantorem, qui ſaltationi accommodatum concentum inchoarat, mutatis modis, Doricum canere. Tum illi ita dicuntur noua illa cantus ſonorúmque ratione reſipuiſſe, vt abiectis coronis, erubeſcentes ſeſe inde proriperent. Egregia ſanè facta atque præclara.

Sed illud longè præclarius & admirabilius, vt ob incredibilem dicendi vim, & eloquentiæ magnitudinem, Pericles fulmẽ in ore geſtaſſe, Demoſthenes militibus arma fabricaſſe, Græciámque vniuerſam in Philippum armaſſe, commemoretur. Verùm dies me deficiat Auditores, ſi commoda omnia & vtilitates percenſere velim, quæ ex Eloquentia in humanam ſocietatem manare ſolent, Quapropter illud vnum addam, quod & ſepties commemoraſſe iuuabit: nimirum ea eſſe Eloquẽtiæ ſtudia, quæ adoleſcentiam alunt: ſenectutem oblectant: res ſecundas ornant: aduerſis perfogium ac ſolatium præbent: delectant domi: non impediunt foris: pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur.

Neque verò verendum eſt, Auditores, ne, quemadmodum ſuperiore anno Homerum, Virgilium, Torquatum, hoc eſt rria heroici poëmatis lumina, in medium adduximus, ac de principatu diſputanres fecimus, ita parile ſpectaculum hoc quoque anno præbere haud liceat. Nam Philoſophorum Homerus Plato, ac Romanæ eloquẽtiæ parens M. Tullius, cum ſummo dicendi artifice Ariſtotele in congreſſum, ac veluti in arenam deſcendent, multa de eloquentiæ ratione ac laude certaturi. Quo tempore eò vobis gratiores, vt ſpero, & vtiliores accident labores noſtri, quòd domi pomeridianis horis pulcherrimam Ciceronis orationẽ pro Marcello explanare decreuerim. in qua ſanè licebit, tum Ariſtoteleæ Rhetoricæ præcepta, & documenta tum Oratoria M. Tullii lumina & ornamenta agnoſcere & intueri. Quin etiam, vt meo muneri cumulatiùs ſatisfaciam, & veſtræ ſimul vtilitati pro mea ſaltem tenuitate proſpiciam, pomeridianis quoque horis, prout vobis cõmodum eſſe animaduertero, Græcum authorem aliquem priuatim intra domeſticos parietes explanabo. Atque hic (ſi

placet)

placet) erit Plato, cuius Phædrus, quoniam multa habet de Rhetorica, non inutiliter percurri poterit. quod ſi eum Phædro Gorgiam atque alios dialogos quoſdam per tempus coniungere licuerit, qui ad eloquentiam pertinere videtur, perbellè accidet, vt Græcæ linguæ notitiam ex Platone petamus; nam & Græci ſermonis, & eloquentiæ præceptis vno eodémque tempore imbuemur.

Sed vt iam clariſſimis adoleſcentibus morem geram, & quantum in me eſt ſatisfaciam, en Ariſtotelis Rhetoricam omni cunctatione abiecta explanandam aggredior. Vos, auditores ornariſſimi, pro ſingulari humanitate veſtra quæſo, vt cœpiſtis, diligē ter attendere. vel certè, quoniam id vobis gratius fore iam animaduerto, huiuſce initium doctrinæ in proximum diem reijciatur, in quo paratiore pectore vobis ad ſubſellia, mihi verò ad noſtra hæc noſtra, redire licebit.

D I X I.

ORATIO XIIX.

De exercitationis vtilitate.

Habita Patauij cum Oratoriæ exercitationes inſtituerentur.

SI quid eſt, Adoleſcētes optimi, cæteríque Auditores ornatiſſimi, quod nobis ad doctrinas virtutéſque capeſſendas plurimum conducere poſſit, illud certè eſt exercitatio. Huic enim quippe honeſtiſſimis laboribus atque vigilijs inſtructæ, Dei munere conceſſum eſt excelſa humanæ diuinaéque ſapientiæ iuga conſcendere: atque inde vberrimos ſuauiſſimóſque fructus mortalibus reportare. Cum igitur hoc tempore nobis humanarum doctrinaruum curricula ingredienda ac peragenda ſint, atque in primis Oratoriæ exercitationes repetendæ, lubet Auditores pauca quædam de exercitationis vtilitate commodiſque præfari, vt ijs cognitis atque perſpectis, alacriore quoque animo illius labores atque vigilias amplectamur, & ad eloquentiæ metam contendamus.

Ac principio quidem illud compertum eſt eo planè conſilio ac lege conditū fuiſſe hominem ab optimo & ſapientiſſimo Parente Deo, vt humanas diuináſque virtutes ac diſciplinas diligenter coleret, & in poſteritatem omnem ſummo ſtudio tranſmitteret ac propagaret. Ad quam rem tanta etiam ſiue mentis indole atque ſolertia, ſiue ſenſuum acumine & perſpicacitate, ſiue denique totius corporis habitu ac temperamento donatus fuerat, vt non modo repugnanter, ſed admirabili planè facilitate ac fœlicitate id ei munus obire liceret. Verùm, proh dolor, vix talis tantiq. boni poſſeſſionem adierat, cum de eadem, quæ ipſius hominis fuit cæca & effrenata cupiditas, cum poſteritate omni deturbatus atque in ſummas animi corporiſq. ęrumnas detruſus eſt. Inter has non poſtrema illa fuit, vt ſibi perpetuis laboribus atque ſudoribus paranda eſſent omnia quæ ad vitam ſiue tolerandam ſiue excolēdam pertinēt. Ita factum eſt vt artes atq; doctrinæ, ſine quibus hominum cœtus vix ac ne vix quidem regi poſſent atque coaleſcere, quin illorum vita ne vitalis quidem eſſet, ſiue diurnis nocturniſque vigilijs & exercitationibus comparari nullo modo poſſint. Vt propterea ethnici quidem more, ſed prudenter tamen ac verè, cecinerit poëta ille.

Virtutem poſuere Dij ſudore parandam.

Hinc; niſi mutarum animantium atque inertiſſimi propè ſtipitis more nobis vitā ducendam, ſed potiùs ad honeſtam gloriam, ad virtutes, ad optimas artes atq; doctrinas comparandas, toto pectore incumbendum, putemus, ad Virtutis palæſtram deſcendendum, doctrinarum curricula ingrediendaq; ingenij ſtudia exercitationiſq. arripienda ſtrenuéque colenda ſunt.

Ac profectò nullam in partem oculos mentémque conuerto, quin me ad exercitationem inuitari atque adeò prouocari ſentiam. Atque vt de ſapientiſſimo rerum omnium artifice ſileam, quem in Mundi adminiſtrationem ſemper incumbere, ac per-

perpetua rerum omnium gubernatione veluti exercitatione quadam detineri compertum eſt; vt etiam de beatis illis mentibus taceam, quas diuina veneratione ac mandatorum diuinorum procuratione, vnde etiam Angeli & internuntij nuncupantur, nunquam non occupari & exerceri dicimus; quis non animaduertat ſydera & cœleſtia corpora in perpetua quadam exercitatione tripudióque verſari? Verſantur illa quidem, Auditores, atque ita verſantur, vt inferior hic Mundus nunquam eandem ſpeciem referat ac formam, nunquam in eodem planè ſtatu conquieſcat; ſed perpetuas temporum, temporationumque varietates ac viciſſitudines ſubeat. Ita ſanè nunquam non agitatur æther: continenter fluit ac refluit mare: plantæ ac ſtirpes nunc floribus complentur ac fructibus, nunc ſuis honoribus ſpoliantur: campi colléſque modò veſtiuntur herbis, modò flaua vndantíque ſegete conteguntur: modò viriditatem omnem exeuntes, ſuum illi decus cum ſqualore commutant. Quis verò non ſentiat, Auditores ventorum varietates & incurſiones, fluuiorum ac fontium fluxiones, diei noctiſque viciſſitudinis, temporum ætatúmque commutationes, quibus natura vniuerſa agitatur & exercetur? ſed quoniam longum eſſet ad omnia, ad hominem deuenio: qui profectò, niſi exercitatione delectetur, atque hac tum corporis tum ingenij vires excolat, ocio ſanè diffluat ac tanquam marceſcat; ſed quid dico marceſcat? imò verò lapidi ſimillimus euadat, neceſſe. Atque vt corporis exercitationes prætercam, quibus robur ac valetudo vniuerſa conſeruatur, vires augentur, corpus vegetius redditur, color ipſe ac ſanguis reparatur, quis percenſere valeat vtilitates & commoda quæ ex ingenuis ſtudijs ac liberalibus exercitationibus colliguntur? iis profectò acuitur ingenium, fœcundatur memoria, limatur ſtylus, excolitur lingua, formatur eloquentia, atque inprimis doctrinæ ipſæ, hoc eſt animi décora & ornamenta, parantur, perpoliuntur, amplificantur. Ad extremùm quemadmodum tium eſt libidinis origo ac fomes, languoris, diſſidiarum, ſexcentorum denique malorum cauſa, ita è contrariò honeſta exercitatio eſt adoleſcentiæ ornamentum, ſenectutis præſidium, prudentiæ adminiſtra, ſapientiæ comes, omnium denique bonorum altrix & procreatrix.

Atque hac ſanè de cauſa Maiores noſtri cum alia multa ſapientia inſtituerunt vnde adoleſcentes exercerentur, & ad virtutem contenderent, tum in primis hinc bellicas diſciplinas; illinc literarum ſtudia, propoſuerunt, quibus certantes, & frequenti tractatione ſeſe exercentes, vberrimos gloriæ fructus perciperent. Itaque eleganter, vt ſemper ſolet, Latinus Poëta cecinit de Latinis.

Antè vrbem pueri & primæuo flore iuuentus
Exercentur equis, domitántque in puluere currus:
Aut acreis tendunt arcus: aut lenta lacertis
Spicula contorquent, curſúque ictúque laceſſunt.

Nec diſſimilem in Troianis ardorem expreſſit cum ad varia certaminum genera traduceret.

Intenti expectant ſignum: exultantiáque haurit
Corda pauor pulſans, laudúmque arrecta cupido.
Inde vbi clara dedit ſonitum tuba, finibus omnes,
Haud mora, proſiluere ſuis, ferit æthera clamor
Nauticus: adductis ſpumant freta verſa lacertis,
Infindunt pariter ſulcos, totúmque dehiſcit
Conuulſum remis roſtriſque ſtridentibus æquor.
Non tam præcipites biiugo certamine campum
Corripuere, ruúntque effuſi carcere currus:
Nec ſic immiſſis aurigæ vndantia lora
Concuſſere iugis, pronique in vbera pendent.
Tum plauſu fremitúque virûm ſtudiiſque fauentum
Conſonat omne nemus: vocémque incluſa volutant.
Littora, pulſati colles clamore reſultant.

Quid plura? is fuit Virgilius, qui ne illos quidem qui in Elyſijs campis degerent, non aliquo ſtudijs & exercitationis genere demoretur.

Pars in gramineis exercent membra palæſtris.

Con-

Contendunt ludo, & fulua luctantur arena.
Pars pedibus plaudunt choreas, & carmina dicunt.
Nec non Threicius longa cum veſte ſacerdos
Obloquitur numeris ſeptem diſcrimina vocum:
Iamque eadem digitis iam pectine pulſat eburno.

Sed quæſo Numanum audite Rutulorum mores ac laudatiſſimas exercitationes deſcribentem.

——Natos ad flumina primùm
Deferimus, ſæuóque gelu duramus & vndis.
Venatu inuigilant pueri, Syluáſque fatigant:
Flectere ludus equos & ſpicula tendere cornu.
At patiens operum paruóque aſſueta iuuentus.
Aut raſtris terram domat, aut quatit oppida bello.
Omne æuum ferro teritur, verſáque iuuencum
Terga fatigamus haſta; nec tarda ſenectus
Debilitat vires animi mutátque vigorem;
Canitiem galea premimus; ——

Sic Numanus de durioribus illis corporis exercitationibus ac laboribus. Ac pariles ſanè animus contentiones requirit ac ſtudia vt virtutibus excolatur & exornetur. Etenim quemadmodum noſtra corpora motu & agitatione recaleſcunt, atque inde robur, colorem, agilitatem acquirunt, ſic vſus exercitatióque reuocat ingenij vires, vnde viget animus & effloreſcit. Atque huc ſanè ſpectant Auditores quæ tam variè & copioſè in hoc Gymnaſio explicantur & ad veſtros animos excitandos quotidie a nobis nec ſine ſudore multo ac labore teruntur, bonarum artium præcepta & ſtudia. neque enim aliud ſunt quàm excitationes ingenij & curricula mentis. Itaque his loquentiam paramus & diſcimus: his ad prudentiam & ſapientiam inſormamur: his virtutes omnes adipiſcimur quibus mores & vitam componamus, ac placidiſſimè ad Senectutem deferamur. Neque enim fateri cunctandum eſt liberales diſciplinas eſſe tanquam præſidia & ornamenta non adoleſcentiæ modò & iuuentutis, verùm etiam ſeuerioris ætatis ac ſenectutis: in qua ſanè quantum labores corporis ſunt minuendi, tantum augenda ſunt animi ſtudia exercitationéſque virtutum.

Ad has igitur, ad has inquam, conuertite animum Adoleſcentes optimi ac nobiliſſimi: ad has ingenij vires ac neruos intendite: his ad ſapientiæ arcem contendite: his ad virtutis metam properate. Ita enim fiet vt Honoris quoque Templum ſubire liceat & gloriæ.

Sed quoniam eam in vobis alacritatem mihi intueri videor ac propenſionem ad optimarum artium exercitationes ac ſtudia, vt iam iam Claſſicum cani, & in arenam diſcendi iubeatis, agednm Ariſtotele duce & M. Tullio, iam Eloquentiæ præcepta dictione, ſtylo, oratione exprimere, Oratoriámque virtutem concertationibus, atque declamationibus referre nitamur ac moliamur.

DIXI.

ORATIO XIX.

Habita in Patauino Gymnaſio Non. Nouemb. Anno M DC. XII.

Cum eã Ciceronis explicandã eſſet Oratio quæ pro Lege Manilia ſeu de Pompeio Imperatore deligendo inſcribitur.

ETSI multa ſunt, Auditores Præclariſſimi, quibus Eloquentia comparatur, nec ingenium ſine cultura, aut Natura ſine Arte ſatis valet; nec rurſus ſi abſit exercitatio, & imitatio, perfectus euadat Orator, duo tamen ſunt quibus maximè eloquentia continetur: præcepta nimirum & præceptorum vſus.

Ac præcepta quidem inter Græcos optimè omnium (id quod ſuperiore anno animaduertere

maduertere licuit) explicauit magnus dicendi Artifex Ariſtoteles: vſum verò præter Xenophontem & Platonem, egregiè commonſtrauit tum Atticæ venuſtatis parens Demoſthenes, tum lacteus ac ſuauiſſimus elegantiæ fons Iſocrates. veriſſimè enim dici poteſt nullam dicendi virtutem, nullum Orationis decus & ornamentum, excogitari poſſe, quod ſiue Iſocrates, ſiue Demoſthenes, non modò non adumbrant, verũ etiam viridiſſimis coloribus ac luminibus expreſſerit & illuſtrarit.

Quamquam illud etiam veriſſimè affirmari poteſt, ex Latinis M. Tullium ea omnia vſque adeò copioſè ac ſplendidè complexum eſſe, ac Romanis auribus declaraſſe, vt facilè Græcos illos æquarit, in multis etiam longo interuallo ſuperarit. Legite obſecro, Auditores optimi, Tullianos de Oratore libros, percurrite Oratorem ad M. Brutum, euoluite cæteros quotquot de ratione dicendi libros conſcripſit (notiſſimi enim ſunt) demum peruolutate egregias ac nobiles quas poſteritati atque adeò immortalitati Orationes commendauit, atque intelligetis eum fuiſſe M. Tullium qui Græcas Muſas, Xenophontem dico, Platonem, Iſocratem, Demoſthenem, perſpicuitate, elegantia, ſuauitate, deuicerit, & eloquentiæ palmam de qua inter ſe certabant illi incredibili dicendi virtute & eloquentia eis ademerit.

Quæ cum ita ſint, equidem magnopere ſemper optaui vt mihi tandem liceret a laborioſis Ariſtotelis ſpatiis ad vberrimos ac florentiſſimos Ciceronis cãpos deſcendere, ac ſuauiſsimos inde fructus percipere. Id quod hoc anno Deo benè iuuante mihi conceſſum & ſentio & verò mirificè gratulor. Cum enim operoſos quos in Ariſtotelis & Poëticem & Rhetoricen Commentarios inſtitueram, omnino abſoluerim, ac publicis literis conſignauerim, iam nihil mihi potius eſſe poterat, mihi antiquius, quàm vt primo quoque tempore ad M. Tullium properarem: quod ſanè efficiam hodierna die a Maniliana Oratione ducto initio. Etſi enim Ciceronis monumenta præclara ſunt omnia & venuſtatis eruditioniſque pleniſsima, Orationes tamen ad eloquentiam, quæ vel maximè nobis expetenda eſt hoc tempore, aditus habent ampliſsimos.

At enim cur obſecro ex multis ac variis iiſdémque pulcherrimis Ciceronis orationibus vnam Manilianam delegiſti quam nobis hoc tempore explicares? Exponam Auditores conſilii mei rationem, atque ea lege exponam, vt ſi conſilium meum vobis probauero, atque optimum eſſe oſtendero, vt cõtra ſtudiis ac laboribus meis præſentia veſtra atque frequentia faueatis, & ad eloquentiæ metam M. Tullio Duce atq; Magiſtro alacriter contendatis.

Ergo multa ſunt, quibus adducor vt quam pro lege Manilia ſeu de Imperatore aduerſus Mithridatem deligendo orationem habuit M. Tullius, eam mihi explanandã proponam. Ac primum quidẽ, quia noſter Author in Orationibus cæteris cæteros Oratores, in Maniliana ſe ipſum, ſuperaſſe iudicatur. Vt enim ſummus rerum artifex hanc Vniuerſitatem quam Græci ab ornatu κόσμον, nos a munditie Mundum appellamus, ſic conſtituit, vt ad extremũ admirabile totius Mundi compendiũ ac ſimulacrum hominem procrearit, ita Romanæ eloquentiæ parens M. Tullius ſuas ille Orationes ſic conſtituit, perpoliuit, illuſtrauit, vt Manilianam totius eloquentiæ cõpendium atque ideam eſſe voluerit. Ita quidem licebit nobis venuſtatis & elegantiæ aperire fontes, ſeu verius eloquentiæ ipſius campos fœliciter peragrare.

Huc accedit quod Maniliana Oratio eo artificio conflata eſt & conſtituta, vt per commodè ex ea liceat dicendi præcepta & documenta haurire ac deriuare. Itaque ſiue Exordium ſpectemus aut Narrationem, ſiue partes reliquas intueamur, ſingularum partium præcepta licebit agnoſcere. Quod ſi Inuentione rurſus, Diſpoſitione & Elocutione continetur Oratio, Inuentionis quoque, Diſpoſitionis, Elocutionis artificium & documenta obſeruabimus. Denique ea omnia, quæ ſiue ad argumẽtationem, ſiue ad effectus, ſiue ad mores, pertinent, aut etiam ſententiarum verborúmq; figuras continent & ornamenta, & vt rem paucis complectar, quicquid cum dicendi ratione coniunctum eſt, dilucidè explicabimus. Ex quibus omnibus illud cõſequetur vt præcepta dicendi cum vſu nobis coniungere liceat: ſiue præceptorum vſum ex Maniliana perdiſcere.

Et ſanè is fuit M. Tullius qui quemadmodum in hoc vitæ curriculo varias ſuſtinuit perſonas, ac varia adminiſtrauit munera, ita varias vitæ huius formas atque

Ideas expreſſit quas mortalibus magno cum bono ſectari liceret & intueri. Priuatam egit vitam priùs (priuatam appello non ſolitariam ſed Ciuilem: in qua tamē publicum munus attingitur nullum) atque ita egit vt apud ſuos ciues viri probi ac moderati laudem ſit aſſecutus. Tres igitur libros ſcripſit de officijs, in quibus probi ac moderati viri ideam extulit ac formam. Poſt paulò in forum deſcendit, & in iudicijs cauſas egit. Quod ſanè munus tam disertè & copiosè ac tanta cum integritatis ac prudentiæ ſignificatione peregit, vt apud omnes citra controuerſiam Oratoris optimi laudem meritus ſit. Itaque tres libros confecit de Oratore, in quibus perfectam nobis atque omnibus abſolutam numeris Ideam Oratoris reliquit. E foro ac Iudicijs ad Præturam euehitur, atque omnibus Centurijs & ſuffragijs Prætor Vrbanus renunciatur; cum ecce tibi de Prætoris officio. in Iure dicundo atque Vrbe vel Prouincia adminiſtranda diſſeruit: diſputationem interim Quinto Fratri quoniam in Aſia Præturam item adminiſtrabat, tranſmittens. Conſul inde creatur cum ſex libros edit de Republica, in quibus Reipublicæ Principem & conſulem inſtituit. Cum enim munus ſumma vigilantia obiuiſſet & caput ipſum extremo diſcrimini obieciſſet, Catilinæ coniurationem comprimens vnde Pater Patriæ eſt appellatus, quidni hanc quoque Ideam Senatoribus & Conſularibus exponeret, ad quam vitam conformarent? Et quamquam hi libri temporis iniuria interierunt penè funditùs, præclara tamen multorum teſtificatione didicimus eloquentia fuiſſe plenos, prudentia, doctrina, ſapientia. Id quod ex Scipionis ſomnio, quod vnum retinemus (pertinet hoc ad ſextum librum) intelligere licet: in quo admirabiles & eloquentiæ & ingenij & doctrinæ veluti opes intuemur. Sed & Proconſul fuit in Cilicia & Prouinciæ præfuit cum exercitu noſter Cicero: qui in Parthos deuicit, ad Triumphum etiam aſpirauit, quem facilè aſſecutus eſſet, niſi Vrbem offendiſſet ciuilibus diſcordiis iactatam & ad bellum inclinantem. Ergo ſummum Ducem atque optimum Imperatorem ſibi (vt dicere cœperam) effingendum atque omnibus planè virtutibus ornandum exiſtimauit, quem in hac oratione licebit nobis intueri, admirari, & ad miraculum propè ſuſpicere.

Hac igitur de cauſa (vt ad rem redeam) hanc Orationem vel maximè delegi quam explanarem. Tametſi, quoniam huc diſputando peruenimus, & quinque Ideas agnouimus ad quas pro vario vitæ genere & inſtituto vitā conformemus, lubet duas adhuc ex Cicerone proferre Ideas quas cum ſuperioribus coniungamus. Ac prima quidem pertinet ad Amicitiam. Cum enim Cicero hanc caſtè & conſtanter coluiſſet ſemper, vis vrà M. Antonij, hoc eſt hominis perditiſſimi & impuriſſimi, amicitia diſceſſiſſet, videretque humanæ ſocietati eſſe perneceſſariam, nihil potiùs habuit quàm vt nobis perfectę amicitiæ præferret exemplum. Itaque pulcherrimū de Amicitia librum exarauit qui cum elegantiæ, eruditionis, prudentiæ luminibus ſplendet, tum verò perfectæ amicitiæ leges, commoda, officia, ſuauitates proſecutus eſt. Altera pertinet ad Senectutem, cuius etiam Ideam extulit, ſimûlque Senectutis commodis enarratis, de ratione nos admonuit, qua tandem magna cum tranquillitate ac ſuauitate poſtrema hæc vitæ veluti ſcena peragi poſſet.

Sed o me improuidum & inconſtantem. Dum enim illud mihi propono, Auditores, vt de pulcherrima & admirabili optimi Imperatoris Idea & ſpecie vos admonerem, quam, in Oratione hac noſtra Romanis Imperatoribus commonſtrauit M. Tullius, ab hac neſcio quo pacto, ad Amicitiæ quoque & Senectutis Ideas ac formas digreſſus ſum; ita vt a propoſito ferè penitus aberrauerim. Sed colligam me & Orationem ad ordinem reuocabo: atque illud in primis commemorabo, ita quidem ſcriptum reliquiſſe M. Tullium, ſe Pompeium, omnibus pigmentis ac luminibus expreſſiſſe, & perpoliuiſſe; niſi enim quis illud requirebat & expectabat, vt diuinas potius quàm humanas, virtutes & cœleſtiū veriùs quàm mortaliū ornamenta in eum conferret, ſeu Deum potiùs quàm Hominem exprimeret, nihil erat cur abſolutius quicquam aut perfectius, ſed quid dico perfectius? imò admirabilius ac propè diuinius expoſceret, vſque adeò ciuilibus, Imperatoriis, Heroicis aut laudibus, aut virtutibus, aut commendationibus ſuum Pompeium cumulauit, & ad miraculum florentem effulgentemque nobis ante oculos poſuit. Itaque non facilè tecum ſtatuas maioremne Eloquentiæ copiam M. Tullius, an virtutis ſplendorem Pompe-

ius, in Manilianam hanc veluti tabulam effuderit extuleritve mortalium oculis. Præſertim verò quia vno eodémque tempore cum Pompeij authoritate, gloria, dignitate Populi Romani dignitas, gloria, authoritas ſic coniungitur, vt vel ex hoc declarauerit M. Tullius quanta beneuolentia & charitate patriam complecteretur; quàm grato animo beneficium a Populo Romano paulò ante acceptum (prætor enim Vrbanus centuriis ac ſuffragiis omnibus renunciatus fuerat) complecteretur; quantum ſummi illius Imperatoris virtutem, Romani Imperii Maieſtatem, æſtimaret, coleret, admiraretur. Ergo cũ tot ac tantas opportunitates habeat Maniliana Oratio, vt nõ ſolùm ad Eloquentiam verùm etiam ad hiſtoriam & ad vtilitatem & laudem Imperatoriam vos inſtituat, præſtantiſſimi Auditores, ac pulcherrimas nobis veluti faces ſubiiciat quibus ad Patriæ charitatem, ad virtutem, ad gloriam incẽdat (hinc enim eximia & ſingularis extitit vis dicendi quæ in hac Oratione præſtitit) accepiſtis, opinor, vniuerſam conſilii mei rationem, ac multas eáſque grauiſſimas cauſas cognouiſtis vnde Manilianam mihi explanandam propoſui. Ita ſanè quoniam meum vobis conſilium omnino probatum ſpero, veſtrum erit frequentes adeſſe: nec præſentia ſolum ac frequentia aut etiam ſtudio & beneuolentia, verùm etiam attentiſſimis auribus atque animis mihi fauere. quin etiam oratorias ſcriptiones addere & declamationibus ſaltem in arenam deſcendere, vt ſtylum ad Manilianæ exemplum quod eius fieri poſſit excolatis & perpoliatis. Ad quam rem priuatis quoque exercitationibus ac vigiliis ſi opus fuerit præſto vobis ero non grauatè. tametſi enim domi variis commentationibus occupationibúſque diſtineor, aliquam tamen temporis partem illis adimere, & eorum vtilitati ac dignitati tranſmittere & impertiri mihi ſemper erit iucundiſſimũ, quos ad eloquentiæ metam aſpirare atque contendere animaduertero.

DIXI.

ORATIO XX.

Hanc Patauij habuit Author, dum ſibi nouam dicendi rationem inſtituenti, vel certè veterem ſed intermiſſam reuocanti, inuidiam conflari ab aliquibus animaduerteret.

EXpectet fortaſſe quiſpiam, Auditores ornatiſſimi, vt in præſens ad Apologiam confugiam, qua heſterni diei factum quoddam purgem apud nonnullos, méque inuidia eximam omni. Sed quale factum obſecro? illud nimirum, quod eruditos viros quoſdam &, vt ipſe interpretor, mei peramantes, commouit: neque commouit ſolùm, verùm etiam ſumma quadam admiratione perculſit. Itaque ſe demirari aiunt nouam docendi rationem a nobis inſtitui, vel certè veterem, ſed exploſam ferè penitus & obſoletam reuocari: quin me clamant inter docendum ex Theopompo Ephorum repentè factum, ac priſtino dicendi more abiecto, contrariam orationis formam ac rationem induxiſſe. An non fortaſſe tu es, qui cum antea veluti currente rota tuum vrgeres opus, atque incitatiore diſputatione vtereris, continentíque oratione Ariſtotelem explicares, cunctator egregius euaſiſti tandem? Sic ſanè. Siquidem veluti mutatis remiſsiſque modis, dictare cœpiſti; cunctari, quin languere ac propè nauſeam pleriſque Auditorum mouere & excitare. Dictare cœpi, fateor: ac, ſiue bona ſit hæc docendi ratio ſiue præpoſtera (de hac enim re in præſentia nihil ſtatuo) eam attigi tandem, arripui, vſurpaui: Ita quidem videri potui Ephorus factus ex Theopompo, quaſi calcaribus egeam, qui paulò ante indigebam freno. Veruntamen id eo conſilio feci, atque illa cogitatione, quam vobis, Auditores optimi, probatam iri & ſpero & cupio: præſertim verò quia meæ in vos beneuolentiæ argumentum eſſe poterit ac voluntatis optimæ.

Ergo cum ſuperiore anno Ariſtotelis Poëticam continenti oratione ac veluti perpetua diſputatione interpretatus ſim, idem mihi hoc quoque anno faciendũ ſtatueram dum eiuſdem Authoris Rhetoricam explanarem. Quod ſanè dum facerem, at-

Digitized by Google

quæ inſtitutum dicendi genus retinens, iam veluti in altum proueherer, fuerunt qui ex ſcripto etiam ſcholas a me requirerent, vt eas per ocium deſcriberent ac recognoſcerent. Laudaui ego illorum ardorem ac ſtudium; ſed tamen eorundem optatis ſatisfacere haud potui; idque ea planè de cauſa quòd vix pauciſſima quędam annotaſſem, quibus tanquam capitibus ordini ac memoriæ cauſæ vterer. Cum ecce tibi paulò poſt obſtrepere iſti, exſibilare, clamare, ſubſellia ipſa ferè euertere. Quid igitur conſilij capiam, Auditores, aut quò me vertam, dum eorum res agitur, quorum mihi honor & vtilitas perpetuò ante oculos verſatur, quóſque luce ipſa, qua nihil ſuauius aut gratius eſſe ſolet, habeo chariores? Medicos certè imitari debui, qui cum calidis ſe operam ludere animaduertunt, confugiunt ad frigida, ac nihil ſummatim non pertentant, nihil non moliuntur vt ægrotum, ſi quomodo fieri poſſit, ſanitati reſtituant. Itaque omnino mihi faciendum putaui, vt ad dictandum confugerem, atque hac ratione ſcholarum copiam facerem, fore enim ſperabam vt hunc cum tumultus ſedaretur omnis, tum mihi pacato veluti mari vti liceret ac fœliciter nauigare. idque eò magis quòd obſeruarem in hoc quoque Gymnaſio a quibuſdam veterem ad huc dictandi conſuetudinem commodè ac magna cum approbatione Auditorum retineri. Atque hac ſanè de cauſa quam nobis interim controuerſiam obiecerat Ariſtoteles, ſic agitare cœperam vt excipi poſſet. Quæſieram enim, an Oratori, præſertim ingenuo ac nobili, liceret in iudicijs ac foro, aut etiam in Senatu & curia, affectus dicendo permiſcere, atque Auditorum animos concitare. Quæ ſanè quæſtio cum apud Rhetores paſſim tum verò in Platonis & Ariſtotelis ſchola eſt grauiſſima, ſed Venetæ Nobilitatis maximè ac Patauinæ ſtudium excitare & poteſt & debet. nemo enim eſt qui neſciat Patauij in publicis iudicijs, Venëtijs verò non in iudicijs modò, ſed in Senatu etiam, perturbandorum animorum inualuiſſe artificium ac ſtudium, atque adeò in Foro & Curia magnopere dominari, denique eò res adducta eſt vt non modò Patronus aut Senator ingenuus, verùm etiam Actor quiſque aut Reus, ne dicam, Rabula, in iudicijs & concionibus affectus concitare, ac Iudicem Auditorúmque animos flectere & permiſcere moliatur. Hac igitur cupiditate adductus & ſpe, nobilem hanc de affectibus controuerſiam, dictando potiùs quàm orando explicare cœperam, vt vobis liceret eam non modò per ocium & agnoſcere, & expendere quod illi copiebant, verùm etiam arguere quoque ſi libuiſſet & oppugnare, vel etiam tueri ac propugnare, vno verbo in eloquentia proficere. Quapropter ſi quæ in huiuſmodi facto culpa eſt, amoris culpa eſt; ſi quid erraui, a beneuolentia profectus eſt error: denique tum meo erga vos amori quos in oculis fero, ferámque dum vitam, tum vtilitatis veſtræ ac dignitatis ſtudio & cupiditate, qua (vt verè fatear) exarſi ſemper, id totum acceptum eſt referendum. Quæ cum ita ſint, illud iam vos obſecro, Auditores, & obteſtor, illud pro veſtra nobilitate ac benignitate a vobis flagito, vt mihi liceat vel ad intermiſſum dicendi genus veſtrum omnium ſuffragiis quin publica acclamatione regredi & perpetua oratione (id quod maximè cupio) Ariſtotelem explicare, uel pari item conſentione atque omnium approbatione dictandi morem ſectari & ad ueſtram utilitatem ferre. Ego enim huc ad utrunque pro mea tenuitate paratus acceſſi, ut uobis, dum tamen de re tota inter vos conſentiatis, morem geram. Veſtrum itaque ſit deliberare & imperare, meum alacriter obtemperare.

DIXI.

ORA-

ORATIO XXI.

Eloquentia cum Hiſtoria et Poeſi comparatur, ac multas ac magnas cum publicè tum priuatim vtilitates habere oſtenditur.

¶ Habita Patauij cum rurſus Ariſtotelis Rhetorice eſſet explicanda.

POSTVLARET ſanè ratio Conſeſſus Ornatiſſimè, vt quoniam ampliſſimos Hiſtoricorum & Poëtarum campos diu multúmque peragrauimus, nunc eandem nouo Studiorũ facto initio, ad præclara & eximia Rhetorum ſpatia rediremus. Idquod Clariſſimi Adoleſcentes aliqui mecum & grauiſſimis verbis egerunt & vehementer expoſtutarunt. Cum enim biennio toto in Hiſtoricis Poëticiſque præceptis nos detinueris, multa etiam de Hiſtoria, plurima de Poëſi, ſcripſeris; ita vt & Hiſtoriæ rationem vniuerſam multis libris complexus fueris, atque eximios Heroici Poëmatis Principes, Ariſtoteleis præceptis inhærens, mutuò comparaueris, quid eſt quòd pulcherrima & ſuauiſſima Rhetorum ſtudia ab hoc Gymnaſio diutius exulare, aut etiam a nobis tantopere expeti ac requiri, pariaris? An non eloquentia, quam in præclaro hoc doctrinarum, theatro atque optimarum artium Domicilio profiteris, Rhetorum præceptis continetur maximè? Humanitatis verò ſtudia, quî tandem non exareſcent, vbi oratoriæ præceptiones atque concertationes a nobis tandiu intermittantur ac deſerantur? An igitur patieris vt poſtulatis querimonias, querimonijs contentiones, addamus, ac non tam precibus quàm obiurgationibus te ad oratoriam palæſtram reuocemus? Niſi fortè expectandum quoque putas, vt ad Triumuiros confugiamus, ac de Hiſtoricis & Poëtis interdicto tecum agi, demúmq. intermiſſa eloquẽtiæ ſtudia veluti poſtliminio reuocari poſtulemus? Sic fermè iſti.

Ipſe itaque ornatiſſimorum adoleſcentium optatis, vel potiùs mandatis, parebo libens: & ad Ariſtotelem, hoc eſt ad grauiſſimum eloquentiæ magiſtrum, atque adeò dicendi intelligendíque Authorem ſummum, redibo totus. Id quod eò etiam libentiùs faciam, Auditores optimi, atque adoleſcentium nobiliſſimorum voluntati morem eò geram alacriùs, quòd reuera æquiſſima illorum ſit poſtulatio: ac vel eis tacentibus, præclara liberalium artium Regina, Eloquentia inquam, ſuo iure hoc tempote meum officinm ac ſtudium repoſcere videatur. Etenim, quod vos non latet, tria ſunt quibus maximè continetur Humanitatis ſtudium, Hiſtoria, Poëſis, Eloquentia, Etſi enim Humanitatis Doctori liberalium artium omnium cognitione imbuendum eſt pectus, ac niſi in Authoribus explanandis hærere paſſim velit ac labi turpiter, nullum eruditionis genus non attingendum, Hiſtoria tamen, vt dicere cœperã, & Poëſi, Eloquentia ſuſtinetur maximè atque perficitur illius munus. Ita quidem cum nos vno atque altero anno Hiſtoriæ detinuerit, Poëticaéque tractatio, nunc ad dicendi artificium & Oratoriam facultatem, vno verbo ad Eloquentiam, redeamus: atque ampliſſimos illius campos omni ſtudio, cura, induſtria, excolamus, neceſſe eſt.

Et ſanè quòd attinet ad Hiſtoriam, ſic rem peregimus, vt nihil fortaſsè requiri poſſit, quod a nobis vel explicatum, vel tentatum, ac publicis literis conſignatum, haud fuerit. Itaque de Hiſtoriæ vi ac natura egi primùm, atque ita egi, vt ſimul theoremata & controuerſias omnes explanauerim, quæ de illa viderentur afferri poſſe ac diſceptari; tum legitimis Hiſtoriæ legibus conquiſitis vndique & promulgatis, docui qua ratione vel intelligenter peruolutari, vel ritè ſcribi, vel pro dignitate iudicari, poſſet Hiſtoria. Mox Hiſtoricos ipſos veluti in Theatrum retuli, ídque vt omnino conſtaret quo quiſque loco eſſet collocandus: qui ſiue ad Romanam, ſiue ad Græcam, ſiue ad Barbaram Hiſtoriam referendi: ac ſummatim quo ordine tum ſacra tũ profana rerum geſtarum monumenta eſſent pertractanda. Ad extremùm de vtilitate ex Hiſtoriæ tractatione capiẽda diſſerui, & quàm vberes quiſq. fructus ſiue publicè, ſiue priuatim ex ea percipere poſſit, declaraui. At verò Poëticam rem ſic proſecu-

rus ſum, Auditores, vt priùs Ariſtoteleæ Poëticæ præcepta & documenta, tum bonam Aenèidis partem, explicauerim. Ex quo factum eſt, vt ad eorum normam, quæ de Epopœia docuit Ariſtoteles, Virgilium cum Homero contulerim, & pro virili parte mea illorum ſtylum, induſtriam, artificium, &, vt ſemel dicam, Poëmata comparauerim. Quis igitur non intelligat nunc, parem diligentiam vel potiùs maiorem a nobis ad Rhetoricam eſſe referendam, diurnis nocturníſque vigilijs atque ſudoribus in hoc ſtudium incumbendum, denique remis velíſque enitendum, vt optatam eloquentiæ metã fœliciter attingamus? Ergo ad Rhetoricen noſtra omnis ſeſe conuertat induſtria: præſertim verò quòd eloquentiæ quoque tractatio cum dignitatis atque iucunditatis pleniſſima ſit, tum verò frugifera ſit tota, atque in genuo viro & nobili vtilitates maximas afferre ſoleat. Ac profectò Hiſtoriam multas & magnas habere cum vtilitates, tum voluptates, quin, etiam ad omne vitæ genus conferre plurimum, non inficior. poëticæ quoque ſtudium multa commoda afferre mortalibus; in primis verò animum mirificè recreare & incredibili iucunditate perfundere, non modò fateor, ſed profiteor; veruntamen ſuas quoque vtilitates ac voluptates habet eloquentia: & ad vitam omnem; præſertim verò ad dignitatem ac decus, miras affert opportunitates. Neque enim vlla eſt, vitæ pars, in qua Ingenuo viro ac Patriæ peramanti, domi foríſque non magnopere prouidendum ſit atque cauendum ne rudis & impolita, aut etiam eneruis & indecora, ſit eius oratio; ſed ſuauis cadat omnibus & periucunda, quæque animus cõciliandis rebúſque fœliciter peragendis, authoritatem addat ac pondus. Denique ſicut præclara videri ſolet oratio, cum hinc homo animantibus præſtet cæteris, ita longè præclariſſima cenſeri debet eloquentia, cum hinc homo reliquis hominibus antecellat. Quid plura? ea eſt dicendi facultas, ea eloquentiæ virtus; vt hac vna imperiti furentíſue populi aures atque animos ad ſe conuertere ac rapere poſſit Orator: ac tum in foro & iudicijs, tum in Senatu & curia in mortales cæteros dominari. Neque verò id eo conſilio pronunciaſſe velim, quòd præ poſtera eorum mihi probetur vel ſententia vel induſtria qui in eloquentia non tam rerũ quã verborum copiam ſpectant: nec tam ratione agunt quàm oratione. quin potiùs conſilio, authoritate, prudentia non minùs quàm orationis elegantia & dicendi laude bono Oratori præſtandum cenſeo: & vt ratione ſimul & oratione excellat ac floreat. Et ſanè cum eloquentia aliud ſit nihil niſi copioſè loquens ſapientia, ac propterea bonus Orator ac Ciuis hinc vberrimos doctrinarum campos, illic niſi copioſè loquens ſpatia peragrare ſoleat, ſic elegantiam requìrimus ab Oratore atque orationis munditiam & ſuauitatem probamus, vt ab eodem prudentiam, iudicium, ſapientiam expectamus. Debet enim ſic aures capere Auditorum ac ſuos Ciues dicendo oblectare, vt eoſdem conſilio iuuet, ac Patriæ adiumento ſit ac præſidio. Imò verò ideo elegantiam in eo requirimus vt optimum conſilium faciliùs in Auditorum inſtillet animos ac virtutes in eorum pectus inſerat, vnde ad Patriæ charitatem ac iuſtitiæ virtutíſque ſtudium, vno verbo ad benè beatéque viuendum incitentur & inflammentur. Quod ſi M. Tullius in eo etiam collocauit ſummi Imperatoris laudem ac dignitatem vt conſilio ſimul & dicendi grauitate & copia valeat, atque hoc nomine Pompeium celebrauit & optimum Imperatorem prædicauit, quis Oratorem ipſum vna dicendi copia, hoc eſt flumine inanium verborum, inſtructum ferat? quis prudentiæ, conſilij, ſapientiæ nullam in eo rationem haberi iubeat: immo hanc non æquè ac ſermonem & elegantiam, vel potiùs multò magis quàm elegantiam, in illo requirendam ſentiat ac flagitandam? Alioquin ſæpè in iudicijs & curia, imò verò in quolibet cœtu hominum, Euripideum illud eſſet vſurpandum,

——Εἶτ' ἄνθρωποι.
Εἶναι μηδ' ἐν οἱ δεινοὶ λέγειν. Vtinam, inquam,
Nullo diſerti vt eſſent in pretio viri
Quin potiùs illud ex eodem Euripide eſſet exclamandum
Εἴθ' ἦν ἄφωνον σπέρμα δυστήνων βροτῶν.
Vtinam eſſet vocis expers humanum genus.

Sed ne in ea re ſim longior, quæ apud viros ingenuos omnes comperta eſſe debet, agedum longiore procemio prætermiſſo, atque adeò cunctatione omni abiecta, ad Ariſtotelis Rhetoricam aggrediamur. Cum enim magnus hic Author procemio,

atque

atque illo pulcherrimo ſanè & nobili, vtatur, imprudens ſim ego & importunus ſi præfari longiùs velim, ac vos mea potiùs oratione quàm diſertiſſima & copioſiſſima Ariſtotelis diſputatione ad veram eloquentiam incendere & inflammare.

DIXI.

ORATIO XXII.

Religionis ſtatus curſim commendatur primum: tum de tali tantoque bono retinendo augendoq. diſſeritur: mox verò oſtenditur niſi Chriſti Cruce id perfici non poſſe: ad extremùm Antiſtitis ac Patrum qui in hanc rem diligenter incumberent, laudatur induſtria.

Habita Vicentiæ Id. Maij Anno CIↃ. IↃ C. XI.

In S. Bartolomæi templo in generalibus comitijs a Religioſo viro, cui vt gratificaretur, eam dictauerat Author.

EGo verò, Antiſtes Reuerendiſſime Patréſque religioſiſſimi, de optimo illorum ſtatu mihi dicēdum propoſueram qui in religioſa familia cœnobióque verſantur. Cum enim & ingenij mei tenuitatem, & meæ orationis infantiam, animo reputarem; argumenti ſaltem præſtātia & iucunditate mihi conſulendum, ac tenuitati infantiæque meæ proſpiciendum, putaram. quidni enim præclarum videatur de illo vitæ genere diſputare, vnde cœli ſedes conſcendère, ac vitæ huius ærumnas cum beata vita, tempus cum æternitate, mortalitatem denique cum immortalitate commutare, liceat? aut cur veſtris auribus non accidat iucundiſſima eius officij ac ſtudij commendatio in quod toto pectore incumbitis: cui dies noctéſque inuigilatis: quod amplectendū, colendum, retinendum decreuiſtis? Verùm enimuerò dum id meditarer, & in hanc cogitationem omnes ingenij mei vires ac neruos intenderem, illa animum ſubijt dubitatio quæ conatus meos ab inſtituto penitus reuocauit. Nam vt verè fatear, magnopere dubitaui ne ſi rem hanc apud vos, Patres optimi ac ſapientiſſimi, perſequerer, impudentiæ notam ſubirem, ac temeritatis inſimularer. Cum enim Phormio ille, etſi perdiſertus, non potuerit non audaciæ & impudentiæ ſubire crimen, qui apud Annibalem ac ſapientiſſimos Duces de re militari dicere auſus eſſet, cur non ipſe qui ab omnibus doctrinæ & eloquentiæ præſidijs huc imparatus acceſſi, non reprehēdar, qui coram religioſiſſimo Præſule de religionis bono atque optimo illius ſtatu diſputare non dubitarim? Denique demens ſim ego qui inſpectante Roſcio actum agere, & Religionis cōmoda Patribus religioſiſſimis commonſtrare nitar. Igitur eò potius orationem inflectam, vt quoniam ſatis conſtat cœnobitarum Religioſarúmq. familiarum ſedes eſſe Angelorum veluti domicilium, Dei caſtra, fortiſſimum ad arcēdos Dæmones propugnaculum, turrim ex qua mille pendent Clypei, Chriſtianæ virtutis & pietatis firmamentum, veræ ſapientiæ curriculum, cœleſtis vitæ ſimulacrum, &, vt multa ſimul complectar, eius ſcalæ imitamentum, vnde Angeli è cœlo deſcendentes remearent; vos, vos inquam Patres optimos qui de hoc bono retinēdo & amplificando cogitantes, ad optimum Religioſi huius Ordinis regimen incumbitis, ac præclaro huic labori dies noctéſque inuigilatis, & cohorter & laudem. Vt enim in ſtadio currentes, & ſummis conatibus ad metam properantes, hortatu & plauſu incendere nunquam obfuit, profuit verò ſæpiſſimè; & currentibus accidit periucundum: ita pauca quædam de religioſa diſciplina retinenda, hoc eſt de ſanctiſſimo in quod incumbitis munere, diſſeruiſſe, nihil incommodi afferet, fortaſſe etiam vobis, quæ veſtra eſt humanitas ac pietas: erit iucundiſsimum.

Et ſanè operæpretium eſſe vel potiùs neceſſarium ſacris quoque religioſorū ordinibus regimen quod facitis, & curam adhibere diligenter, atque illos tāquam agros excolere, nemo qui rem attentiùs æſtimet, non fateatur. vt enim ager, pinguis licet ac

fertilis,

fertilis, ſpinas in dies gignit ac tribulos niſi accurata agricolæ cultura ſubigatur & excolatur; ita religioſæ familiæ, quantumuis ab initio fœliciter inſtitutæ, cultura intermiſſa, ſuos proferunt tribulos ac ſpinas vnde ſqualeant ac priſtinum decus amittant. neque enim inimicus homo, vbi abſit colonus, aut dormitet altiùs; zizaniam superſeminare veretur, vnde fruges optimæ ſuffocentur ac decurſu temporis in lolia conuertantur. quin etiam quemadmodum ager (vt in eodem perſiſtam ſimili) etſi egregiè conſitus atque optimis vitibus & plantis refertus, cultura neglecta, veluti ſyluescit, ac tandem pro vuis labruſcas, & agreſtia poma pro mitiis ac dulcibus reddit, ita Religioſorum ordines, etſi egregiè ab initio ficti ac tanquam generoſis ſtirpibus conſiti, diſciplina & cultura poſthabita vel neglecta, acerbos fructus progignunt. hinc ſæpè conqueritur Dominus & lamentationibus plenas effundit voces. Plantaui te vinea electa, omne ſemen verum, quomodo ergo conuerſa es mihi in prauum vinea aliena? & rurſus, expectauit vt faceret vuas, & fecit labruſcas: rurſúſque, Paſtores multi demoliti ſunt vineam meam: conculcauerunt partem meam: dederunt portionem meam deſiderabilem in deſerto ſolitudinis. quid plura? eò per agricolæ incuriam & negligentiam adducitur aliquando vinea Domini, vt Dominus exclamare cogatur, Deſtruxiſti maceriam eius: & vindemiant eam omnes qui prætergrediuntur viam, exterminauit eam aper de ſylua, & ſingularis ferus depaſtus eſt eam.

Ac mea quidem ſententia is eſt ager quem Dominus religioſis familiis tanquam colonis attribuit, ex quo non trigeſimum fructum ſed ſexageſimum immo verò centeſimum efflagitat. Etenim qui in Eccleſia verſantur illi quidem, ſed in Religioſorum ordinem ac ſortem vocati non ſunt, ſed connubijs ac liberis procreandis cæteríſque ſecularibus negotijs adminiſtrandis relinquuntur, ſanè ij laudantur, modò trigeſimum fructum reddiderint. Cum enim præceptis tantùm obſtricti, minùs idonei ſint Dominici agriculturæ, quidni probentur & a Domino in regnum excipiantur, dum trigeſimum ex agro fructum collegerint? Qui rurſus præter præcepta, conſiliorum partem aliquam amplectuntur, & connubiis abſtinentibus, ſeſe in ſeculo item mancipant Domino, ij quoque egregiè attributum ſibi excolunt agrum, ſi ſexageſimum inde fructum obtulerint. cum enim adhuc inter Mundi huius fluctus verſentur ac vitam inter peccatores degant, domeſticiſque curis non penitus eximantur, quidni illorum commendetur induſtria ſi ſexageſimum detulerint fructum cœleſti Regi? At ſacri cœnobitarũ ac Religioſorum ordines qui præcepta, qui conſilia, complectuntur; qui humanis diuiníſque præſidiis muniuntur, & ab vbertate domus Dei in hac peregrinatione ſatiantur, hos oportet centeſimum fructum reddere, hoc eſt lætiſsimum & copioſiſsimum: ita vt inde illorum negligentia & ſocordia compenſetur, qui extra dominicum agrum poſiti, ſerui inutiles, qui Regis noſtri hoſtes, deprehenduntur. Vt propterea religioſi viri animus ac pectus contremiſcat oporteat, ac vindicem Dei dextram magnopere pertimeſcat, qui per negligentiam vacuus, ſed quid dico vacuus? immo non fruge centeſima onuſtus, ante illum, dum rationem exigat, apparuerit. Id quod nobis ſigillatim verendum eſt ac diligenter cauẽdum: qui enim operoſam vitam amplectuntur, aut vnam contemplationis viam ſectantur, ij fortaſſe excuſentur ſi interdum nõnihil a centeſimo abſint fructu. at nobis qui vtriuſque vitæ ſtudia ſectamur & exercitationes amplectimur, ac propterea vtrinque ocii declinandi ac virtutem ſectandi opportunitatem nanciſcimur, videndum eſt diligẽter vt ne ſpem cœleſtis agricolæ fallamus, ſed potiùs menſuram confertam & ſuperfluentem Domino offeramus.

Equidem interdum mecum ipſe contremiſco, Patres Religioſiſsimi, cum illud attentiùs reputo: Deum aſperum illum & auſterum eſſe hominem qui ex eo quoque agro, ſed quid dico agro? ex ſpinis, ex tribulis, ex arena, ex eo denique ſolo in quo ne ſeminarit quidem, fructus a nobis requirit. an tu Domine ſic auſterus es, vt non modò ex fertili agro, verùm etiam ex arenoſo ac planè arido, ex ſaxis ipſis a nobis fructus repoſcas, & cum fœnore etiam repoſcas? Sic ſanè. etenim inuidiam, odium, mendacia, vitia denique & peccata non ſeminauit cœleſtis ille colonus, qui ſingulis aliquam agri attribuit partem: ſed talem ac tantam in religioſis familiis requirit charitatẽ, tale in extirpandis vitiis peccatiſque delendis ſtudium, vt ex peccatis etiam, quæ (vt dicere cœperam) non ſeminauit cœleſtis agricola, ſed ſuperſeminauit humani generis ho-

ſtis,

ſtis,fructus deriuari ac percipi iubeat. Et quidem ex pingui ſolo cuiuſmodi ſunt religioſa ſtudia,quæq. in domo Dei honeſtæ obeuntur exercitationes, facilè eſt fructus concipere & procreare,ſed ex malignantium cœtu & ex peccatorum tribulis ac ſpinis eos referre,id verò arduum eſt ac perdifficile. & tamen vt in medio peruerſæ generationis verſandum nobis interdum eſt,& cum peccatoribus verſandum, ex iis et ā noſtra opera & ſtudio miſericordiarum pater ſalutares pœnitētiæ fructus depoſcit. Dies me deficiat,Conſeſſus ornatiſsime, ſi ea perſequi velim omnia, quæ ad hunc agrum diuinitus nobis attributum,colendum,& ad priſtinū decus & nitorem a ſitu & ſqualore reuocandum nobis imperantur:ac noſtræ fidei, curæ, ſtudiis, vigilus commendantur: quæ ſanè libenter prætereo, quòd apud ſapiētiſsimos viros paucis agendū ſit.

Quamquam illud vnum non prætermittam, quod tanquam ſymbolum religioſi muneris videri poſsit ad agrum hunc perpurgandum, & ad ſummam pulchritudinē & vbertatem traducendum. Scribit ſuauiſsimus author Xenophon, quod etiā ſummus dicendi & intelligendi author commemorat M. Tullius; olim Cyrum Perſarū Regem,quippè qui inſitione & agricultura delectaretur, nobilia inſita, ac generoſas vites & plantas,ſua manu conſeuiſſe: ſed in primis agrum arboribus conſitū in quincuncem ordinaſſe ac diſpoſuiſſe. quod ſanè culturæ genus vſque adeò egregiū vſum afferebat,tale decus, talem ac tantam vetuſtatem referebat,vt ſiue vmbram, ſiue Solem,ſiue arationis & culturæ opportunitatem,ſiue plantarum proceritatem,ſpectares,nihil lætius,nihil venuſtius,nihil feracius cerni aut requiri poſſet,Cōſitus in quincuncem ager crucem ipſiſsimam exprimit,vt quoquo verſus te conuerteris, quamcumque in partē reſpexeris, ea tibi occurrat,ea oculis offeratur. Hoc igitur ſit ſymbolum vnde lætus & frugifer euadat atque adeò cētesimum fructum reddat Dominicus ager quē colimus. quincunx figura,Crux inquam Chriſti: ita vt quicquid ſpectemus,quicquid moliamur,ac ſiue agendo,ſiue contemplando;diem ac vitā traducamus,Chriſti crucem ſectemur,amplectamur, exprimamus, cæteris etiā tanquam vexillum præferamus. Sic Apoſtolus ſe nihil aliud ſcire profitebatur,niſi crucē Chriſti: nihil,niſi Chriſti crucem,putabat prædicandum. In hac (inquit) ſalus,in hac vita, in hac reſurrectio noſtra: in hac rurſus reconciliatio;in hac pacificatio, in hac gloria. Hinc inuidiæ pelluntur,hinc arcentur odia, pernicioſa diſsipantur cōſilia:hinc Chriſtiana humilitas,celſitudo,opprobria,honores,iniuriæ, lucrum, paſsiones huius temporis,voluptates ac delitiæ,mors,gloria iudicatur.Hinc itaque,hinc inquam, regimē ac moderatio petenda eſt Religionis noſtræ: a Crucis inquam meditatione, amore, amplexu, tolerantia inſtauranda eſt, & ad priſtinum decus, quo a maioribus noſtris inſtituta,& fundata eſt,reuocanda: neque enim exēplum aliud inſpexit aut ſibi propoſuit Religionis huius atque ſamiliæ author ac magiſter ſiue inſtaurator, vt ita dixerim, & amplificator. Auguſtinus,niſi Chriſti Crucem. Quapropter hanc viuentis conſolationem,morientis ſalutem appellat: hanc cordibus noſtris figendam ſtatuit, hac ocium,delicias,cupiditates,dæmones ipſos effugandos: hac veterem Adam cum concupiſcentiis crucifigendum, hanc arma militiæ noſtræ, hanc victoriam, hanc triumphum,hanc gloriam habendam.

Sed imprudens ſim ego,Antiſtes optime,Patres ſapientiſsimi;qui quod prolixè aggreſsi eſtis,& mira tum animi contentione,tum voluntatum conſenſione, elaboratis ac ſtrenuè vrgetis,id non tam laudibus (vt par erat) extollam, quàm faciendum eſſe commemorem. Ergo vobis ac familiæ noſtræ vniuerſæ tale tantúmque bonum iam gratulor: iam veſtram fidem, laborem,induſtriam,charitatem complector: & quas pro veſtris in nos meritis perſoluere gratias non poſſum,dum viuam, habebo ac ſaltem pro virili parte mea prædicabo. Interim verò, vt orationem meam cohibeam, Deum optimum maximum enixè rogo, vt quod eo aſpirante fœliciter cœpiſtis,eiuſdem beneficio egregiè ad finem perducatis: vt non modò in æuum religioſam hanc familiam ſartam tectam conſeruetis,& ab omni periculo liberetis, verùm etiam omni virtutis genere, ſed in primis Chriſtiana humilitate & charitate,vno verbo,Dominicæ Crucis amore,compleatis.

DIXI.

ORATIO XXIII.

Hanc habuit Author in Patauino Theologorum Collegio dum Iohannem Ferrum Doctoribus inſignibus exornaret.

MAgnopere optandum eſſet, Perilluſtres Auditores, vt quoniã Iohannes Ferrus cãdidatus noſter induſtriam ille ſuam atque doctrinam ornatiſſimæ huic doctiſſimorum Patrum coronæ vehemẽter probauit, & expectationi quam de ſe ingentem ac nobilem excitauerat, mirificè ſatisfecit, is præſto eſſet qui talem ac tantam virtutem meritis laudibus ornaret ac celebraret. Cum enim Marius Mazzolenus Collega noſter ornatiſſimus, atque omni doctrinarum laude cumulatiſſimus, hanc ſibi oblatam Prouinciam ſuſcepiſſet, ac iam ſe ſe egregiè (quemadmodum ſemper ſolet) comparaſſet, vt ſuſcepto muneri ſatisfaceret pro dignitate; profectò minùs bellè ac fœliciter agitur cum laureando noſtro, cui in præſentia virtutum ſuarum ac meritorum præco eſt requirendus.

Verùm enimuerò cum repentè, vt res humanæ aleæ pleniſſimæ ſunt & inconſtantiæ; morbus & Mazzolenum valetudine, & Ferrum noſtrum merito præconio, & nos omnes egregiæ ac perdiſertæ laudationis auditione, priuauerit, enitẽdum ſanè eſt vt huiuſmodi iacturam æquo animo feramus & moderato. præſertim verò quia in tanta Auditorum frequentia vix fortaſſe quiſquam eſt, qui non audierit laureandum noſtrum ex illa Vrbe ortum eſſe quæ totius Terrarum orbis eſt vel Theatrũ, vel miraculum, vel præſidium, vel ornamentum: plerique etiam perſpectum habeant ex ea familia eſſe progenitum in qua viri permulti Iuriſprudentiæ laude & (vt rem cõplectar breui) toga & bello nobiles ac ſtrenui floruerunt. Facilè etiam ad multorum aures peruenit eundem ex eo parente eſſe procreatum qui ſuperioribus annis Venetijs Medicinam in ea luce hominum honeſtiſſimè tractauit, & inter primarios Medicos numeratus eſt. Quid plura? Aloyſius adeſt frater ornatiſſimus, qui non ita pridem hoc ipſo in loco vtriuſque Iuris lauream magna cum omniũ approbatione adeptus, Venetijs Fiſci Aduocatum egit, ac Sereniſſimæ Reipublicæ; fidei, prudentiæ, integritatis, ſapientiæ ſpecimen dedit præclariſſimum. Nam eundem Iohannem Ferrum Laureandum a Sereniſſimo eodémque ſapientiſſimo Principe propter ſingularem morum integritatem atque optimarum doctrinarum ſcientiam ex multis delectum eſſe qui Marciano Xenodochio præeſſet, ac magna cum dignitate, addo etiam vtilitate, Prioris (quem appellant) perſonam ſuſtineret, nemo vt arbitror ex ijs qui in hoc celeberrimo ac florentiſſimo cœtu verſantur, non audiuit. Vt propterea minùs gratè ferendum ſit, aut Ferri noſtri laudatorem ac debitarum laudum præconẽ abeſſe, aut nobis hoc ipſo die, ídque inter varias, quibus publicè priuatímque deſtinemur occupationes, hoc munus iniunctum eſſe ac demandatum. Etſi enim non is ſum Auditores qui Mazzoleni induſtriam & elegantiam æquare poſſim, quin etiã omnibus quot quot in hoc præclariſſimo ac Religioſiſſimo cœtu reſident patres, ijs cum ingenio & doctrina, tum dicendi laude ac virtute me longè inferiorem eſſe profiteor; deníque meam inſcientiam & infantiam & agnoſco & fateor, veruntamen vbi mihi per tempus licuiſſet, operam ſanè meam, quantulacunque eſſet, Ferri laudibus nõ grauatè tribuiſſem, vt ſaltem meam erga illum beneuolentiam declararem. Sed quoniam ita res tulit, iámque voluntatem meam optimam Cãdidato noſtro perſpectam, vobis verò perilluſtres Auditores, qui huc tanta frequentia confluxiſtis, excuſationẽ meam probatam, ſpero, ad impoſitum laureæ munus deuenio.

Agedum igitur, Ferre optime, ſurgito, atque alacer mihi adeſto. Cum enim almũ hoc Patrũm Collegium, nemine diſſentiente, ſed ne vno quidem hæſitante, digniſſimum te iudicauerit qui ſacræ Theologiæ laurea decoreris, Ego ſanè authoritate Omnipotentis Dei primò, tum Pauli V. Summi Pontificis, atque Illuſtriſſimi, & Reuerendiſſimi Marci Cornelij Epiſcopi Patauini Comitiſque Sacenſis, ſimúlque perilluſtris & ornatiſſimi Proepiſcopi noſtri, atque almi huius Collegij vniuerſi, te Iohannẽ Fer-

rum

tum Sacræ Theologiæ Doctorem atque Magiſtrum, creo, conſtituo, renuntio, & in ampliſſimum hoc Collegium ab omnibus receptum conſortémque noſtrum renunciatum declaro: idque ijs honoribus ac prærogatiuis omnibus, quibus cæteri Theologiæ Doctores ex Iuris conſuetudine ſiue præſcripto vti ſolent & gaudere.

Huius rei ſymbolum ſit primò pileus quem tuo capiti crucis ſigno munitum impono: vt nimirum intelligas tibi in poſterum pro Chriſti vexillo & cruce ſtrenuè decertandum, ac, ſi opus fuerit, ſanguinem ipſum fortiter profundendum. Alterũ ſymbolum ſit ſacrum hoc Theologiæ volumen clauſum prius, mox apertum & reſeratũ: vt tecum ipſe reputes ſummis a Deo precibus contendendum enixéq. flagitandum, vt arcana Theologiæ myſteria etiam atque etiam tibi aperiat ac reſeret quibus fidelem Dei Populum altiùs in dies inſtruas, & ad æternæ ſalutis ſtudium incendas. Poſtremum ſit aureus hic circulus: vt quoniam coruſcat & ſplendet, ſimúlque æternitatis imaginem refert, memineris aurea tibi pietate ardentíque charitate ad æternitatem immortalitatémque aſpirandum eſſe & contendendum, Accipe oſculum pacis, ac mihi aſsideas: & bonorum omnium Author ac largitor Deus tibi benedicat in ſæcula.

ORATIO XXIV.

Hanc habuit N. N. Epiſcopus deſignatus, cum in Pelloponeſum reuerſurus, & inter Infideles verſaturus, Iuriſprudentiæ poſtularet lauream.

ESſet quidem cur vehementer lætarer Proepiſcope Reuerendiſsime, Patres ampliſsimi, Auditores ornatiſsimi, cum me exoptata Iuriſprudẽtiæ laurea iam iam ornandum eſſe animaduertam. Cum enim huius gratia è Pelloponeſo diſcedens, lõgiſsimas Terræ Mariſque vias obierim, pericula etiam non exigua, nec exiguos ſumptus laboréſque ſubierim, demum diurnis nocturniſq. vigilijs ad hanc laudem aſpirauerim, quid ni tandem mihi ipſe de tali ac tanto bono magnopere gratuler? Quid multa? ſentio me Doctoris inſignibus & in ea Vrbe ornandum, quæ cum ingenio & doctrina, tum antiquitate, gloria, nobilitate, cum præclariſsimis Italiæ atque adeò Europæ, Vrbibus certat. Video me ab eo Collegio & ab ijs Patribus hac dignitate cohoneſtandum qui Chriſtianæ Reipublicæ Collegijs ac Doctoribus amplitudine ac Iuriſprudentię laude prælucent omnibus, cerno me in hac luce hominum tale tantúmque decus eius relaturum manu, qui non Iuriſprudentiæ ſolùm, verùm etiam Eloquentiæ comitatiſque virtute ac ſplẽdore in Patauino Gymnaſio quaſi Lucifer inter ſtellas emicat ac ſplendet: denique animaduerto hoc mihi decus ſub oculis adiungi florentiſsimæ illius ac nobiliſsimæ inuentutis quam in oculis fero, ac mirificè & colo & diligo; ita vt non tam iuriſprudentiæ laurea quàm regia veluti corona mihi ornandus videar ac decorandus.

Veruntamen dum mecum ipſe attentiùs æſtimo qualis & quanta mihi ſit facienda vitæ commutatio vbi Doctoris gradum ne dicam onus ſubiero, non poſſum non magnopere commoueri atque intimis ſenſibus contremiſcere. Video enim mihi Patauinas haſce Athenas quas gentium & Doctrinarum Theatrum meritò dixeris, ſtatim eſſe relinquendas: Venetam Vrbem, hoc eſt pacis ac ſecuritatis portum, Italiæq. decus & firmamentum, eſſe deſerendam: maris pericula rurſus ſubeunda: rurſus inter Piratas & ſcopulos Pelloponeſum mihi repetẽdum, & inter Turcas & Chriſtiani nominis hoſtes degendum, atque id muneris ſubeundum, in quo ſine magno vitæ diſcrimine verſari haud liceat. Quamquam illud etiam accidit incommodi, quo magis ac magis angitur & cruciatur animus meus. Cum enim eò mentem & cogitationem vel ab adoleſcentia coniecιſſem, vt ſanctiſsimis hiſce ac tutiſsimis Latinæ Eccleſiæ inſtitutis imbuerer, iiſdémque tanquam ſacræ anchoræ adhærerem, video me iam illorum conſortio priuandum quorum opera & charitate altiùs adhuc inſtitui cupiebam. Etſi enim ſtatim ac ſub Italico Cœlo verſari mihi licuit ac degere, in hanc curam diligenter incubui, ac benè iuuante Deo ad hoc ſtudium diurnas nocturnáſq.

vigilias

vigilias retuli, veruntamen dum vno eodémque tempore cogor Iuriſprudentiæ operam dare, ſentio me quod & optarem, & verò Chriſtianum virum par eſt expetere, non ſatis aſſecutum eſſe, præſertim verò vbi ſacroſancta Eccleſiæ decreta Dei populum accuratè docere, eádemque diligenter propugnare oportuerit. Denique optaſſem non modò paruulis lac, verùm etiam adultis eſcam miniſtrare poſſe : aduerſarijs etiam præparato pectore ac munito reſiſtere, impoſtoréſque ipſos, ſi qui occurriſſent, coarguere, eorúmque conatus frangere. Memineram enim diuinas illas Pauli voces, quibus Eccleſiæ miniſtros ſic iubet vigilare ac laborare, vt Euangeliſtæ officiũ implere poſſint, ac propterea idoneos eſſe, qui non obſecrare modò ſed increpare, nõ ſolùm erudire ſed coarguere, valeant, pro dignitate. Itaque nihil mihi optatius contingere potuiſſet, nihil antiquius, quàm altero adhuc quadriẽnio in hac doctiſſimorum virorum luce verſari, eorúmque conſortio frui, vt cum in Pontificio iure pleniùs adhuc erudirer, tum verò Theologiæ decreta in quibus Diuinæ ſapientiæ myſteria ac fidelium ſalus repoſita eſt, a ſapientiſſimis Patauinæ Academiæ Theologis audirem atque perdiſcerem. Vt propterea cum ex hac mihi Vrbe ſit diſcedendum, vt impoſitum mihi onus ſubeam, non poſſim non ægrè ab complexu veſtro diuelli Patres Ampliſſimi, ac propterea iam animaduertam meum gaudium in mœrorem, & (vt cum Pſalmiſta loquar) cytharam meam in luctum conuerti. Sed is fortaſſe cui venti obediũt & mare, quíque timore & ignominia ſuorum impleat faciem inimicorum, cum mihi in tot periculis præſto erit, ac manu ſubleuabit ſua, tum lucem ac facem præferet vnde in via mandatorum eius ambulem, ac fidelem plebem in illis erudiam ac dirigam. Iubet igitur ſpem concipere & ad inſignia Doctoris ſuſcipienda alacrem parare animum. Tu igitur, Otelli optime, & ornatiſſime, quem in Patauino hoc Gymnaſio in parentis optimi loco ſemper habui & colui, cuíque tantũ me debere profiteor, quantum vix fortaſſe vnquam perſoluere ſed ne dicendo quidẽ complecti valeam; tu inquam decretam mihi lauream, quod fœlix fauſtúmque ſit, impertiri & ornamenta conferre, méque tua manu honeſtiſſima cohoneſtare, lingua etiam diſertiſſima ad iuſtitiam virtutémque colendam incendere, mœrorem etiam meum ſuaui oratione tua, quod & pro tua ſapientia potes, & pro tua pietate debes, lenire ne graueris.

DIXI.

ORATIO XXV.

Habita Patauij a N N. Eugubino dum Philoſophiæ ac Medicinæ lauream ſibi a Collegio decretam peteret.

EGo verò, cum Alexandri Maſſariæ fato, quo nõ ita pridem perfunctus eſt, perculſus, non ſolum Doctore magiſtróq. Clariſſimo, verùm etiam optimo veluti parente, ac meorum ſtudiorum vitaéq. ipſius duce ſapientiſſimo, orbatus eſſem, ſic afficiebar Patres ampliſſimi, vt animum deſponderem, ac fœlicem mearum rerum exitum deſperarem: denique me tanquam naufragium extremámque iacturam feciſſe arbitrarer. Ita quidem in mœrore & ſqualore ſic verſabar, vt vel ſuauiſſima huiuſce lucis vſura mihi accideret iniucunda. Sed cum Dei benignitate, reſpirare cępiſſem, tempus vero dolorem, vt fit, ſenſim leniret, ſpem atque animum reuocare cœpi. Ita demum, vt meis ſtudijs rationibúſq. conſulerem, in te Aemili optime & ornatiſſime, ínque Hieronymum Fabritiũ Gymnaſii Patauini decus eximium, mentem cogitationémq. omnem conieci. etſi enim animaduerterem ampliſſimum hunc Patrum conſeſſum Doctoribus eximijs ac ſapientiſſimis refertum eſſe, quíque niſi arduis Philoſophiæ ac Medicinæ curriculis ſumma cum laude peragratis, eximiaéque doctrinæ integritatíſque fama collecta, in celeberrimum hunc dignitatis ordinem haud referantur, veruntamen tua in primis Fabritiíque virtute alliciebar, ac tanquam ad duo fulgentiſſima atque pulcherrima huius Theatri lumina rapiebar. Ita factum eſt vt cum mihi ad Philoſophiæ ac Medi-

cinæ Lauream ſtudiorum meorum curſus intendendus, ac tandem in hanc arenam deſcendendum, fuerit, nihil mihi antiquius contingere poſſit, quàm a vobis hac ornari laurea, his inſignibus decorari. Quapropter dum me excellētiſſimus Fabritius, ſi non manu, at certè animo, & quæ illius eſt in me benignitas, ſumma voluntate his cohoneſtabit inſignibus, tu Aemili optime & animo & manu me exornare & cohoneſtare ne graueris. Id enim mihi (vt verè fatear) quemadmodum optatiſſimum, ita longè iucundiſſimum erit. Etenim quantum patriæ nobilitate, maiorum ſplendore, ingenii præſtantia, doctrinæque magnitudine & varietate, ſed in primis Medicinæ ſcientia excellis, tantum ob ſingularem tuam erga me humanitatem, egregiaq; tuæ in me benignitatis & comitatis officia, ac ſtudia, meritorum pondere, gratia, authoritate apud me vales ac præſtas. Quid plura? cum tu ille ſis Campolonghe Clariſſime, qui ſapiētiſſimo Principi meo, Sereniſſimo inquam Vrbini atque adeò Vmbriæ Duci, ſic charus es, atque in ore animoq. ita verſaris ac viges, vt tecum ille per literas frequenter colloqui, te muneribus ornare, laudibus etiam extollere, dicam planiùs, te vnum mirificè expetere ſoleat, quem obſecro alium mihi hoc tempore, aut exoptare aut deligere ipſe poterā, a quo hæc doctrinæ ac dignitatis ſymbola & ornamenta referrem? Age dum itaque Aemili optime ac ſuauiſſimè, hoc mihi officium, quod fœlix fauſtúmq. ſit, pro ſingulari, qua me ſemper complexus es humanitate, perſoluere, ac tua mihi & voce præclariſſima, & manu honeſtiſſima, præſto eſſe, ne cuncteris.

ORATIO XXVI.

Hanc dictauit Author N. N. *nobili adoleſcenti, cum hoc Patauino Iuriſconſultorum Collegio, in quod tunc primùm exciplebatur, gratias acturus eſſet.*

NON facilè mecum ipſe ſtatuerim Patres Ampliſſimi, vnde nā in præſentia magis affectus ſim atq; commotus: num ex immortali beneficio quod mihi hodiernò diē beneficentiæ veſtræ extare voluiſti, dū me in ornatiſſimum hoc Collegium cooptandum iudicaſtis, an ex auguſtiſſimi Conſeſſus veſtri amplitudine ac maieſtate, cuius aſpectu nunc mirificè delector ac recreor: an denique ex mœrore quo ſanè angor, dum me animaduerto egregio huic beneficio non ſolùm reddendo, verùm etiam pro dignitate prædicando, longè imparem eſſe.

Quāquam illud mihi perbellè atq; adeo fœliciter accidere ſentio, quo nō modo ſuſtentatur & erigitur ſed & ſummopere oblectatur animus meus. Nā ſiue ex iudicij veſtri, hoc eſt, vt ego quidē interpretor, beneficētiæ, & humanitatis decreto ac beneficio lætitiam capio, ſiue honeſtiſſimo dignitatiſq. pleniſſimo aſpectu veſtro delector & recreor, ſiue ex mea infantia mœrorē dolorémq. concipio, id totū animaduerto tū in veſtram dignitatē ac laudem redundare, tum meam erga vos obſeruantiam, quod ſanè mihi iucundiſſimū eſt; ac venerationem augere, quapropter quoties veſtræ aſpectus maieſtatis oblectabor Patres Ampliſſimi, toties equidē Cineam illum me eſſe iudicabo, qui cū Romam a Pyrrho Epirotarum Rege miſſus, & in Senatū introductus eſſet, quot ibi offendit Senatores, tot ſe Reges aſpexiſſe arbitratus eſt. Itaque cum in Græciā rediēs ex eo quæreret Pyrrhus, qualē offendiſſet Vrbē ac Romanum Senatū, Mihi verò (inquit) tales viſi ſunt Romæ Senatores ſinguli, qualis tu Pyrrhe in Epiro ac reliqua Græcia videri ſoles. Sed & quoties fauſtus hic dies ac ſingularis huius beneficij nuncius ac recordatio redibit in mentē, toties de ſingulari humanitate veſtra ac munificētia, toties de veſtris in me beneficiis ac meritis, recordabor. Quinetiā quemadmodū & Dux ſumma cū iucunditate illius diei vſurpat memoriā, in quo nobilē de hoſtibus victoriā reportauit, & exul diē illū inter fœliciſſimos numerat in quo optatam Patriam atque amicos recuperauit, & Nauta diem ſuaui mentione recolit, in quo poſt graues tempeſtates tutiſſimum portum ſubijt; ita ego lætiſſimum hunc diem grato animo ac ſuaui memoria recolam ac recordabor, in quo video mihi poſt

graue certamen tanquam victoriam, quæ veſtra fuit beneficentia, reportaſſe, & Collegii huius nobiliſſimi, a quo inuitus ſanè & quaſi exul abetam, luce atque conſeſſu frui, ac poſt longam curarum veluti iactationem in complexu veſtro nō ſecus atque in tutiſſimo portu conquieſcere. Quod ſi mœror aliquis ſubibit animum meum, quòd tali ac tanto beneficio prædicando impar ſim, id verò ſtatuam nonmodo infantiæ meæ verùm etiam veſtris in me ſtudiis; Patres optimi, veſtris officiis, veſtræ clementiæ acceptum eſſe referendum. Quamquam iuuat hoc dignitati quoque veſtræ & gloriæ acceptum referre: quæ ſanè talis ac tanta eſt, vt cum toto propemodū terrarum orbe celebretur, eam oratio mea attingere ac laudibus proſequi ſummopere reformidet. Ita quidem cum & veſtrorum in me meritorum magnitudine, & veſtræ inſuper gloriæ ac dignitatis amplitudine prohibear quominus gratias vobis referre, ſed ne agere quidem ſatis valeam, equidem immortales ſaltem gratias me vobis debere fatebor, ac dum viuam ſemper habebo. Tametſi erit etiam humanitatis veſtræ voluntatem meam optimam & obſeruantiam grato æſtimare animo: atque illam méque ipſum qui me vobis dono totum ac dico, tanquam perpetuum meæ erga vos obſeruantiæ pignus excipere. Neque enim par eſt vt tanta Collegii huius vel ſapientia, vel dignitas, vel gloria, vel authoritas, non pari comitate ac facilitate floreat & commendetur: vel certè, quoniā a cæteris commendatur paſſim ac celebratur, non in me etiam qui vos in oculis ſemper feram & colam, quique in clientelam veſtram me totum committo ac trado, non ad meæ adhuc orationis inopiam atque adeò infantiam, vnde minùs ad gratias agendas idoneus ſum, prolixè deriuetur, & in noui beneficij loco numeretur.

DIXI.

ORATIO XXVII.

Habita a nobili primarioq. Adoleſcente, cum Iuriſprudentiæ Theſes in Patauino Gymnaſio publicè tueretur.

QVod ab Heroicis vſque temporibus peruulgauerant priſci illi Græcorum ſapientes, Prodichus verò Sophiſta nobilis literarū conſignauit monumentis, Herculem adoleſcentem ad amœniſſimos illos ac fœliciſſimos campos, vnde tandem ſummas voluptates, atq; adeo beatam vitam deguſtare cœpit, non antea perueniſſe, quàm oblatas impuræ voluptatis illecebras & lenocinia celſo ſpreuiſſet animo, atque labore multo & ſudore aſperrima Virtutis iuga conſcendiſſet; id verò Præſides Illuſtriſſimi cæteriq. Auditores præſtantiſſimi, præclarè omnino excogitatum, & ad ingenuos adoleſcentes ad Virtutis amorem ac ſtudium excitandos pertinere, nemo, vt arbitror, qui rectè ſentiat, dubitabit.

Sed & illud a Romanis egregiè conſtitutum & cautum eſt, ne cui ad pulcherrimū, quod Honori Marcellus dicauerat Templum, pateret aditus, nemo Gloriæ penetrales focos adiret, niſi Laboris atque Virtutis Templum ſubiret priùs, indéq. ad Gloriæ Honoriſq. ſedes ſibi aditum aperiret ac patefaceret. Intelligebant enim eam vnam eſſe ſolidam gloriam ac laudem, illud tantummodo eſſe verum decus & ornamentū, quod labore, induſtria, ſtudio, vno verbo, Virtute pararetur.

Verùm enimuerò Maiores quoque noſtri, vt ſuam illi poſteritatem ad ſtudia doctrinarum virtutiſque decus incenderent, cum præclarè multa ſapienterq. ſanxerūt, tum illud in primis longè præclariſſimum, atque omni commendatione digniſſimum videri debet; iis nimirum qui ad Iuriſprudentiæ lauream nobiles aſpirarent adoleſcentes, in hanc veluti arenam antea prodeundum & publicum certamen obeundum eſſe. Reputabant enim animo, æmulorum concertationes magnam quandam vim habere ad acuenda ingenia, atque eadem ad optimas artes ac diſciplinas inflammare. Vt enim Honos, quippe Virtutis præmium, alit artes ac ſtudia, ita mutuæ concertationes, quoniam in iis in diſcrimen venit ingenium, induſtriam alunt, animóſque excitant inflammántque vehementer. Itaque præclarè ac ſapienter

ſtatue-

ſtatuerunt vt antea ſaltem quadriennio toto Gymnaſia hæc celeberrima frequentarent, ac Iuriſconſultis ſapientiſſimis operam darent: prudenter quoque priuata exercitationum curricula inſtituêre, ac ſuis veſtigijs impreſſa reliquere, vt eorum ſolertiam imitaremur: egregiè denique iuſſerunt vt antequam in Collegium Iuriſconſultorum cooptaretur aut etiam laurea ornaretur Patauina iuuentus, priuatis experimentis eius tentaretur induſtria; veruntamen publicum hoc ſpectaculum in quo ingenij, memoriæ, exercitationis, ſtudij ac vigilantiæ ſpecimen daretur omnibus, eorum prudentiam ac ſapientiam, ſed grauitatem in primis ac ſeuerum diſciplinæ ſtudium, mirificè declarauit. Etenim, vt verè fatear, Conſeſſus hic grauiſſimus ac frequentiſſimus neſcio quo pacto terret oculos, nec magis ad ſolertes animos excitandos quàm ad deſides perterrendos comparatus videri poteſt. Quis enim hanc iuuentutem nobiliſſimam ex Italia tota confluere, Iuriſconſultos toto terrarum orbe celeberrimos conuenire, animaduertat, qui non intimis ſenſibus contremiſcat, ac locum hunc, etſi alioquin ad agendum ampliſſimum, ad dicendum ornatiſsimum, non perhorreſcat? quis Illuſtriſsimos Patauinæ Vrbis Præſides, hoc eſt Diui Marci Senatores ampliſsimos, Venetæ Reipublicæ Proceres ornatiſsimos, atque omni prudentiæ laude ac ſapientiæ gloria clariſsimos, adeſſe ſentiat, quin anguſtiſsima illorum præſentia intimè commoueatur, ac vel eorum purpura ſibi oculos præſtringi timorémque vnà cum veneratione incuti non perſentiat? Ego ſanè, vt de me fatear, cum nobiliſsimorum adoleſcentum frequentia, ac doctiſsimorum Iuriſconſultorum dignitate, tum veſtra, Præſides Illuſtriſsimi ac ſapientiſsimi, præſentia & maieſtate, ſic afficior, vix vt animum colligere, ac ſuſceptam Prouinciam obire audeam, & ad certamen deſcendere.

Quamquam parendum eſt Maiorum voluntati: mihíque omnino enitendum, vt eorum optatis morem alacriter geram: & quoad eius fieri poſſit ſuſceptum onus ſuſtineam. Ac profectò cum Iuſtitia ſit humanæ ſocietatis fundamentum, Pacis columen ac præſidium, Magiſtratuum decus, & ornamentum, priuati denique publicíq. boni cum fons & procreatrix, tum conſeruatrix & cuſtos; cur non alacri animo ardua quæque aggrediar, vt, quæ in Iuriſprudentiæ ſinu conquieſcit, Iuſtitiam complectar? præſertim verò quia nec Heſperus, imò verò ne Princeps quidem luminum Sol, talem ac tantam ſuo ſplendore ac luce mortalium oculis affert voluptatē, qualem & quantam Iuſtitiæ iubar ſapientum animis iucunditatem & ſuauitatem afferre ſolet. Vt mihi quidem Poëtæ illi viſi ſint egregiè fabulari, qui Deos cantant ambroſia & veſci & immortales aſſeruari: ſed tamen qui affirmant mortales ipſos iuſtitiæ ſtudio ad immortalitatem contendere, & ad diuinam propè naturam accedere, ij ſanè veriſsimè omnino philoſophentur ac ſentiant. Faceſſat igitur timor: ac trepidatione depulſa, certamen inſtituatur. Si enim in armata militia tot prius vmbratili pugna labores ſubibat iuuentus.

Ante Vrbem pueri & primam flore iuuentus
Exercentur equis, domitántque in puluere currus:
Aut acres tendunt arcus; aut lenta lacertis
Spicula contorquent, Curſúque, ictúque laceſſunt.

Cur non in togata quoque militia alacriter certent adoleſcentes, ac maiorum ſuorū veſtigia, hoc eſt induſtriæ & gloriæ monumenta, ac virtutis & ſapientiæ incitamenta, generoſis conatibus texant? Quid? eò in armis adoleſcentum olim prouehebatur ardor, vt politiſsimus Lyricus caneret

Anguſtam, amici, pauperiem pati
Robuſtus acri militia puer
Condiſcat: & Parthos feroces
Vexet eques metuendus haſta;
Vitámque ſub dio, & trepidis agat
In rebus——

& erit qui Patauij, hoc eſt in Sapientiæ militia atque adeò in doctrinarum omnium Theatro, non vires exerat, nec vltrò laboribus occurrat, atque illuc mentem cogitationémque defigat vt fortitudinis ſpecimen præbeat aliquod? Agite igitur Athletæ robuſtiſsimi, Commilitones generoſiſsimi, quoniam Fecialis vocem atque adeò

prælij ſignum iam iam audietis, in arenam prodire, & pugnam committere ne cunctemini. Mihi enim conſtitutum eſt honeſtè potius ſuccumbere, quàm vel tantillū pedem referre, ac non viriliter ac celſo animo decertare.

IDEM DISPVTATIONE ABSOLVTA Auditoribus gratias his egit verbis.

IAm verò noſtro hoc certamine expleto, illud ſupereſſe videretur, Præſides Illuſtriſſimi, illud requireretur Patres excellentiſſimi, vóſque reliqui Auditores ornatiſſimi, vt quoniam auribus, ſpero etiam voluntate atque animis, conatibus noſtris fauiſtis, méque in primis nunc primùm in publicum hoc certamen non ſine timore prodeuntem præſentia veſtra & recreaſtis & cohoneſtaſtis, pro tali ac tanto beneficio immortales vobis gratias agerem. Quamquam ne diutius quàm par eſt abuti videat humanitate ac patientia veſtra, lubēt memori potiùs animo beneficium complecti, quàm longiore vos oratione detinere. præſertim verò quia cum maiore me beneficio affectum videam quàm vt mutuis illud officijs compenſare, ſed ne prædicatione quidem pro dignitate complecti valeam, ſatius ſit grato animo illius memoriam colere, quàm indiſerta ieiunáque oratione illud perſequi longiùs. Ita quidem me & a Commilitonibus humaniſſimis officio & humanitate facilè ſuperatum, & ab auditoribus reliquis perhumaniter acceptum, dum & fateor & gratulor; finem dicendi facio.

ORATIO XXVIII.

Qua N. N. nobilis Venetus cum Martio Capra Comite, qui philoſophicas theſes publicè tuebatur, diſputaturus, breuiter præfatus eſt.

QVi milites ſub eodem Duce in iiſdémq. caſtris verſantur, atque idem vexillum ſectantur, ij ſanè non inter ſe congredi ſolent ac dimicare, ſed hoſtes ipſos aggredi & cum hoſtibus decertare. Itaque miretur fortaſſe quiſpiam, perilluſtris Adoleſcens, quòd cum nos ſub eodem duce atque in iiſdem caſtris verſemur, idémque vexillum ſequamur, deniq; commilitones ſimus, ipſe in hanc arenam, deſcenderim, quaſi verò tecum pugnare & decertare decreuerim: præſertim verò cum tu ex robuſtiſſima & florentiſſima, ac, ne plura dicam, ex Martia legione prodieris. Ego verò, vt ingenuè fatear, ornatiſſime Comes, non huc acceſſi tecum decertaturus: nam ſat ſcio me tibi viribus imparem eſſe, experientia etiam & exercitatione inferiorē quamlongiſsimè. Quid multa? tum demum mihi tecum certare liceat cum tyroni de veterano ac fortiſsimo milite victoria ſperanda ſit. Cur igitur huc acceſsiſti, aut in hanc arenam deſcendiſti? Ego verò eò conſilio huc acceſsi vt beneuolentia tecum certarem, vt ingenii, eruditionis, doctrinæque tuæ fructus perciperem ac deguſtarem: vt tuis honoribus ac Virtuti præſentia, ſtudiis ac plauſu tandem fauerem. Quapropter tu ſic habeto præſtantiſsime Iuuenis, meos in te conatus eſſe amoris conatus: meum certamen ac pugnam, eſſe beneuolentiæ certamen ac pugnam. Ego contra ſic ſtatuam, quæ tu meis argumentis reſpondeas, inde fore profecta, quòd mihi in amore ac beneuolentia reſpondeas. Hoc igitur conſilio ad tuas theſes deuenio, ac tres ex illis breuiter oppugnandas deſumo.

ORATIO XXIX.

Abbas Caſtelbeſutius nobilis Mediolanenſis Mediolanenſe laudat Iuriſconſultorum Collegium in quod tum primùm receptus fuerat: eidemque gratias agit: ac tandem Borromæum Cardinalem qui fortè aderat, ornat quambreuiſſimè.

THemiſtoclem ferunt cum in Theatrum veniſſet aliquando, inde mirificè lætatum eſſe, quòd populus Athenienſis continuò illi aſſurrexiſſet, & in eum quiſque ora & oculos cõuertiſſet: denique cum videret ſuos ciues illius inſpiciendi cauſa ludos ferè ac Theatrum ſpernere, tam miris gaudiis inceſſit, vt ſe illo die vberrimos laborũ ſuorum fructus retuliſſe profeſſus ſit.

Mihi verò contra quàm Themiſtocli contingit hoc tempore. Ego enim inde mirificè lætor, Patres Ampliſſimi, quòd mihi in præſentia vobis omnibus aſſurgere, atque in ornatiſſimum conſeſſum veſtrum oculos oráque conuertere, liceat. Denique inde me vberrimos ſtudiorum laborúmque meorum fructus percepiſſe arbitror, quòd ex hoc loco ad celeberrimum hoc Prudentiæ Sapientiæq. Theatrum, clariſſimúmq. Virtutis domicilium, reſpicere atque aſpectu veſtro ſuauiſsimo frui mihi conceſſum ſit.

Quotus enim quiſque eſt qui neſciat frequentem hunc Patrum cõſeſſum doctoribus eximiis ac ſapientiſsimis refertum eſſe: Italiæ atque adeò terrarum orbi Iuriſprudentiæ faces præferre: denique nobilitatis, ingenii, doctrinæque laude atque ſplendore cæteris Collegiis omnibus antecellere? Teſtis eſt Mediolanenſis Senatus, in quem innumeri propemodum Collegii huius Patres cooptati ſunt atque recepti. Teſtes ſunt Vrbes atque Prouinciæ plurimæ, quibus gubernandis & moderãdis Collegium hoc ampliſsimum Iureconſultos clariſsimos paſsim ſuppeditare ſolet. Teſtis Romana Vrbs, atque in primis ſacroſanctus Epiſcoporum ordo, & Cardinalium Senatus, in quem plures patres ex vna hac ciuitate, atque in primis ex hoc Collegio nobiliſsimo, relatos interdum videas, quàm ex reliqua propemodum Ciſalpina Gallia vniuerſa. Teſtis eſt denique auguſtiſsima Petri ſedes ac dignitas, ad quam cum ſuperioribus ſeculis multi, tum verò ætate hac noſtra Pius IV. ac Gregorius XIV. ex Collegio hoc noſtro maxima cum gloria euecti ſunt.

Nec ſanè aliter decuit: cum & ampliſsimæ huius potentiſsimæq. Vrbis ſplendor, & qui eius gubernationi dies noctéſque inuigilant Principum Illuſtriſsimorum & Catholicorum in primis Regum authoritas atque Maieſtas id ſuo quaſi iure poſtulare ac ſibi vindicare videatur.

Quæ cum ita ſint, cur non ego ſummam hodierno die voluptatem capiam, atq; adeò omnibus lætitiis inceſſam? cur non me propè beatum exiſtimem, qui in ornatiſsimum tot, tantorúmque Patrum ordinem redigat, méque eorum authoritate ac dignitate cohoneſtari videam? Quamquam illud vnum inter tot lætitias meum angit animum atque perturbat, quòd cum ſingulare hoc beneficium veſtra in primis benignitate in me collatum ſentiam Patres Conſcripti, haud ſatis videam qua tandẽ ratione huic beneficio reſpondeam ac veſtris in me meritis ſatisfaciam. Sed quoniã eam quoque mihi videor animi magnitudinem in vobis cernere quæ voluntatem meam optimam non modò non ſpernat ſed grato celſóque animo excipiat, & quam oculis ac vultu in vos præ me fero obſeruantiam, hanc in relati beneficii loco referat, omnem ſanè angorem mœrorémq. depellam pectore, ac me vobis omnibus perpetuò deuinctum (quod ex animo planè ſummáque voluntate facio) obſtrictúmque profeſſus, de vobis interim conticeſcam.

Tu, verò Cardinalis Ampliſsime, cui nihil eſt antiquius, nihil optatius, quàm Ciuitatem hanc nobiliſsimam, hoc eſt tuam Patriam tuúmq. domicilium ac ſedem, ad omnes virtutes informare, & charum Deo gregem vberrimis paſcuis & lætis,

hoc eſt diuino verbo & Chriſtianis exemplis , alere & inſtituere, atque hac planè de cauſa non exiguam tuæ prouidentiæ partem ad hoc Collegium deriuare ſoles vt tua præſentia magis ac magis ad virtutem incendatur , ſic habeto. Me quidem ſatis animaduertere tuæ pietati ac virtuti omnem ingenij vim , omnem dicendi copiam, imparem eſſe : nullum orationis flumen , nullam eloquentiæ virtutem non exareſcere: tantum abeſt vt tam præclaras ac propè diuinas animi tui dotes egregiáque merita , adoleſcentis non reformidet oratio . Itaque omniuo decreui , Cardinalis optime ac ſapientiſſime, de te ſilere, atque immortale hoc beneficium quo me quoque hodierna die affeciſti, præterire. Illud tamen affirmare audebo, nunquam fore vt apud me incomparabile hoc atque immortale humanitatis tuæ monumentum vlla delere poſſit obliuio .

D I X I.

ORATIO XXX.

Habitá Taruiſij in publicis Seruitarum Comitijs a N.N. cui eam Amici rogatu dictauit Author.

QVod in ſummis tempeſtatibus éuenit aliquando, vt iactatis nautis inter denſas tenebras ac cæcos ſcopulos repentè lux affulgeat aliqua pulcherrima & ſalutaris, id equidem accidiſſe nobis hoc tempore , & ſentio, Patres Religioſiſſimi , & gaudeo . Dum enim Prouincia hæc noſtra, neſcio quo pacto, æſtu quodam ac veluti tempeſtate iactatur, ac tetra perturbationum quaſi caligine obruitur, tu , tu inquam Præſes ampliſſime, atque omnium virtutum ſplendore ornatiſſime, quaſi Helenæ ſydus nobis affuiſti, qui tenebras diſpellas omnes, tempeſtatémque compeſcas, atque hanc Taruiſinæ Prouinciæ nauiculam ad placidiſſimum ſalutis portũ traducas . Quapropter cum nihil nobis tuo aduentu optatius aut iucũdius accidere poſſet, nihil religioſæ huic familiæ vtilius ac præſtabilius, nihil, vt ſpero, cum Dei honore, cui noſtra omnis deſudare debet induſtria & cogitatio, coniunctius , eſt ſanè cur religioſus hic cœtus de tuo aduentu mirificè gratuletur, ac te Præſes optime ac ſapientiſſime , toto pectore, omnibus lætitijs , complectatur, præſertim verò quòd cum Reuerendiſſimus Pater Deódatus Generalis noſtri Ordinis Magiſter te vnum ex multis religioſiſsimis ac ſapientiſſimis Patribus delegerit, qui pro tua prudentia , charitate, iuſtitia, dexteritate afflictæ huic familiæ noſtræ proſpicias, ac propterea tantum authoritatis tibi tribuerit & poteſtatis , quantum a Summo Pontifice Chriſtiq. Vicario ſibi ipſi impertitum eſſet, omnino fore ſperamus vt breui tenebræ in lucẽ , perturbatio in tranquillitatem, mœror ac luctus in gaudium, conuertatur.

Fateor equidem afflictam hanc Prouinciam iãdiu exoptaſſe vt noſter Dux ac Gubernator Deódatus ad nos ipſe accederet : nos ipſe ſua præſentia conſolaretur : ipſe nauiculam hanc noſtram conſcenderet: manum gubernaculo admoueret: & ex puppi ſeſe extollens, pro ſua ille charitate, vigilantia, ac rerum gerendarum experientia, inprimis verò pro authoritate ſibi diuinitus tradita , nobis, quin ventis ipſis ac tempeſtati, imperaret, ac Deo duce faceret tranquillitatem . Quæ ſanè honeſtiſsima cupiditas eò magis augebatur in nobis , quòd veniret in mentem Deódatum olim in hac Prouincia, nimirum in Patauino Cœnobio, aliquam iuuentutis partem exegiſſe, ibiq. ſacratum doctrinarum lac ſuxiſſe: ibi primùm ſuæ erga nos beneuolentiæ igniculos, quos deinde tantopere auxit, concepiſſe : ibi viciſſim ingenij, pietatis, induſtriæ, vnde mirificè ab omnibus diligebatur & colebatur, ſpecimen præbuiſſe; ita vt ſuo iure Prouincia hæc noſtra repetere ab eo poſſet ac flagitare illius tutelam & ſuauiſſimos illius amplexus præſentiámque depoſcere : illi contra iurè ac meritò exoptandum foret, vt quos ſemel ſua comitate ac virtute ad ſui amorem incendiſſet, eoſdem tandẽ aliquando inuiſeret, conſolaretur, denique ſuæ probitatis & charitatis exemplo inſtitueret vt quaſi aquilæ renouarentur. Quid plura ? tale ſui ac tantum , qua fuit morum ſuauitate, temperantia, integritate, diſcedens, nobis deſiderium reliquit; ſic ille contra pro

ſua

ſua pietate quos habuit ſocios (habuit autem plurimos) dilexit & coluit, vt ſine vlla dubitatione nobis eſſet perſuaſum, nihil ei gratius contingere poſſe, quàm vt ad ſuos contubernales, quibus vnicè charus eſſet, aliquando remigraret, eorundémq. amplexus exciperet, ac veterem beneuolentiam nouis officijs ac ſtudiis excoleret, propagaret, amplificaret. Id quod ijs in primis temporibus optandum nobis fuit, in quibus Generalis noſtri Ordinis Magiſter ſemel atque iterum renunciatus, nos quidem non modò ſingulari humanitate ſua conſolari potuiſſet, atque optatiſsima præſentia recreare, verùm etiam documentis & incredibili ſapientia nos perturbationibus multis eximere, & ad virtutem diuinúmq. cultum, perfectaéq. vitæ exemplum excitare. Et ſanè cum audiremus in Romana Prouincia ita viuere, vt ob manſuetudinem, pietatem, doctrinam, integritatem, diligentiam, omnibus charus eſſet, ab omnibus vnicè diligeretur, ipſos ſummos Pontifices in ſui amorem alliceret, ægrè Prouincia hæc noſtra tandiu tanta vel luce, vel probitate, vel charitate carebat, omninóque ſe perbeatam fore iudicabat, ſi tali tantóque bono ſibi frui licuiſſet aliquando. Veruntamen, cum noſter Dux optimus & ſapientiſſimus vel propter ingraueſcentem ac longæuã ætatem, vel propter ingentem negotiorum molem ac multitudinem, vel propter Regionis longinquitatem & interualla locorum, præſens nobis corpore eſſe nequeat, ſpiritu certè præſens, ac nos ſuos filios intimis animi viſceribus amplectens, te, te inquam Pater Religioſiſsime & ornatiſsime, pro ſua ſapientia & elegerit & miſerit, qui illius authoritatem, ſpero etiam pietatem, ſapientiam, integritatem referres, & quaſi Deódatum alterum. ſed quid dico Deódatum alterum? immo verò Deódatum ipſum, ageres; nos ſanè miris lætitiis & gratulationibus re quidem excipimus, amplectimur, ac noſtrum Præſidem, moderatorem, parentémque optimum cõſalutamus, Deódatum ſimul, quoniam te quoque a Deo nobis datum ſperamus, in te agnoſcentes & venerantes. Denique quas ſuperioribus annis Deódato ex hac Prouincia diſcedenti, & ad Romanam redeunti, amoris veluti aras ereximus in pectore, ſeu beneuolentiæ ſedes ac domicilia in noſtris animis conſtituimus, (ne ſcilicet noſtram erga illum obſeruantiam & venerationem vlla vnquam deleret obliuio) eaſdem tibi aras, eadem domicilia, amoris ergo ſtatuimus & excitamus: tantum tibi honoris & obſeruantiæ Pater optime tribuentes, quantum mortali mortales tribuere licet & imperturi.

Iam verò quoniam pro ingenioli mei tenuitate illud expleui munus quod grato nobis animo declarando obſeruantiaéque teſtificandæ cõueniens atque adeò neceſſarium videri debuit, expectet fortaſſe quiſpiam vt ad illa aggrediar, quæ in hiſce Comitijs peragenda eſſent atque conſtituenda, vt noſtræ huius Prouinciæ Vniuerſitas ad pietatem ac diuinum obſequium magis ac magis incenderetur. Verùm enimuerò ingenij mei tenuitas & imbecillitas, addo etiam iuuenilis ætas, in primis verò inſcientia, minimè patitur vt de iis verba facere aut poſſim aut velim. præſertim quia video multóq. magis ex Patrum ſermone percipio ingentem rerum molem imminere, quæ religioſiſsimis Moderatoribus noſtris, tibique in primis Præſes optime ac præſtantiſſime, non ſecus atque Atlanti cœlum, tum labore, tolerãtia, vigiliis ſubeunda ac ſuſtinenda, tum prouidentia & charitate regenda, ſit.

Etenim de amplificatione diuini cultus agendum eſſet primò: quam rem, vt nihil vel grauius, vel honorificentius, vel diuinius, excogitari poteſt, ne integri quidem diei oratione aut diſputatione explicare ſatis liceat ac proſequi. cum præſertim eodẽ tempore cœleſtis & ſacroſancti myſterij dignitas ac veneratio, pſalmodiæ chorique frequẽtia, ſyncera diuini verbis explicatio ac frugifera prædicatio, ſit omnibus ſummo ſtudio commendanda: ac ſimul ea quæ aut pijs defunctorum animis debentur ſuffragia, aut ijs qui de noſtro ordine benemeriti ſunt, largitati ac pietati debentur officia, ſint diligenter agnoſcenda atque integrè caſtéque procuranda. Quæ ſanè omnia angelica potiùs lingua quàm humana, cœleſti eloquio veriùs quàm mortali, indigerent, vt pro dignitate æſtimarentur, & in noſtris pectoribus & cordibus, vt par eſt, imprimerentur.

Vt propterea inde ſaltem mihi lætandum cenſeam, & gratulandum, quòd cũ ipſe quidem tot ac tantis rebus explicandis, ac perſequendis quamlongiſſimè impar ſim, ille tamen nobis quaſi Deódatus præſto eſt, qui pro ſua prudentia ac ſapientia iiſdem

diuino

diuino aſpirante Numine conſulat proſpiciátque diligenter.

Quamquam vt verè fatear, Pater Ampliſſime & ornatiſſime neque his rerum finibus quos indicabam, continentur ea quæ mea reformidat oratio: ſed latiùs manāt adhuc, atque ita manant, vt induſtriæ ſapientiæque tuæ partem ſibi vendicent nō exiguam. Audio enim de ratione quoque agendum & conſultandum, qua religioſa diſciplina in priſtinam integritatē ac decus quoad eius fieri poſſit reſtituatur: vt qui Seruitarum Ordini ab initio candor inerat cum a maioribus noſtris inſtitueretur, rurſus eniteat ac floreat: rurſus mutuis familiæ noſtræ ſtudijs atque conatibus Deo benè iuuante reuireſcat. Denique ſic omnium erigantur animi & ad diuinam charitatem incendantur, vt antiqua Patrum noſtrorum ſanctitas atque religio veluti è poſtliminio reuocetur, fideles etiam ad veram pietatem, nec ſine Chriſtianę Reipublicæ ſplendore ac dignitate, & priſtinam innocentiam inflammentur.

Taceo autem precioſa vaſa, ſacras veſtes, ac religioſam ſuppellectilem vniuerſam quæ diuino cultui dicata ſunt, a nobis qua par eſt veneratione ac diligentia eſſe conſeruanda & inſtauranda, pro opportunitate quoque amplificanda. quod profectò nō poſtremam induſtriæ partem requirit. Sileo etiam de Cœnobiorum poſſeſſionibus ac bonis, quæ ne vllo modo dilapidentur, aut etiam in priuatum vſum conuertantur, ſed ne temerè quidem ac negligenter curentur, procurandum eſt. Cum enim huiuſmodi bona Dei famulis alendis a fidelibus relicta ſint, & vt commodiùs Diuino honori inuigilemus, ac ſacris miniſteriis ſeruiamus, quod turpiùs excogitari poſſet, quā illa ab adminiſtris & diſpenſatoribus (quod vtinam Deus auertat) vſurpari, aut in deteriorem vſum, hoc eſt vt carnis illecebras foueamus, & Dæmoni ipſi obſequamur, conuerti? Itaque huc etiam tua, Pater optime, vigilantia (ſi opus ſit) reuocanda: huc authoritas, ne dicam ſeueritas, interponenda. Præſertim verò quia ſi fortè Eccleſiæ prædia & fundi ære quoque alieno per aliquorum deſidiam aut improbitatem premantur, ac propterea Dei famuli paupertatis anguſtiis perperam opprimantur, tuum ſit, vigilantiſſime Præſul, pro tua poteſtate decernere atque cauere, ne quis tali authoritate amplius abutatur, ſed frugalitas ab omnibus, temperantia, moderatióque colatur. Eodémq. modo ſi quæ alia corrigenda erunt errata, ſi qui alij abuſu tollēdi (qui vtinam nō multi ſunt) fore ſperamus vt pro tua integritate vinum oleúmque noſtris vulneribus adhibeas, & Euangelicum Samaritanum exprimas & imiteris.

Verùm quid de bonarum artium ſtudijs dicā, déque optimis diſciplinis, maximè verò de ſacra Theologia, cum hæc omnino pleriſque in locis vel intermiſſa ſint, vel in ſqualore verſentur ac ſitu? Et tamen his ſtudiis maximè floreat oportet noſtra Familia, quæ Dei verbo prædicando, Hæreticis coarguendis ac refellendis, denique fidelibus populis tum inſtruendis, & ad pietatem Chriſtianáque inſtituta reuocandis, tum ſanctiſſimis moribus ac virtutibus imbuendis, deſtinata eſt. Qua in re equidem te appello Pater ſapientiſſime, vt qui ſatis compertum habes Reuerendiſſimum Parentem noſtrum Generalémq. Magiſtrum Deodatum his artibus ad noſtri Ordinis gubernacula perueniſſe, ac Familiæ noſtræ ob ſingularem doctrinam ac ſapientiam pari cum pietate coniunctam, noſtræ Familiæ a Chriſti Vicario præpoſitū eſſe, quique rurſus ob eandem pietatis ac ſapientiæ laudem nunc apud nos Deodati ipſius perſonam ſuſtines, diligenter prouideas, vt Philoſophiæ, Theologiæque ſtudia inſtaurentur, & cum pietate coniungantur. Equidem cum te audiam Liberales Artes atque doctrinas mirificè coluiſſe, Artium verò atque doctrinarum Reginam Theologiā toto pectore complexum eſſe, videor mihi has quodammodo intueri, quæ ſupplices ad tuū patrocinium confugiant, & enixè tuam fidem obteſtentur, vt ne illas diutiùs ab hac Prouincia exulare, aut in ſqualore iacère, patiaris.

Nam ad dignitatis gradus tam in Cœnobiorum adminiſtratione, quàm in Gymnaſijs noſtris regendis, eos tantùm eſſe promouendos, qui doctrina valeant ac probitate, quique cæteros verbo & exemplo inſtruere valeant, nemo, vt arbitror, qui rectè ſentiat dubitabit. Quapropter cum huc etiam mentem cogitationémque defixeris, ornatiſſime Præſes, ac propterea ſingulorum virtutes ac merita atque adeò prudentiam, doctrinam, pietatémq. agnoueris & æſtimaueris, ac pro cuiuſq; indole & facultate, Chriſtianáq. humilitate munera diſtribueris, id ſanè non ſine tui nominis dignitate, ac religionis noſtræ bono, Deique ipſius honore & obſequio, effeceris.

Hæc

Hęc inquam & id genus alia permulta ſunt, Patres ſapientiſsimi, quorum multitudinem ac molem, ſeu pondus & amplitudinem, mea pertimeſcit oratio, quaéque ne dicendo perſequar, ac veluti explicem, cum ætas, tum imbecillitas ingenii & inſcientia, prohibet hoc tempore.

Quamquam illud non prætermittam quod pertinet ad ſacri huius Ordinis candidatos atque Tyrones. Cum enim ipſe quoque, etſi omnium minimus, atque adeò indignus qui tam honorifico nomine, hoc eſt Beatiſsimę Virginis ſeruus appeller, inter eos numerer; quidni de noſtra educatione atque inſtitutione aliquid dicam, vt tuam Pater optime & amantiſsime benignitatem ac prouidentiam implorem? Ergo illud meo Commilitonúmq. meorum nomine a te peto, illud ſupplex oro, & obteſtor, vt quoniam humaniores literæ fundamenta ſunt doctrinarum, liberales verò diſciplinæ reliquæ ad Theologiam ac diuini verbi prædicationem aditus habẽt ampliſſimos, quin, ſi cum bonis moribus Chriſtianáq. moderatione & humilitate copulentur, omnibus religionis officiis adiumentum ſuppeditãt maximum, bonos humanioris literaturæ magiſtros & in artibus ingenuis egregiè nauitérque verſatos, nec ſine pietate verſatos, nobis perficias: illúdq. tecũ ſtatuas de quo ſine dubio tua in nos beneuolentia ac rerum gerendarum ſciẽtia te admonebit; in benè inſtitutis Tyronibus præcipuam propagandæ Religionis ſpem eſſe poſitam & collocatam. Vt enim in ſemente ſpes meſsis poſita eſt vel maximè, ita ab iuuenili educatione ac præceptione reliquæ vitæ fructus pendent ac deriuantur. Quin etiam quemadmodum ſerenus ac lætus Solis ortus ſerenum ac lætum diem afferre ſolet; fœcundum verò placidúmque Ver, placidum atque fœcundum pollicetur annum, ſic benè inſtituta adoleſcentia atque optimis imbuta præceptis, reliquas vitæ partes egregiè explet vndique perficitque pro dignitate. Immo verò, vt ſolidis ampliſque fundamentis iactis, amplam domum extollere licet ac molem; diligenti verò cultura campis arboribúſque adhibita æſtas conſequi ſolet frugibus fructibúſq. referta, quam ſtatim Autumnus excipit ſuorum ille honorum vbertate fœlix & copia; ſic optimis firmata præſidiis iuuentus, & vberioribus doctrinis veluti puriſsimis aquis irrigata, virtutum fructus affert vbertimos & copioſos. Denique quod eſt in naui gubernator, in grege paſtor, in exercitu Dux, id mea quidem ſententia eſt in noſtro hoc adoleſcentium cœtu bonus ſapienſq. Magiſter. Quapropter ſi quis ex me requirat quid primò ad noſtram inſtitutionem diſciplinámq. requiram, quídve ſecundò aut tertiò; optimos Doctores atque Magiſtros nominem primò: hos proferam ſecundò: eoſdem memorem tertiò. Atque hos per te Pater optime ac ſapientiſsime a Deódato nobis attribui ac præfici, his noſtram inſcientiam inſtitui, animum informari, mores ac vitam regi; vno ore depoſcimus ac flagitamus.

DIXI.

ORATIO XXXI.

Habuit hanc Patauij dum in Sacro Theologorum Collegio Lucilium Tabulium Taruiſinum ſacræ Theologiæ laurea decoraret.

TAlem ac tantam eruditionis doctrinaéque ſignificationem dediſti omnibus, Lucili optime, tale ac tantum ingenij memoriaéq. ſpecimen præbuiſti, vſque adeò ſapientiſſimis hiſce Patribus Theologicos labores tuos induſtriámq. probaſti, vt quã de te ſpem expectationémque concitaueras, non modò cumulatiſſimè expleueris, verùm etiã, fatentibus omnibus, longo interuallo ſuperaueris. Itaque Patres optimi ac religioſiſſimi admirabili conſenſione ac nemine planè diſſentiente ſed ne hæſitante quidem, iudicarunt te digniſſimum eſſe qui ſacræ Theologiæ laurea decoreris, & in ornatiſſimum hunc Theologorum ordinem coopteris.

Ipſe igitur vt grauiſſimæ honeſtiſſimorum Patrum voluntati quamprimum obtẽperem, omnino mihi faciendũ putaui, vt omni cunctatione abiecta, huic meo muneri ſatisfacerem, tibíq. optatam ac meritam lauream imponerem.

Agedum

Agedum igitut ſurge Lucili ornatiſſime, ac mihi adeſto. Ego enim Dei omnipotenris, Pauli Quinti Pont. Max. Marci Cornelij Præſulis Illuſtriſſimi Comitiſque Saccenſis, Mutij Carandini Proepiſcopi Reuerendiſſimi, Parauini denique Theologorū Collegij celeberrimi, authoritate ac nomine te Luciliū Tabulium ſacræ Theologiæ magiſtrum ac doctorem conſtituo atque declaro: ſimúlque Almi huius Collegij Patrum collegā conſortémq. renuntio: idque ijs prærogatiuis omnibus quibus Theologi cæteri ſiue ex iuris ſiue ex conſuetudinis præſcripto vti & gaudere ſolent.

Huius rei ſymbolum atque monumentum ſit pileus quem capiti tuo impono. Ita ſanè cum Chriſti referat crucem, omnino optarem vt vna Chriſti crux ſit gloriario tua: vna Chriſti cruce ad decus honeſtámq. gloriā incendaris. Et ſanè poſſem in præſentia maiorum tuorum antiquitatem ac familiæ dignitatem commemorare. Cum enim Brixiæ primùm, tum verò Taruiſii floruerit, ac viros & bello & toga & religione claros ediderit, quidni tuorum maiorum virtute ad virtutem etiam atque etiam exciteris? Poſſem etiam Fabritium parētem tuum optimum commemorare, qui ob incredibilem morum ſuauitatem, ac rerum gerendarum peritiam ac dexteritatem, cum Venetiis Senatoribus Illuſtriſſimis maximè verò familiæ Corneliæ vniuerſæ, tū in Romana Aula Cardinalibus multis, ſed in primis Alexandro & Marco Antonio Columnæ, fuit cariſſimus. Nec reticerem maiorem natu qui aſſidet fratrem, cum is ſit, qui adhuc iuuenis in rebus tum publicis tum priuatis ſuam ille induſtriam ac fidem ſic probauerit omnibus, vt ab omnibus mirificè diligatur & commendetur. Denique tuam ipſam anteactam vitam tibi in memoriam reuocare poſſem, præſertim verò cum optimas diſciplinas pietatémque ita ſemper colueris, vt ſtatim ac tibi per ætatē ſacra obire myſteria licuit, Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus Taruiſinus Epiſcopus honeſtam tibi Eccleſiam commendarit, atque eam Eccleſiam, ex qua mille aureos nummos quotannis (quod diuturnum ſit ac fœlix) excipias. Hæc inquā omnia atque alia huiuſmodi multa recenſere poſſem, vt te ad honeſtam gloriam magis ac magis cohortarer & incitarem. Sed mihi crede, mi Lucili, ſunt iſthæc fluxa & caduca omnia. Itaque omnino optarim, vt Chriſti crux (id quod paulò ante dicere cœperam) ſit gloriatio noſtra: vna Chriſti cruce ad Theologicos labores, ad Chriſtianas vigilias, ad honeſtam gloriam & decus, ad virtutem incendamur & inflammemur.

Iam verò ſymbolum alterum ſit ſacrum hoc Theologiæ volumen, clauſum primò, mox apertum & reſeratum, vt nimirum intelligas in hoc diuina myſteria contineri, in quibus tibi die ac nocte ſit meditandum, vt ea Chriſti populo doctè, ſanctè ac religioſè referes atque optimis vitæ exemplis confirmes.

Aureum quoque accipito annulum, æternitatis ſymbolū, ad quam nobis ſub crucis vexillo aſpirandum eſt ac properandum.

Sede mecum, vt noueris tibi in poſterum ſedendum eſſe cum religioſiſſimis Almi huius Collegii Senatoribus, ac de rebus diuinis pro Catholicæ fidei tutela decernendum. Surge rurſus, atque accipe oſculum pacis; quam pacem Princeps pacis in noſtra corda infundat altiùs ac perpetuò tueatur.

ORATIO XXXII.

N. N. Iuriſprudentia lauream ſibi a Patauino Collegio decretam petit, ſimulq. tum idem Collegium, tum Othonellum Deſcaltium, cuius manu eam ſibi imponi poſtulat, laudibus ornat.

NOn me fugit, Patres Ampliſſimi, MVSAS priſcis temporibus ternas habitas eſſe. Nec me latet GRATIAS inſuper ternario numero gaudere, Sat quoque ſcio ex iis beneficio collocando vnam, duas referendo, occupari. Veruntamen ſi mihi gratias vobis hoc tempore perſoluere cupienti, facultas par eſſet voluntati, optarem equidem vt non ternario numero ſed octonario gauderent: ac propterea beneficio referendo non duæ tantùm Gratiæ ſed ſeptem occuparentur: totidē quoque

Muſæ

Muſæ illud canerent ac celebrarent. Cum enim præclariſſimo hoc optatiſſimóque beneficio a vobis ſim affectus Viri Clariſſimi, tum demum omnibus gaudijs exultarem, tum me térque quatérque beatum prædicarem, cum me hac in re optatis meis cumulatiſſimè ſatisfeciſſe, ac térque quatérque vobis in beneficio referendo reſpondiſſe, animaduerterem. Quamquam quò me in tanto beneficio cupiditas rapit? quæ me ludit ac fallit imago? Immortale immortale inquam atque diuinum eſt hoc beneficium: nec poteſt vllis mortalium officiis compenſari. Si enim parentibus a quibus vt ſimus accepimus, parem gratiam referre nunquam poſſumus, qua tandem ratione iis gratia referri a nobis poterit atque perſolui, qui quoniam nos optimis ac ſanctiſſimis artibus inſtituunt, atque Iuſtitię ſiue imponunt coronam ſiue demonſtrant præmia, efficiunt vt benè ſimus, vt ſanctiſſimè degere, vt ad virtutem, ad immortalitatem, ad beatam denique vitam contendere valeamus? Ergo quoniam veſtra in me beneficia grato animo ac memori complecti quidem & prædicare, immortales quoque gratias & agere, quod facio, & habere ſemper potero, referre certè non potero; ad te, Deſcalze optime, venio a quo hiſce dignitatis inſignibus ornari tantopere ſemper optaui. Nam mihi quidem ſiue tui generis nobilitatem Maiorúmque tuorum ſplendorem intueor, ſiue doctrinas ſpecto quibus in hac ſiue Vrbe ſiue Academia, vel potiùs in hoc ſapientiæ theatro ac domicilio, iamdiu flores ac fulges, ſiue animi tui moderationem, prudentiam, virtutes denique omnes reſpicio, quibus nō patriæ ſolùm verùm etiam Principi noſtro Sereniſsimo, cuius etiam clariſsima ſtemmata & inſignia refers, cariſsimus fuiſti ſemper, ſiue auunculorum meorum ac meæ familiæ vniuerſæ in te amorem & obſeruantiam mecum ipſe reputo, nihil antiquius accidere potuit quàm vt tua manu, hoc eſt honeſtiſsima atque integerrima, Iuriſprudentiæ laurea donarer. Nunc igitur, quoniam ſanctiſsimus hic nobiliſsimúſq. Senatus, quæ illius eſt benignitas, hanc mihi lauream decernit, ac nemine diſcrepante ſed ne hæſitante quidem me ad præclariſsimum Iuriſprudentiæ gradum promoueri ſtatuit, agedum obſecro, Deſcalze ornatiſsime, vt per te fœlicior mihi hodierna dies eluceat, ſacroſanctos hoſce Cæſarei Pontificiiq. Iuris Codices, Pileum quoque & annulum, accipere, ac mihi ornando adhibere, ne graueris.

ORATIO XXXIII.

N. N. cum in Patauino Collegio Philoſophiæ ac Madicinæ laurea ornandus, deinde verò in Collegium cooptandus eſſet, de tot ac tantis honoribus ſibi lętatur & Patribus gratulatur: tum ab Aemilio Campolongo lauream ſibi deferri poſtulat.

MAcedonum Rex Philippus, cum tres ſibi vno eodémq. die fœliciſsimi allati eſſent nuncii, a ſuperis poſtulaſſe fertur vt aliquid ſibi moleſtum accideret, quo redundantem lætitiam temperaret. Ego verò Patres Ampliſsimi, cùm me hodierno die tribus, iiſque optatiſſimis beneficiis a vobis ornandum videam, vnde mihi ſummopere lætandum ſit atque omnibus gaudiis exultandum, aliquid mihi nō dicam optandum ſed oblatum, ſentio, quo redundans pectoris mei lætitia temperetur. Et quidem lætandum mihi eſt quòd a vobis Philoſophus cunctis ſuffragiis appellatus ac renunciatus ſim: gratulādum quòd cum Philoſophiæ laurea Medicinæ quoque decus & inſigna mihi decreta ſint: omnibus denique gaudiis exultandum quòd me continenter in florentiſsimi Collegii ordinem cooptandum reſerendúmque animaduertam. Verùm enimuerò cum tot tantorúmque beneficiorū præſtantia & magnitudine, ac munificentiæ virtutíſque ſplendore impediat quo minus pares vobis gratias non modò referre, ſed ne agere quidem valeam, ægrè id ferre cogor ac permoleſtè. Ac profectò cur non id moleſtiſsimè feram, ornatiſsimi Patres, cum interim vberrimos non dicam laborum meorum ſed humanitatis ac beneuolentiæ veſtræ fructus percipiam, & immortalibus a vobis beneficiis obſtringar, nec

Digitized by Google

tamen officiis veſtris aliqua ex parte reſpondere, atque ingrati animi vel crimen vel ſuſpicionem effugere liceat? Quamquam quid eſt quod tantopere perturber, atque hodiernæ diei lætitiam ne dicam fœlicitatem mœrore permiſceam? An non ea eſt veſtra munificentia & virtus quæ ſe ipſa contenta eſt, ac ſua luce potiùs gaudet quàm alienam laudem teſtificationémque deſideret? Sic ſanè. Ergo cum triplex hoc beneficium quo iam iam a vobis afficior, quippe eximium & ſingulare, nullis meis officiis compenſari poſſit, vobis ſanè veſtra virtus erit præmium: mihi verò, quoniam in rebus magnis atque arduis ſat eſt voluiſſe, voluntas ipſa & immortalis beneficij memoria quam nulla vnquam obliuio delere poterit, leuamen & conſolatio. Nunc illud ſupereſt Campolonge optime & ornatiſsime vt ſapientiſsimorum Patrum iudicio & voluntati ſatisfacias, mihíque optata Philoſophiæ ac Medicinę inſignia & ornamenta impertias. Nam tua manu lauream ſuſcepiſſe fœlicitatem meam explebit ſanè & cumulabit.

D I X I.

ORATIO XXXIV.

Hæc præfatus eſt N. N. *cum in Patauino Gymnaſio aduerſus* N. N. *Theſes eſſet diſputaturus.*

QVAE aduerſus tuas Aſſertiones afferam argumenta, ornatiſsime adoleſcens, ea amoris erga te mei argumenta eſſe velim, non diſſidij & contentionis: præſertim verò cum ſat ſciam te optimis artibus & inſtitutis vſque adeò imbutum eſſe, ſic Philoſophiæ præceptis pectus compleuiſſe, vt nouus miles ac tyro, qualem me eſſe & ſentio & fateor; tecum, hoc eſt cum veterano milite ac ſcientiſsimo, æquo Marte certare haud poſsit. Itaque beneuolentia potiùs atque officijs quàm ſententia & diſſenſione certabo. Denique ſic in arenam deſcendam, vt mihi in victoriæ loco ſtatuam a te vinci ac ſuperari. Cum enim ipſe, quippe ab omnibus imparatus præſidijs, & verò tui ſtudioſiſsimus, a te victor diſcedere nec poſsim nec velim, equidem a te, ideſt a ſtrenuiſsimo ac fortiſsimo milite, vinci in victoriæ loco, aut verius gloriæ, habendum iudicaui. Neque enim quiſquam prudens ſit rerum æſtimator, qui non mihi laudi adſcribat; quòd, tametſi ab victorię ſpe abeſſem longiùs, hoc tamen obire munus non dubitauerim. licebit enim mihi virtutis tuæ ſpectator ac teſtis eſſe: licebit tuum ingenium & doctrinam laudare & admirari; ac tuam induſtriam, vt par eſt, aliqua ex parte æmulari, aliquando fortaſſe exprimere, & imitari. Igitur quantum in me erit, nobiliſsime iuuenis, officii ac beneuolentiæ tecum certamen inſtituam, atque argumenta quæ amoris indicia ſint & argumenta, depromam ex pectore. Tu interim illa tum pari amore ac beneuolentia excipere & complecti, tum verò doctè, quod ingenii tui proprium erit, & eleganter explicare & enodare ne graueris.

ORATIO XXXV.

Hanc habuit Author cum Iohannem Cocchettum Naruiſinum laudaret & ſacræ Theologiæ inſignibus ornaret.

PRæclarè multa, doctiſsime & ornatiſsime laureande, de tua pietate ac virtute, maximè verò de induſtria atque doctrina, vir mihi narrauerat, quem inter Patauini Gymnaſii Doctores, atque almi huius Collegii Theologos, ob admirabilem virtutem ac ſapietiam mirificè colerem. Quapropter cum te a laudatiſsimo ornatiſsimóq. viro tantopere laudari atque ornari animaduerterem, ac tua Philoſophiæ & Theologiæ ſtudia illi vehe-

menter excelleret, equidem non poteram non te diligere, & fauſta tibi fœliciáque & precari & ſperare omnia. Nunc igitur, cum Deo in primis authore ac Duce, Virtute vero Comite, tale ac tantum ſiue ingenii & memoriæ, ſiue eruditionis ac doctrinæ addo etiam facundiæ & eloquentiæ, ſpecimen dederis ampliſsimo huic Patrū Conſeſſui, vt communi priùs acclamatione, tum ſuffragiis ac votis, te Sacræ Theologiæ laurea digniſsimum iudicarit, non poſſum non tibi magnopere gratulari, atque honorificum hoc Patrum de te iudicium & voluntatem toto pectore animóque complecti. Igitur vt nulla interpoſita mora grauiſsimo Patrum decreto obtemperem, quo tibi ornamenta & Sacræ Theologiæ lauream deferri iubent, ſurge mi Iohannes, & ſine cunctatione vlla mihi adeſto, virtutis tuæ præmium non exiguum reportaturus.

Ergo authoritate Omnipotentis Dei primùm, tum Pauli V. illius in Terris Vicarij, ſimúlque Illuſtriſsimi ac Reuerendiſsimi Marci Cornelij Epiſcopi Patauini Comitíſque Saccenſis huius Almi Collegij Cancellarij; annuente etiam Perilluſtri eius Vicario Delegato, Patribus verò iubentibus omnibus, te Iohannem Cocchettum Naruiſinum Sacræ Theologiæ Doctorem atque Magiſtrum conſtituo, declaro, pronuncio: idque prærogatiuis omnibus quibus ex iuris aut probatæ conſuetudinis præſcripto cæteri huiuſce Collegii Doctores gaudere ſolent.

Huius rei ſignum & argumentum ſit Pileus primò quem tuo capiti quaſi lauream aut coronam impono, vt nimirum intelligas tibi in poſterum etiam atque etiam pro cœleſti laurea decertandum: atque omnem curam, ſtudium, cogitationem eò deſigendam, vt Iuſtitiæ coronam quæ Dei famulis in Cœlo repoſita eſt, conſequaris.

Sed & ſacrum hoc Theologiæ volumen clauſum priùs, tū apertum ac reſeratum accipito, ac tecum ipſe ſtatuito, omnino elaborandum ac remis velíſque contendendum, vt Dei Populum Chriſtianis præceptis ac documentis cum ad Chriſtianam doctrinam & ſapientiam inſtituas, tum in primis ad veram pietatem diuinúmque cultum incendas. Neque enim alia cogitatione vt egregius atque optimus qui nobis aſsidet Franciſcus Noualenſis, conſilio ſemper, authoritate, opibus tibi præſto fuit, & ad Philoſophiam ac Theologiam ſacerdotiúmque ipſum, viam aperuit ac ſtrauit, niſi vt in ea Domini ſtrenuè laborares, ac ſibi in animarum ſalute, qua nihil ei antiquius eſt aut carius, procuranda, glorioſi laboris conſors efficereris & comes.

Iam verò aureum quoque annulum digito inſerendum excipito; & quoniam gemmanm eſt ſymbolum charitatis, illud tecum ipſe reputa. tum demum fore vt Dei populum celſo animo ac pro dignitate inſtituas, cum pectus charitate complecueris. Hac enim in diurnis nocturníſque vigiliis atque laboribus mirificè ſubleuamur: hac in ærumnis ac periculis erigimur, reficimur, recreamur.

Denique mihi aſsideas, ac ſi legitimè certaueris ac ſtrenuè laboraueris ſedem tibi in Cœlo paratam memineris & conſtitutam, in qua poſt huiuſce mortalitatis moleſtias beatus degas & fœliciter conquieſcas.

Ad extremùm complexum ac pacis oſculum accipito, ac pro comperto habeto ſore vt, vitæ huius curriculo caſtè integréque peracto, cœleſtis quoque ſponſi conſortio atque complexu fruaris, ac ſempiterna pace læteris.

Nunc illud ſupereſt vt qui interim ampliſsimo huic Patrum
Senatui præeſt, tibi omnium nómine benedicat,
ac nouum hoc decus a Deo Opti
mo Maximo
fœlix optet fortunarúmque
precetur.

ORATIO XXVI.

Ludouicus N. Patauino Iuriſconſultorum Collegio gratias agit, quòd ſibi Iuriſprudentiæ, cuius etiam difficultates attingit, lauream perbonorificè decreuiſſet: eamdemque a Iacobo Gallo, quem ſimul paucis ornat, ſibi deferri poſtulat.

ARduum ſanè opus, Patres Ampliſſimi, ſed tamen honorificentiſsimum, vita eſt ſemper laureæ, quam hodierno die mihi decreuiſtis, adeptio. Si enim Pōtificij Cæſareiq. Iuris campum intueor, equidem intelligo ampliorem eſſe ac latiorem quàm vt vllis, non dicam paſſibus adoleſcentis, ſed curſibus, peragrari poſſit vniuerſus. Quod ſi Iuris Interpretes ſpecto, video tantam eſſe illorum multitudinem ac varietatem, tam ingentem opinionum ſyluam, ſententiarū mq. ſubtilitatem, vt illis peruolutādis & conſulendis impar ſit hominis ætas ac ſtudium. Quid? ita ſæpè rei domeſticæ occupatione impeditur, voluptatum illecebris capitur, alijs ſexcentis occupationibus diſtrahitur, iuuenum ætas, vix vt in tam longo Iuriſprudentiæ curriculo aliquid otij ſuppeditetur ac temporis. Nam armorum quoque ſtrepitum (neſcio quo fato, ſed duro illo quidem & peracerbo) in hac Vrbe noſtris incommodis acceſsiſſe, ita vt inter Martis tubas ac tympana colligenda ſit Iuriſprudentia (quaſi verò oporteat Iuris candidatum Imperatoris inſtar armis æquè ac legibus communiri) compertum eſt. Itaque cum hæc mecum aliquando reputarem, ac non ſine graui ſtudiorum meorū iactura experirer, non poteram huius authoritatem loci non pertimeſcere, ac totis penè artubus mecum ipſe contremiſcere. Illud tamen non mediocriter reficiebat animum meum, quòd perſpectum haberem, Patres Excellentiſsimi, veſtram non modò æquitatem animi ſed benignitatem atque clementiam. Etſi enim non ratò grauitatem ac ſeueritatis partem aliquam cum ęquitate & clementia coniungendam, atque augūſti huius Collegij maieſtatem declarandam, putaſtis; ſępiſsimè tamen mira quadam facilitate ac benignitate pectus compleuiſtis vnde alacriùs certamen ſubiret florentiſsima Patauinæ Academiæ iuuentus, & ad optatam palmam contenderet. Hac igitur erectus ſpe & recreatus, ipſe quoque in hanc arenam deſcendere nō dubitaui. in qua ſanè, quoniam video iam iam vberrimos mihi fructus non dicam laborū meorum, ſed pietatis veſtræ, percipiendos & deguſtandos, non poſſum non ingenti lætitia & voluptate perfundi. Si enim iure lætandū eſt vel Nautæ qui poſt difficilē nauigationem portum ſubierit tutus, vel agricolæ qui multis exhantlatis laboribus optatas fruges percipiat, vel militi qui re benè geſta periculorū certamen abſoluerit, cur nō mihi lætandum ſit, qui poſt lōgos atque aleæ pleniſsimos labores, & portū, & copioſas fruges, & certaminis præmiū veſtra mihi benignitate paratum intueor? Itaq; pro tantó beneficio cū immortales vobis gratias ago Patres Conſcripti; tum illud polliceor, me quoniam ad gratiā beneficiúmq. referendum ſatisfacere nunquam potero, grato ſemper animo illud prædicaturū. Tu verò perilluſtris & Excellentiſsime Galle ſplendor legum ac decus eximiū, iam me, quod fœlix fauſtúmq. ſit, optata laurea decorare ne graueris. Neque enim non magnus honori ac voluptati meæ inde accedat cumulus quòd tua manu Iuris vtriuſque laurea atque inſignibus orner. cū enim ille ſis qui ſuperiore ſeculo meridianā plagam Iuriſprudentiæ doctrina ac luce compleueris, & ad Antarticum vſq; polum longè latéq. tuum nomē dilataueris, poſteriore verò hoc ſeculo ſapientiæ ſplendore Septentrionem illuſtres, atq; Articum polum nominis celebritate ac ſapientiæ laude expleas, quidni gratuler ipſe atque adeò in fœlicitatis loco ponam, tua, tua inquam, dextera optatā mihi lauream imponi? Quem igitur, ornatiſſime & Excellentiſsime Galle, iam multos annos eloquentia excitaſti, doctrina inſtituiſti, humanitate quoque & comitate tibi in perpetuum deuinxiſti, hunc, quod ſupereſt, Doctoris inſignibus exornato.

DIXI.

Digitized by Google

ORATIO XXXVII.

N. N. nobilis Venetus ſibi gratulatur, quòd a Patauino Collegio, quem interim celebrat, lauream eſſet accepturus: eandemq. à Iacobo Gallo, quem item ornat, ſibi deferri petit.

POſtularet ſanè ratio, Patres Ampliſſimi, vt quoniam maiorem ætatis meæ partem in hac Vrbe traduxi, atque in ea tum humanioris litteraturæ curriculum peregi, tum Philoſophiæ, atque ad extremùm Iuriſprudentiæ, operam dedi, in eâdem aliquos laborum meorũ fructus colligerem quibus etiam reficerer tãdem & oblectarer. Si enim Agricolis fruges, peregrinis patria, athletis corona, nautis portus, iucundiſſimus eſſe ſolet; cur non mihi poſt diurnas nocturnáſq. vigilias, iucundiſſimũ ſit Iuriſprudentiæ laurea decorari? Quamquam illud mirificè auget animi mei uoluptatem, quòd ſentiam me ab ijs Patribus Cæſarei Pontificiíque Iuris laurea eſſe ornandum, qui Italia atque adeò Europa tota celebrentur ac fulgeant: quíque Patauinum Gymnaſium, hoc eſt Terrarum orbis Theatrum, ſapiẽtiæ Arcem, optimarúmque Artium Domicilium, ſuis veluti humeris, non ſecus atque Atlas Cœlum, ſuſtineant ac fulciant. Quapropter quas vobis pro immortali hoc beneficio gratias debeo, ornatiſſimi ac ſapientiſſimi Patres, & in oculis ſemper feram, & dum viuã memori animo colam ac prædicabo. Quod ſi etiam a Deo optimo maximo ea mihi ſiue occaſio oblata ſiue facultas conceſſa fuerit aliquando, vt ſi non parem vobis gratiam referre, ac certè grati animi ſignificationem aliquam, præbere valeam, efficiam equidem vt me celeberrimi huius Senatus virtuti benignitatíque obſtrictum, eiuſdem quoque amplitudinis cupidiſsimùm, eſſe intelligatis.

Interim tu Excellentiſsime Galle, eximium Iuriſconſultorum decus ac ſplẽdidiſſimum ſæculi huius lumen & ornamentum, optata ſiue laborum meorum ſiue humanitatis veſtræ décora mihi impertiri ne graueris. Si enim grauiſſimo Patauini Collegij iudicio Iuriſconſulti dignitate ornari mihi quidem dulce eſt ac periucundum, ſanè huiuſce dignitatis inſignibus tua manu, Galle optime, decorari, dulciſſimum erit & iucundiſſimum.

DIXI.

ORATIO XXXVIII.

N. N. Abbas ac nobilis Venetus gratias agit Patauino Collegio ob decretam ſibi Iuriſprudentiæ lauream: quam non ſine grati animi ſignificatione a Gallo quem etiam laudat, poſtulat ſibi conferri.

EQuidem ſat ſcio Procepiſcope optime, vóſque Patres Excellentiſſimi, veteres Poëtas, hoc eſt humanæ ſapientiæ parentes, eo conſilio ceciniſſe, GRATIAS ternario numero gaudere, ac beneficio collocando Vnã, referendo binas, præeſſe; vt intelligeremus acceptum beneficium cumulatius eſſe reddẽdum. Ac meritò. Decet enim eum qui beneficium acceperit, agros fertiles imitari, qui quod acceperint, largiore menſura ac tanquam fœnore ingenti, reddere ſolent. Denique gratiarum horti ea de cauſa interitum neſcire immortaléſque dicuntur, quòd beneficij memoria immortalis eſſe debeat, atque in noſtris animis ſemper floreſcere.

Hæc ego mecum ipſe dum interim reputo, ac me Iuris vtriuſque laurea, tanta veſtrûm omnium conſenſione ac voluntate paríque benignitate, ornandum eſſe video, Patres Ampliſsimi, ſubindéque (vt ſpero) in celeberrimũ hoc florentiſsimúmque Collegium a vobis cooptandum, non poſſum non a Deo optimo maximo fa-

cultatem & quaſi campum optare, vnde meam vobis voluntatem optimam gratũq. animum teſtificari poſſim ac declarare. Quem ſanè campum, ſi quando mihi oblatum ſenſero, equidem tantum lætabor, quantum & me vobis hodierna die obſtrictũ eſſe perſpicio, & eximij huius Collegii virtus & amplitudo ſuo iure depoſcit. Interim Galle optime, & Excellentiſſime te appello; vt quoniã clariſsimus hic integerrimúſque Senatus, quæ illius eſt in me voluntas ac beneficentia, Cæſarei Pontificiĳq. Iuris lauream mihi decernit, præclariſsimis hiſce inſignibus & ornamentis me cohoneſtare ne graueris. Si enim iucundum eſt à laudato viro laudari, mihi ſanè a Clariſsimo Iuriſconſulto ac Doctore toto terrarum orbe celeberrimo, quique nominis fama Italiæ atque adeò Chriſtianæ Reipublicæ Gymnaſia compleuit, Iuriſprudentiæ inſignia referre, gratè accidet ac periucundè.

DIXI.

ORATIO XXXIX.

In qua Vbertinus Papafaua Abbas nobiliſſimus varijs laudibus prius, mox Theologiæ laurea, exornatur.

QVam olim in Lucullo mentis celeritatem atque ingenii præſtantiam & magnitudinem demiratus eſt Romanæ eloquentiæ Parens M. Tullius, hanc ego hodierna die in candidato noſtro ſuſpicere cogor, Patres Ampliſsimi, ac ſine ſatietate mirari. Tantam enim & memoriæ vim & mentis celeritatẽ & doctrinæ varietatem, atque (vt multa paucis complectar) ingenii fœlicitatẽ in difficillimis atque arduis Theologiæ myſteriis declarandis, ac variis ſubtiliſsimis quæ illi propoſitæ atque obiectæ ſunt, dubitationibus explicandis, oſtendit, vt mihi quidem non ſolùm quam de ſe excitauerat expectationem, etſi maximam, ſuperaſſe, verùm etiam admirabile illud Luculli ingenium æquaſſe videatur.

Quapropter vtinam qui nunc in hoc ſapientiſſimorum Patrum Theatro Luculli memoriam renouauit, idem laudum ſuarum præconem M. Tullium inueniret. Neque enim minùs feracem quin fortaſſe vberiorem in Vbertino inueniret laudum campũ in quo illius exultaret oratio. Si enim Lucullus clariſſimus habitus eſt quod ex præcipua Vrbis nobilitate ortus eſſet & procreatus. Vbertinus quoque noſter ex nobiliſsimis parentibus ortus eſt atque Europa tota clariſsimis. Etenim matrem habet Conſtantiam lectiſsimam fœminam, cuius Pater non ita pridem in Cypro Inſula omnium ferè celeberrima & pulcherrima, non poſtremam dominatus partem ſibi à maioribus traditam hæreditario iure obtinuit. De Patre verò nihil attinet dicere, quem ſanè tum illuſtriſsimo ſanguine prognatum, ac diuitiis vitaéque dignitate ſplendidiſsimum, omnes norunt, tum verò gerendarum rerum experiẽtia, ſumma etiam eloquentia, præditum eſſe, gratia quoque & authoritate apud Sũmos Principes valere, compertum eſt. Quod ſi Lucullus adoleſcens adhuc, ſuam induſtriam ſic probauit Populo Romano, vt prius in Republica variis honoribus ornatus ſit, quàm illos per ætatem liceret attingere; Vbertinus quoque noſter Cæſarei Pontificiique Iuris lauream immatura adhuc ætate ac ſumma Patrum omnium approbatione ac prædicatione, eſt conſecutus. Itaque non multò poſt à Summo Pontifice Abbas etiam, ac demum Patauinus Canonicus, idque nobili ſanè prærogatiua & authoritate, renunciatus eſt. Cum enim clariſſimus Theologus & Collega noſter Camillus Borromæus qui non ita pridem decedens incredibile ſui deſiderĩ Vrbi huic vniuerſæ reliquit, extremũ ſibi diem imminere propemodum animaduerteret, haberetq. multos ex familia & affinibus quos ſibi poſſet in munere grauiſſimo non ſine dignitate, ſpero etiam Cleri quem altiùs inſtituebat, vtilitate, ſufficere vnum Vbertinum, hoc eſt quem ingenio, doctrina, pietate florere, ſibíque ſimillimum fore, proſpiciebat, deligendum putauit cui tale tantúmque onus deferret, ac quaſi Atlas nouum ſibi Herculem ſubſtitueret. Denique ſi Lucullus cum ab Vrbe miles diſceſſiſſet ac tyro, optimus in Aſiam peruenit Imperator, Vbertinus Philoſophiæ ac

Iuriſ-

Iuris prudentiæ curriculo abſoluto, Theologiæ quoque ſtadium tanta celeritate ac fœlicitate confecit, vt a vobis, Patres Ampliſsimi, miro conſenſu ac plauſu egregius Theologus habitus ac renunciatus ſit. Hæc inquam & id genus alia haberet multa quæ in Candidato noſtro admiraretur ac celebraret qui Luculli extulit ac celebrauit ingenium. Sed quoniam ſors tulit vt mihi obtigerit hoc munus qui ab omnibus dicendi præſidiis imparatiſsimus huc acceſsi, laudatione quoniam impares ſunt meæ vires, prætermiſſa, ad lauream ipſam deueniam.

Mihi igitur adeſto Vbertine doctiſsime ac nobiliſsime. Ego enim præpotentis Dei ac ſanctiſsimi eius in Terris Vicarii Pauli Quinti, ſimúlque Illuſtriſsimi Antiſtitis noſtri Comitiſq. Saccenſis Marci Cornelii, Reuerendiſsimi item Proepiſcopi, Almi denique huius Collegii, authoritate ac nomine, te Magiſtrum, ac Doctorem inſtituo & pronuncio in ſacra Theologia, idque honoribus omnibus & prærogatiuis quibus de iure ſeu probata conſuetudine cæteri ſacræ Theologiæ Doctores gaudere ſolent. Atque iiſdem ſanè te Collegam noſtrum declaro, & in hunc honeſtiſsimum ac Religioſiſsimum Patrum numerum ordinémque aſcribo. Quapropter ſacrũ hunc Theologiæ Codicem clauſum prius mox apertum accipito. Vt nimirum intelligas ſacroſancta diuinæ legis myſteria quæ hoc volumine continentur, profanis claudenda vel certè non temerè aperienda; piis contra & Chriſtianæ Religionis ſtudioſis piè ac ſanctè reſeranda. Sed & aureum annulum in digitum inſulto (vt quoties illum inſpexeris, nobili hoc ſymbolo ad Chriſtianum ſplendorem, ad auream charitatem, & ad ſpem æternitatis magis ac magis exciteris. Pileum quoque in Crucis ſpeciem effictũ capite tanquam coronam excipito, vt memineris tibi interim Chriſti Crucem amplectendam atque inde immortalem coronam referendam. Mecum inſuper ſedeto, vt ſcias tibi ſedem in Cœlo eſſe conſtitutam, ſi quam hodie dignitatem es aſſecutus, vitæ innocentia & ſanctitate etiam atque etiam illuſtres ac tuearis. Denique ſurge, atque oſculum pacis accipito, ac tecum ipſe ſtatuito, Dei gregem ſic doctrina & exemplis tibi inſtituendum, vt quæ omnem ſenſum exuberat, pace perfruatur. Quod ſupereſt, Deus bonorum omnium largitor tibi benedicat, vt ſtrenuiſsimus Eccleſiæ miles ac præco efficiaris, próque illa ad extremum vſque ſpiritum deſudare, ſanguinem etiam, ſi opus erit, profundere, non verearis.

ORATIO XL.

N. N. Iuriſprudentiæ lauream petit: eum ſimul ornans a quo ſibi eſſet tribuenda.

QVod precatus eram a Deo immortali vt laboribus hiſce meis ac ſtudiis pro admirabili ſua clementia ac ſingulari bonitate faueret, méque ad exoptatam Iuriſprudentiæ metam, hoc eſt ad lauream, fœliciter perduceret, vnde nõ modò honorificis Doctoris inſignibus & ornamentis fruerer, verùm etiam ampliſsimam Collegii huius ſacroſancti authoritatẽ ac dignitatem aſſequerer: id ſanè mihi è voluntate hodierno die contigiſſe & video, Patres ampliſsimi cæteriq. Auditores nobiliſsimi, & mirificè gratulor. Itaque tibi primùm Proantiſtes Reuerendiſsime, qui fauſtum optatúmque decretæ mihi laureæ nuncium pronunciare, méque tua oratione, hoc eſt præclariſsima atque ingenii & eloquentiæ pleniſsima cohoneſtare, non dubitaſti, immortales gratias ago. Vos autem Perilluſtres & Excellentiſsimi Patres, qui me tali ac tanta conſenſione ac ſuffragiis omnibus Iuris Pontificii ac Cæſarei Doctorem creandũ iudicaſtis, atque vt inter Almi huius Collegii proceres ſubinde numerarer in ſpem tutiſsimam adduxiſtis, illud pro comperto habeatis. Me quoties de lætiſsimo hoc euentu ac fœliciſsimo die cogitabo, toties de egregiis veſtris ac multis erga me officiis ac ſtudiis, toties de incredibili beneficentia veſtra, toties de ſingulari humanitate, virtute, probitate cogitaturum: ſæpè etiam celeberrimi huius ſapientiſsimíque Collegii dignitatem, amplitudinem, integritatem pro virili parte mea celebraturũ omninóq. effecturum vt ſi minus facultas tali tantóque beneficio reponendo idonea ſit, ac par

voluntas certè nunquam defuiſſe videatur. Sed iam te appello optime & humaniſſime Albertine, cuius ego & hortationibus & documētis in arduo ac perdifficili hoc curriculo excitatus ac recreatus, tale tantúmque præmium ac decus mihi paratum intueor, te inquã appello, vt Iuriſprudentiæ laurea & inſignibus me exornare & cohoneſtare ne graueris. Par enim eſt, vt qui me hactenus doctrina, exercitationibus, &, vt ſemel dicam, incredibili humanitate atque virtute excitaſti, téque mihi Ducē ac Doctorem optimum oſtendiſti, tu, tu inquam, egregium hoc opus quod mihi fœlix precor ac fauſtum, laurea perficias. Neque enim in exigui beneficij loco numerauerim, eius manu Iuriſprudentiæ inſignibus decorari, qui nobilitate ac doctrina floreat, quem ſingularis humanitas ac probitas noſtris Ciuibus mirificè commendet; cui denique ipſe tot ac tantis quæ in me contuliſti, officijs deuinctus ſim ac ſtudiis, quot nulla vnquam minuet ætas, nulla delebit obliuio.

ORATIO XLI.

Habita Patauij a N.N. cum Theſes Iuriſprudentiæ tuendas proponeret.

FVit in more poſitum apud Romanos vt adoleſcētes vmbratili ſeſe exercerent pugna, qua militiæ ſtudia officiáq. perdiſcerent. Itaque.

Ante Vrbem pueri & primæuo flore iuuentus.
Exercentur equis, domitántque in puluere currus:
Aut acreis tendunt arcus aut lenta lacertis
Spicula contorquent, curſúque, ictúque laceſcun:.

Cecinit Virgilius cum bellicas: Romanorum exercitationes in Latinis adoleſcentibus adumbraret. Quam ſanè rem, quod pertinet ad equeſtre certamen, vberiùs adhuc & magnificentius in Troianis expreſſit. Cum enim Aſcanium ac Principem iuuentutem per turmas inſtruxiſſet, & in acie collocaſſet, ecce tibi ſigno dato ſic certamen inſtituit.

Olli diſcurrêre pares, atque agmina terni
Diductis ſoluere choris: rurſúſque vocati
Conuertêre vias, infeſtáque tela tulere.
Inde alios ineunt curſus, alióſque recurſus
Aduerſus ſpatys, alternóſque orbibus orbes
Impediunt pugnæq. cient ſimulacra ſub armis.
Et nunc terga fugæ nudant, nunc ſpicula vertunt,
Infenſi. facta pariter nunc pace feruntur.

ſic noſter Vates vt bellicas Romanæ iuuentutis exercitationes nobis poneret ante oculos.

His ego, ſi cum vetuſtis rebus recentes, cum Romanis exercitationibus Patauinas, cum armata militia togatam, conferre liceat, ſimilem iudicauerim, commilitones ſtrenuiſſimi, palæſtram hanc noſtram. Ibi enim alter impreſſionem faciebat in hoſtem: alter impetum ſuſtinebat, ac mutuo certamine dimicabat: demum vterque & oppugnandi & propugnandi vices ſubibat: itaut modò pedem conferre, modò referre, interdum fugam aut capere aut ſimulare, ſæpè in Aduerſatium frontem & arma conuertere cerneretur. Apud nos verò vnus argumenta veluti tela exerit & inuēdit in hoſtem: alter contra telorum vim ſuſtinere ac retundere, ſæpè etiam in andagoniſtam conuertere, nititur: itaut vtrinque impetus fiat ac decertetur: vterque per vices & oppugnandi & propugnandi obeat munus: ac modò propè ſuccumbere, modò collectis viribus pugnam inſtaurare, hoſtis impetum frangere, & ipſiſſimas belli fortunas exprimere videatur. Quid plura? labores certaménque ſubibant illi vt cū ab vmbratili pugna ad bellum foret deſcendendum, cum Reipublicæ præſto eſſent ac ſuas amicorúmq. fortunas ſtrennè tuerentur, tum Romanum Imperium vnà cum gloria dilatarent. Nos huius ſtudij labores exantlamus, vt cum opus fuerit, tum in foro & iudiciis, tum in Senatu & Curia, vno verbo publicè priuatímque & nobis ipſis amicíſque opitulemur & Reipublicæ, ac Principi pro virili parte noſtra præſidio ſimus

mus

mus vt quamdiutiſſimè floreat. Vt mihi quidem vel hac vna de cauſa tum ſapientiſſimus viſus ſit ſemper noſter & legislator & Imperator Iuſtinianus, qui togatā militiam ſibi inſtruendam, ac Iureconſultos legibus non tam ornandos quàm armādos exiſtimauit: tum palæſtra hæc noſtra Romanorum palæſtræ (id quod ab initio dicere cœperam) quam ſimillima videri ſoleat.

Quæ cum ita ſint, haud equidem verebor rurſus, quaſi miles, in hanc arenam deſcendere. ita tamen vt non tam de victoria mihi cogitandum putem, quàm noſtrę huius militiæ tyrocinia mihi diligentiùs ponenda, & cum veteranis vnius inſtitutionis gratia congrediendum ſtatuam. Id quod eò etiam alacriùs faciam quòd quemadmodum Troiani adoleſcentes magiſtris in certamine vterentur. (ideo enim canebar Poëta

Agmine partito fulgent paribúſque magiſtris)

Sic ego Doctoris optimi ac ſapientiſſimi præſidio fretus, in aciem dimicationémque deſcendam ac pugnam inſtituam.

ORATIO XLII.

Habita Patauij ab Octauiano N. dum Pontificis Cæſareiq. Iuris inſignia ſibi a Collegio decreta poſtularet.

CVm in Theatrum veniſſet aliquando ſtrenuiſſimus ille Athenienſium Imperator ac Perſarum debellator Themiſtocles, inde fertur mirificè exultaſſe ac propemodum triumphaſſe, quòd ſibi ſtatim Athenienſis populus aſſurrexiſſet, & ludis, quorum cauſa cōuenerat, vëluti ſpretis, in eum quiſque ora atque oculos conuertiſſet. Itaque non potuit non exclamare Dux hic fortiſſimus, ſe eo die ſuorum laborum ac rerum geſtarum ampliſſima præmia retuliſſe.

Ego verò, cum in celeberrimum hoc theatrum deuenerim, Patres Conſcripti, inde mirificè lætor atque omnibus gaudijs exulto, quòd mihi vobis omnibus honoris cauſa aſſurgere, & in conſeſſum veſtrū ornatiſſimum oculos oráq. conuertere, aſpectu quoque veſtro præclariſsimo frui ac recreari conceſſum ſit. Quotus enim quiſq; eſt qui ignoret frequentiſſimū hunc Patrum cōſeſſum Doctoribus egregiis ac ſapientiſſimis refertum eſſe: Italiæ atq; adeò Chriſtianæ Europæ ſplendidiſſimas Iuriſprudentiæ faces præferrē: denique ingenij, doctrinæ ac ſapientiæ laude toto terrarū orbe celebrari? Quāquam vt ingenuè fatear, tum demū gaudio propemodū triumpharē, méq. perbeatū arbitrarer, cū præclariſſimo interim optatiſſimóq. beneficio a vobis affectus, par mihi in eo referendo voluntati adeſſet facultas, fore enim ſperarē vt non modò gratum vobis animū cumulatiſſimè declararem, verùm etiā officium officiò meritū merito, beneficium beneficio cōpenſarem. Sed quoniā immortale ac propè diuinum eſt hoc beneficiū, nec poteſt vllis mortaliū officiis ſeu præmiis compenſari, nullum mihi locū relictū video, vnde aut promeritis veſtris aut optatis meis reſpondeam. Ergo, quoniam veſtrā in me voluntatem optimam immortaléq. beneficium grato animo ac memori cōplecti quidem ac prædicare, immortales quoque gratias & agere, quòd facio, & habere, ſemper potero, referre certè nullo modo potero, ad te Otelli optime venio a quo ſūmopere optaui ſemper hiſce dignitatis inſignibus decorari. Nam mihi quidē in te Forouilienſis Prouinciæ & Carnorū decus eximium, Patauinæ Academiæ ſingulare columen, & Iuris prudentiæ ipſius præſidiū & ornamētum; attentiùs intuenti, ac tui nominis celebritatē æſtimanti, nihil antiquiùs accidere poteſt, quàm tua manu, hoc eſt honeſtiſſima & præclariſſima, Pontificij Cæſareíque Iuris laurea cohoneſtari. Iam igitur, quoniam & ampliſſimus hic Senatus, quæ illius eſt benignitas, hanc mihi lauream decreuit, & Reuerendiſſimus Proantiſtes ipſius Senatus voluntatem qua ſolet eloquentiæ ingeniíque & humanitatis ſignificatione, declarauit confirmauitque, age dum obſecro munus hoc totum explere méque inſignibus de more ornare ne graueris.

Digitized by Google

ORATIO XLIII.

N. N. *Abbas quippe nobilis Venetus ac iam Iuriſprudentiæ laurea donatus, in Patauinum Iuriſconſultorum Collegium de more cooptari poſtulat, & quambreuiſſimè.*

EST. in more poſitum, Patres Ampliſsimi, ac laudabili conſuetudine receptum, vt a vobis ad præclariſsimum hunc Iuriſconſultorum Senatum Venetæ nobilitati aditus non modò non claudatur, verùm etiam ſumma conſenſione, quæ veſtra eſt benignitas, parique alacritate referetur: dum tamen qui in eam cooptari volunt, Pontificii Cæſareique Iuris inſignibus ac laurea priùs ſint decorati. Cum igitur ſuperioribus diebus humanitas erga me veſtra talis & tanta fuerit, vt totius Collegii decreto Iuris vtriuſque lauream retulerim; illud profectò ſupereſt, Patres optimi & ornatiſsimi, vt me eàdem voluntate ac benignitate in veſtrum ordinem recipere atque honeſtiſsimo huic totóq. terrarum orbe celeberrimo Collegio adiungere ne grauemini. Id quod & a vobis cupidiſsimè peto ac poſtulo, & in ſummi beneficii loco accipiam. Denique quemadmodum optatam Iuriſprudentiæ lauream, ita optatiſsimum Collegii ſubſellium, veſtris in me ſtudiis ac beneuolentiæ acceptum referam, grato quoque animo ac memori colam ſemper ac prædicabo.

ORATIO XLIV.

N. N: *decretam ſibi Iuriſprudentię lauream petit quambreuiſſimè.*

IMprudens ſim ego, Patres Ampliſsimi, ſi longiore oratione aures veſtras obtundere audeam: ac viris occupatiſsimis, quóſq. hinc quamprimum diſcedere & grauiſsimis fori, Curiaéq. negociis præſto eſſe, oportet, rurſus verba dare aggrediar: præſertim verò hoc anni tempore: in quo iam Leo furit ac Syrius ardor. Ergo agedum Octaui optime & ornatiſsime decretam mihi a Patribus lauream imponere, ac totam hanc veluti ſcenam tua voce, hoc eſt erudita atque diſerta, concludere ac perorare, ne cunctéris. Ego enim quas tum clariſsimo huic Collegio & celeberrimo, tum maximè ſingulari tuæ humanitati ac virtuti gratias referre haud valeo, ſaltē maximas habebo ſemper, ac dū viuā pro virili parte mea prædicabo & celebrabo.

ORATIO XLV.

Habita Patauij ad D. Antonij, dum is eſſet argumentatione oppugnandus, qui eam theſim, quicquid Scotus ſcripſit, rectè ſcripſit, triduò diſputandam ac tuendam propoſuiſſet.

EGo verò, ornatiſsime atque excellentiſsime vir, omnino exiſtimabam ſolum Deum nec mentiri, nec labi poſſe: hominem contra & mentiri & errare ac labi: denique eum tantummodo inter mortales decipi nunquam, ac quicquid dicit, rectiſsimè ſemper dicere, in quo diuinus ſpiritus perpetuò loquitur ac Deus ipſe. Vt mihi quidem incredibile videatur atque adeò abſurdum dictu Scotum quicquid ſiue ſcripſit ſiue dixit, id verè in omnibus ac rectè dixiſſe, ac ſcriptum reliquiſſe. Qua in re, ſi per tempus liceret ad Scotum ipſum prouocarem, qui non ſemel ingenuè indicat ſe, vt veritas plerumque in abdito poſita eſt atque humani ſuperat ingenii vires, hærere in multis, nec ſatis alterutram

par-

partem compertam habere. Sed quoniam iis illum ornare laudibus voluiſti, quas ne ipſe quidem, aut dum viueret affectauit, aut in præſens dũ inter beatas mentes, (quod piè crediderim) verſatur ac degit, niſi ægrè non audiret, quin vt diuina, pio & conſtanti animo reſpueret; ad legitimam diſputationem deſcendamus, atque vtrum nihil nõ rectè ac verè protulerit, diſceptemus. Mitto autem illum qui paſſim S. Thomæ oppugnauit doctrinam poſſe iuſtiſſimè in falſitatis ſuſpicionem vocari, cum Chriſti Vicarius luculenta teſtificatione fideles admonuerit, eum fuiſſe B. Thomam, qui quot quæſtiones explicaſſet, tot miracula perpetraſſet: ſimúlq. nos commonefecerit eũ, qui doctrinam oppugnauerit S. Thomæ, importunum habendum. quippe vix ac ne vix quidem falſitatis crimine vacare poſſit: mitto etiam eum qui tam ardenter ac penè omnia S. Thomæ decreta ac dicta veluti euertere conaretur, potuiſſe quidem in multis fortaſſe acutè diſputare ac verè; ſed vt in tam ingenti rerum ſylua nunquam non ipſo a veritate deflexerit, difficilius eſſe quàm vt credi poſſit. Sed vnum atque alterum Scoti dictum iam aſſumamus, & quam veris illum laudibus cumulaueris, videamus. Idque a Philoſophia primum incipientes. Diſputat Ariſtoteles in poſtremo libro de naturali auditione Deum ſeu primum motorem non eſſe magnitudinẽ aut virtutem in corpore: idque ea ratione, quia ſi eſſet virtus in corpore ſeu virtus corporea, vel eſſet virtus corporea finita vel infinita: non finita, quia non poſſet mouere æterno tempore: non infinita, quia moueret momento temporis, quod cum motu pugnat, ac proinde concludit non eſſe virtutem in corpore, ſeu magnitudinẽ. Quam rationem, ne quicquam de ipſius ſententia liceret dubitare, repetit in xij. diuinæ Philoſophiæ libro, ac verbis perſpicuis repetit. Scotus igitur cum in hanc Ariſtotelis ratiocinationem incidiſſet, exiſtimauit ac pugnauit his docuiſſe Ariſtotelem, Deum eſſe virtutis infinitæ. Quæſo te igitur, doceas quo pacto ex Ariſtotelis propoſita ratione id ſequatur quod profitetur Scotus. Nam Ariſtoteles probauit quidem Deum non eſſe magnitudinem, ſiue nõ eſſe virtutem fuſam & immerſam in magnitudine, quia vel eſſet finita vel infinita, ac proinde, vel non poſſet mouere æterno tempore, vel moueret momento temporis, quod fieri nequit. At rè ipſa eſſe infinitæ virtutis, ne verbum quidem. hoc primum.

Alterum, vt ad rem Theologicam veniamus; illud ſit in præſens. docet Scotus, ſi tamen docet, ſacramenta nullo modo eſſe inſtrumenta gratiæ ita vt eam attingant ſiue gignant ſeu ex ſe verè cauſent vt cum ſcholaſticis loquar: clamat Tridentinum ſacramenta cauſare, & illius veram cauſam inſtrumentalem eſſe. Quis igitur affirmare audeat in his Scotum verè ac rectè dixiſſe? Hæc ego ſaltem exercitationis cauſa obieciſſe velim. Tu pro tua humanitate reſpondeas, & vt Scotum in ijs purges, ingenium tuum excute diligenter.

ORATIO XLVI.

N. N. Cretenſis, Proepiſcopo & Iuriſconſultorum Collegio gratijs actis, a Salgherio, quem ſimul laudat, laureæ inſignia requirit.

QVod ſupplex ab Authore bonorum & largitore optimo ſæpiſſimè poſtulaueram, ac multis precibus flagitaueram, vt ſtudijs, ac laboribus meis obſecundaret, méque ad optatam hanc palmam perduceret, id mihi è ſententia hodierno die cecidiſſe & ſentio, Cõteſſus ornatiſſime, & gratulor. Itaque diuinum numen & ſempiternum, vt par eſt, pro immortali beneficio ſupplex animo ac venerabundus adoro primum. Tum verò tibi Proantiſtes Reuerendiſſime qui fauſtum fœlicémque decretæ mihi laureæ nuncium pronunciare, méque tua voce, hoc eſt præclariſſima atq; ingenii & eloquẽtiæ pleniſſima, cohoneſtare non dubitaſti, immortales gratias ago. Vos autem Patres Ampliſſimi, qui me cunctis ſuffragiis ac mira conſenſione Pontificij Cæſareiq. Iuris Doctorem creandum ac promulgandum cenſuiſtis, ſic habetote. Me, quoties de lętiſſimo hoc die ac fœliciſſimo cogitabo, toties de veſtris in me officiis ac ſtudiis, toties de ſingulari humanitate veſtra & beneficentia, toties de incredi-

bili

diuino aſpirante Numine conſulat proſpiciátque diligenter.

Quamquam vt verè fatear, Pater Ampliſſime & ornatiſſime neque his rerum finibus quos indicabam, continentur ea quæ mea reformidat oratio: ſed latiùs manāt adhuc, atque ita manant, vt induſtriæ ſapientiæque tuæ partem ſibi vendicent nō exiguam. Audio enim de ratione quoque agendum & conſultandum, qua religioſa diſciplina in priſtinam integritatē ac decus quoad eius fieri poſſit reſtituatur: vt qui Seruitarum Ordini ab initio candor inerat cum a maioribus noſtris institueretur, rurſus eniteat ac floreat: rurſus mutuis familiæ noſtræ ſtudijs atque conatibus Deo benè iuuante reuireſcat. Denique ſic omnium erigantur animi & ad diuinam charitatem incendantur, vt antiqua Patrum noſtrorum ſanctitas atque religio veluti è poſtliminio reuocetur, fideles etiam ad veram pietatem, nec ſine Chriſtianę Reipublicæ ſplendore ac dignitate, & priſtinam innocentiam inflammentur.

Taceo autem precioſa vaſa, ſacras veſtes, ac religioſam ſuppellectilem vniuerſam quæ diuino cultui dicata ſunt, a nobis qua par eſt veneratione ac diligentia eſſe conſeruanda & inſtauranda, pro opportunitatē quoque amplificanda. quod profectò nō poſtremam induſtriæ partem requirit. Sileo etiam de Cœnobiorum poſſeſſionibus ac bonis, quæ ne vllo modo dilapidentur, aut etiam in priuatum vſum conuertantur, ſed ne temerè quidem ac negligenter curentur, procurandum eſt. Cum enim huiuſmodi bona Dei famulis alendis a fidelibus relicta ſint, & vt commodiùs Diuino honori inuigilemus, ac ſacris miniſterijs ſeruiamus, quod turpiùs excogitari poſſet, quā illa ab adminiſtris & diſpenſatoribus (quod vtinam Deus auertat) vſurpari, aut in deteriorem vſum, hoc eſt vt carnis illecebras foueamus, & Dæmoni ipſi obſequamur, conuerti? Itaque huc etiam tua, Pater optime, vigilantia (ſi opus ſit) reuocanda: huc authoritas, ne dicam ſeueritas, interponenda. Præſertim verò quia ſi fortè Eccleſiæ prædia & fundi ære quoque alieno per aliquorum deſidiam aut improbitatem premantur, ac propterea Dei famuli paupertatis anguſtiis perperam opprimantur, tuum ſit, vigilantiſſime Præſul, pro tua poteſtate decernere atque cauere, ne quis tali authoritate amplius abutatur, ſed frugalitas ab omnibus, temperantia, moderatióque colatur. Eodémq. modo ſi quæ alia corrigenda erunt errata, ſi qui alij abuſu tollēdi (qui vtinam nō multi ſunt) fore ſperamus vt pro tua integritate vinum oleúmque noſtris vulneribus adhibeas, & Euangelicum Samaritanum exprimas & imiteris.

Verùm quid de bonarum artium ſtudijs dicā, déque optimis diſciplinis, maximè verò de ſacra Theologia, cum hæc omnino pleriſque in locis vel intermiſſa ſint, vel in ſqualore verſentur ac ſitu? Et tamen his ſtudiis maximè floreat oportet noſtra Familia, quæ Dei verbo prædicando, Hæreticis coarguendis ac refellendis, denique fidelibus populis tum inſtruendis, & ad pietatem Chriſtianáque inſtituta reuocandis, tum ſanctiſſimis moribus ac virtutibus imbuendis, deſtinata eſt. Qua in re equidem te appello Pater ſapientiſſime, vt qui ſatis compertum habes Reuerendiſſimum Parentem noſtrum Generalémq. Magiſtrum Deodatum his artibus ad noſtri Ordinis gubernacula perueniſſe, ac Familiæ noſtræ ob ſingularem doctrinam ac ſapientiam pari cum pietate coniunctam, noſtræ Familiæ a Chriſti Vicario præpoſitū eſſe, quique rurſus ob eandem pietatis ac ſapientiæ laudem nunc apud nos Deodati ipſius perſonam ſuſtines, diligenter prouideas, vt Philoſophiæ, Theologiæque ſtudia inſtaurentur, & cum pietate coniungantur. Equidem cum te audiam Liberales Artes atque doctrinas mirificè coluiſſe, Artium verò atque doctrinarum Reginam Theologiā toto pectore complexum eſſe, videor mihi has quodammodo intueri, quæ ſupplices ad tuū patrocinium confugiant, & enixè tuam fidem obteſtentur, vt ne illas diutiùs ab hac Prouincia exulare, aut in ſqualore iacère, patiaris.

Nam ad dignitatis gradus tam in Cœnobiorum adminiſtratione, quàm in Gymnaſijs noſtris regendis, eos tantùm eſſe promouendos, qui doctrina valeant ac probitate, quique cæteros verbo & exemplo inſtruere valeant, nemo, vt arbitror, qui rectè ſentiat dubitabit. Quapropter cum huc etiam mentem cogitationémque defixeris, ornatiſſime Præſes, ac propterea ſingulorum virtutes ac merita atque adeò prudentiam, doctrinam, pietatémq. agnoueris & æſtimaueris, ac pro cuiuſq; indole & facultate, Chriſtianáq. humilitate munera diſtribueris, id ſanè non ſine tui nominis dignitate, ac religionis noſtræ bono, Deique ipſius honore & obſequio, effeceris.

Hæc

Hęc inquam & id genus alia permulta ſunt, Patres ſapientiſsimi, quorum multitudinem ac molem, ſeu pondus & amplitudinem, mea pertimeſcit oratio, quæque ne dicendo perſequar, ac veluti explicem, cum ætas, tum imbecillitas ingenii & inſcientia, prohibet hoc tempore.

Quamquam illud non prætermittam quod pertinet ad ſacri huius Ordinis candidatos atque Tyrones. Cum enim ipſe quoque, etſi omnium minimus, atque adeò indignus qui iam honorifico nomine, hoc eſt Beatiſsimę Virginis ſeruus appeller, inter eos numerer; quidni de noſtra educatione atque inſtitutione aliquid dicam, vt tuam Pater optime & amantiſsime benignitatem ac prouidentiam implorem? Ergo illud meo Commilitonúmq. meorum nomine a te peto, illud ſupplex oro, & obteſtor, vt quoniam humaniores literæ fundamenta ſunt doctrinarum, liberales verò diſciplinæ reliquæ ad Theologiam ac diuini verbi prædicationem aditus habẽt ampliſſimos, quin, ſi cum bonis moribus Chriſtianáq. moderatione & humilitate copulentur, omnibus religionis officiis adiumentum ſuppeditãt maximum, bonos humaniorís literaturæ magiſtros & in artibus ingenuis egregiè nauitérque verſatos, nec ſine pietate verſatos, nobis perficias: illúdq. tecũ ſtatuas de quo ſine dubio tua in nos beneuolentia ac rerum gerendarum ſciẽtia te admonebit; in benè inſtitutis Tyronibus præcipuam propagandæ Religionis ſpem eſſe poſitam & collocatam. Vt enim in ſemente ſpes meſsis poſita eſt vel maximè, ita ab iuuenili educatione ac præceptione reliquæ vitæ fructus pendent ac deriuantur. Quin etiam quemadmodum ſerenus ac lætus Solis ortus ſerenum ac lætum diem afferre ſolet; fœcundum verò placidúmque Ver, placidum atque fœcundum pollicetur annum, ſic benè inſtituta adoleſcentia atque optimis imbuta præceptis, reliquas vitæ partes egregiè explet vndique perficítque pro dignitate. Immo verò, vt ſolidis ampliſque fundamentis iactis, amplam domum extollere licet ac molem; diligenti verò cultura campis arboribúſque adhibita æſtas conſequi ſolet frugibus fructibúſq. referta, quam ſtatim Autumnus excipit ſuorum ille honorum vbertate fœlix & copia; ſic optimis firmata præſidiis iuuentus, & vberioribus doctrinis veluti puriſsimis aquis irrigata, virtutum fructus affert vberrimos & copioſos. Denique quod eſt in naui gubernator, in grege paſtor, in exercitu Dux, id mea quidem ſententia eſt in noſtro hoc adoleſcentium cœtu bonus ſapienſq. Magiſter, Quapropter ſi quis ex me requirat quid primò ad noſtram inſtitutionem diſciplinámq. requiram, quídve ſecundò aut tertiò; optimos Doctores atque Magiſtros nominem primò: hos proferam ſecundò: eoſdem memorem tertiò. Atque hos per te Pater optime ac ſapientiſsime a Deodato nobis attribui ac præfici, his noſtram inſcientiam inſtitui, animum informari, mores ac vitam regi; vno ore depoſcimus ac flagitamus.

DIXI.

ORATIO XXXI.

Habuit hanc Pataui dum in Sacro Theologorum Collegio Lucilium Tabulium Taruiſinum ſacræ Theologiæ laurea decoraret.

Talem ac tantam eruditionis doctrinæque ſignificationem dediſti omnibus, Lucili optime, tale ac tantum ingenij memoriæq. ſpecimen præbuiſti, vſque adeò ſapientiſſimis hiſce Patribus Theologicos labores tuos induſtriámq. probaſti, vt quã de te ſpem expectationémque concitaueras, non modò cumulatiſſimè expleueris, verùm etiã, fatentibus omnibus, longo interuallo ſuperaueris. Itaque Patres optimi ac religioſiſſimi admirabili conſenſione ac nemine planè diſſentiente ſed ne hæſitante quidem, iudicarunt te digniſſimum eſſe qui ſacræ Theologiæ laurea decoreris, & in ornatiſſimum hunc Theologorum ordinem coopteris.

Ipſe igitur vt grauiſſimæ honeſtiſſimorum Patrum voluntati quamprimum obtẽperem, omnino mihi faciendũ putaui, vt omni cunctatione abiecta, huic meo muneri ſatisfacerem, tibíq. optatam ac meritam lauream imponerem.

Agedum

Agedum igitur ſurge Lucili ornatiſſime, ac mihi adeſto. Ego enim Dei omnipotentis, Pauli Quinti Pont. Max. Marci Cornelij Præſulis Illuſtriſſimi Comitiſque Saccenſis, Mutij Caiandini Proepiſcopi Reuerendiſſimi, Patauini denique Theologorũ Collegij celeberrimi, authoritate ac nomine te Luciliũ Tabulium ſacræ Theologiæ magiſtrum ac doctorem conſtituo atque declaro: ſimúlque Almi huius Collegij Patrum collegã conſortémq. renuntio: idque ijs prærogatiuis omnibus quibus Theologi cæteri ſiue ex iuris ſiue ex conſuetudinis præſcripto vti & gaudere ſolent.

Huius rei ſymbolum atque monumentum ſit pileus quem capiti tuo impono. Ita ſanè cum Chriſti referat crucem, omnino optarem vt vna Chriſti crux ſit gloriatio tua: vna Chriſti cruce ad decus honeſtámq. gloriã incendaris. Et ſanè poſſem in præſentia maiorum tuorum antiquitatem ac familiæ dignitatem commemorare. Cum enim Brixiæ primùm, tum verò Taruiſij floruerit, ac viros & bello & toga & religione claros ediderit, quidni tuorum maiorum virtute ad virtutem etiam atque etiam exciteris? Poſſem etiam Fabritium parẽtem tuum optimum commemorare, qui ob incredibilem morum ſuauitatem, ac rerum gerendarum peritiam ac dexteritatem, cum Venetiis Senatoribus Illuſtriſſimis maximè verò familiæ Corneliæ vniuerſæ, tũ in Romana Aula Cardinalibus multis, ſed in primis Alexandro & Marco Antonio Columnæ, fuit cariſſimus. Nec reticerem maiorem natu qui aſſidet frarrem, cum is ſit, qui adhuc iuuenis in rebus tum publicis tum priuaris ſuam ille induſtriam ac fidem ſic probauerit omnibus, vt ab omnibus mirificè diligatur & commendetur. Denique tuam ipſam anteactam vitam tibi in memoriam reuocare poſſem, præſertim verò cum optimas diſciplinas pietatémque ita ſemper colueris, vt ſtatim ac tibi per ætatẽ ſacra obire myſteria licuit, Illuſtriſſimus ac Reuerendiſſimus Taruiſinus Epiſcopus honeſtam tibi Eccleſiam commendarit, atque eam Eccleſiam, ex qua mille aureos nummos quotannis (quod diuturnum ſit ac fœlix) excipias. Hæc inquã omnia atque alia huiuſmodi multa recenſere poſſem, vt te ad honeſtam gloriam magis ac magis cohortater & incitarem. Sed mihi crede, mi Lucili, ſunt iſthæc fluxa & caduca omnia. Itaque omnino optarim, vt Chriſti crux (id quod paulò ante dicere cœperam) ſit gloriatio noſtra: vna Chriſti cruce ad Theologicos labores, ad Chriſtianas vigilias, ad honeſtam gloriam & decus, ad virtutem incendamur & inflammemur.

Iam verò ſymbolum alterum ſit ſacrum hoc Theologiæ volumen, clauſum primò, mox apertum & reſeratum, vt nimirum intelligas in hoc diuina myſteria contineri, in quibus tibi die ac nocte ſit meditandum, vt ea Chriſti populo doctè, ſanctè ac religioſè referes atque optimis vitæ exemplis confirmes.

Aureum quoque accipito annulum, æternitatis ſymbolũ, ad quam nobis ſub crucis vexillo aſpirandum eſt ac properandum.

Sede mecum, vt noueris tibi in poſterum ſedendum eſſe cum religioſiſſimis Almi huius Collegij Senatoribus, ac de rebus diuinis pro Catholicæ fidei tutela decernendum. Surge rurſus, atque accipe oſculum pacis; quam pacem Princeps pacis in noſtra corda infundat altiùs ac perpetuò tueatur.

ORATIO XXXII.

N. N. Iuriſprudentia lauream ſibi a Patauino Collegio decretam petit, ſimulq. tum idem Collegium, tum Othonellum Deſcaltium, cuius manu eam ſibi imponi poſtulat, laudibus ornat.

NOn me fugit, Patres Ampliſſimi, MVSAS priſcis temporibus ternas habitas eſſe. Nec me latet GRATIAS inſuper ternario numero gaudere. Sat quoque ſcio ex iis beneficio collocando vnam, duas referendo, occupari. Veruntamen ſi mihi gratias vobis hoc tempore perſoluere cupienti, facultas par eſſet voluntati, optarem equidem vt non ternario numero ſed octonario gauderent: ac propterea beneficio referendo non duæ tantùm Gratiæ ſed ſeptem occuparentur: totidẽ quoque

Muſæ illud canerent ac celebrarent. Cum enim præclariſſimo hoc optatiſſimóque beneficio a vobis ſim affectus Viri Clariſſimi, tum demum omnibus gaudijs exultarem, tum me térque quatérque beatum prædicarem, cum me hac in re optatis meis cumulatiſſimè ſatisfeciſſe, ac térque quatérque vobis in beneficio referendo reſpondiſſe, animaduerterem. Quamquam quò me in tanto beneficio cupiditas rapit? quæ me ludit ac fallit imago? Immortale immortale inquam atque diuinum eſt hoc beneficium: nec poteſt vllis mortalium officiis compenſari. Si enim parentibus a quibus vt ſimus accepimus, parem gratiam referre nunquam poſſumus, qua tandem ratione iis gratia referri a nobis poterit atque perſolui, qui quoniam nos optimis ac ſanctiſſimis artibus inſtituunt, atque Iuſtitię ſiue imponunt coronam ſiue demonſtrant præmia, efficiunt vt benè ſimus, vt ſanctiſſimè degere, vt ad virtutem, ad immortalitatem, ad beatam denique vitam contendere valeamus? Ergo quoniam veſtra in me beneficia grato animo ac memori complecti quidem & prædicare, immortales quoque gratias & agere, quod facio, & habere ſemper potero, referre certè non potero; ad te, Deſcalze optime, venio a quo hiſce dignitatis inſignibus ornari tantopere ſemper optaui. Nam mihi quidem ſiue tui generis nobilitatem Maiorúmque tuorum ſplendorem intueor, ſiue doctrinas ſpecto quibus in hac ſiue Vrbe ſiue Academia, vel potiùs in hoc ſapientiæ theatro ac domicilio, iamdiu flores ac fulges, ſiue animi tui moderationem, prudentiam, virtutes denique omnes reſpicio, quibus nō patriæ ſolùm verùm etiam Principi noſtro Sereniſsimo, cuius etiam clariſsima ſtemmata & inſignia refers, cariſsimus fuiſti ſemper, ſiue auunculorum meorum ac meæ familiæ vniuerſæ in te amorem & obſeruantiam mecum ipſe reputo, nihil antiquius accidere potuit quàm vt tua manu, hoc eſt honeſtiſsima atque integerrima, Iurisprudentiæ laurea donarer. Nunc igitur, quoniam ſanctiſsimus hic nobiliſsimúſq. Senatus, quæ illius eſt benignitas, hanc mihi lauream decernit, ac nemine diſcrepante ſed ne hæſitante quidem me ad præclariſsimum Iurisprudentiæ gradum promoueri ſtatuit, agedum obſecro, Deſcalze ornatiſsime, vt per te fœlicior mihi hodierna dies eluceat, ſacroſanctos hoſce Cæſarei Pontificiíq. Iuris Codices, Pileum quoque & annulum, accipere, ac mihi ornando adhibere, ne graueris.

ORATIO XXXIII.

N. N. cum in Patauino Collegio Philoſophiæ ac Madicinæ laurea ornandus, deinde verò in Collegium cooptandus eſſet, de tot ac tantis honoribus ſibi lętatur & Patribus gratulatur: tum ab Aemilio Campolongo lauream ſibi deferri poſtulat.

MAcedonum Rex Philippus, cum tres ſibi vno eodémq. die fœliciſsimi allati eſſent nuncii, a ſuperis poſtulaſſe fertur vt aliquid ſibi moleſtum accideret, quo redundantem lætitiam temperaret. Ego verò Patres Ampliſsimi, cùm me hodierno die tribus, iíſque optatiſſimis beneficiis a vobis ornandum videam, vnde mihi ſummopere lætandum ſit atque omnibus gaudiis exultandum, aliquid mihi nō dicam optandum ſed oblatum, ſentio, quo redundans pectoris mei lætitia temperetur. Et quidem lætandum mihi eſt quòd a vobis Philoſophus cunctis ſuffragiis appellatus ac renunciatus ſim: gratulādum quòd cum Philoſophiæ laurea Medicinæ quoque decus & inſigna mihi decreta ſint: omnibus denique gaudiis exultandum quòd me continenter in florentiſsimi Collegii ordinem cooptandum referendúmque animaduertam. Verùm enimuerò cum tot tantorúmque beneficiorū præſtantia & magnitudine, ac munificentiæ virtutíſque ſplendore impediat quo minus pares vobis gratias non modò referre, ſed ne agere quidem valeam, ægrè id ferre cogor ac permoleſtè. Ac profectò cur non id moleſtiſsimè feram, ornatiſſimi Patres, cum interim vberrimos non dicam laborum meorum ſed humanitatis ac beneuolentiæ veſtræ fructus percipiam, & immortalibus a vobis beneficiis obſtringar, nec

tamen

tamen officiis veſtris aliqua ex parte reſpondere, atque ingrati animi vel crimen vel ſuſpicionem effugere liceat? Quamquam quid eſt quod tantopere perturber, atque hodiernæ diei lætitiam ne dicam fœlicitatem mœrore permiſceam? An non ea eſt veſtra munificentia & virtus quæ ſe ipſa contenta eſt, ac ſua luce potiùs gaudet quàm alienam laudem teſtificationémque deſideret? Sic ſanè. Ergo cum triplex hoc beneficium quo iam iam a vobis afficior, quippe eximium & ſingulare, nullis meis officiis compenſari poſſit, vobis ſanè veſtra virtus erit præmium: mihi verò, quoniam in rebus magnis atque arduis ſat eſt voluiſſe, voluntas ipſa & immortalis beneficij memoria quam nulla vnquam obliuio delere poterit, leuamen & conſolatio. Nunc illud ſupereſt Campolonge optime & ornatiſsime vt ſapientiſsimorum Patrum iudicio & voluntati ſatisfacias, mihíque optata Philoſophiæ ac Medicinę inſignia & ornamenta impertias. Nam tua manu lauream ſuſcepiſſe fœlicitatem meam explebit ſanè & cumulabit.

DIXI.

ORATIO XXXIV.

Hæc præfatus eſt N. N. *cum in Patauino Gymnaſio aduerſus* N. N. *Theſes eſſet diſputaturus.*

QVAE aduerſus tuas Aſſertiones afferam argumenta, ornatiſsime adoleſcens, ea amoris erga te mei argumenta eſſe velim, non diſſidij & contentionis: præſertim verò cum ſat ſciam te optimis artibus & inſtitutis vſque adeò imbutum eſſe, ſic Philoſophiæ præceptis pectus compleuiſſe, vt nouus miles ac tyro, qualem me eſſe & ſentio & fateor, tecum, hoc eſt cum veterano milite ac ſcientiſsimo, æquo Marte certare haud poſsit. Itaque beneuolentia potiùs atque officijs quàm ſententia & diſſenſione certabo. Denique ſic in arenam deſcendam, vt mihi in victoriæ loco ſtatuam a te vinci ac ſuperari. Cum enim ipſe, quippe ab omnibus imparatus præſidijs, & verò tui ſtudioſiſsimus, a te victor diſcedere nec poſsim nec velim, equidem a te, id eſt a ſtrenuiſsimo ac fortiſsimo milite, vinci in victoriæ loco, aut verius gloriæ, habendum iudicaui. Neque enim quiſquam prudens ſit rerum æſtimator, qui non mihi laudi adſcribat; quòd, tametſi ab victorię ſpe abeſſem longiùs, hoc tamen obire munus non dubitauerim. licebit enim mihi virtutis tuæ ſpectator ac teſtis eſſe: licebit tuum ingenium & doctrinam laudare & admirari; ac tuam induſtriam, vt par eſt, aliqua ex parte æmulari, aliquando fortaſſe exprimere, & imitari. Igitur quantum in me erit, nobiliſsime iuuenis, officii ac beneuolentiæ tecum certamen inſtituam, atque argumenta quæ amoris indicia ſint & argumenta, depromam ex pectore. Tu interim illa tum pari amore ac beneuolentia excipere & complecti, tum verò doctè, quod ingenii tui proprium erit, & eleganter explicare & enodare ne graueris.

ORATIO XXXV.

Hanc habuit Author cum Iohannem Cocchettum Naruiſinum laudaret & ſacræ Theologiæ inſignibus ornaret.

PRæclarè multa, doctiſsime & ornatiſsime laureande, de tua pietate ac virtute, maximè verò de induſtria atque doctrina, vir mihi narrauerat, quem inter Patauini Gymnaſii Doctores, atque almi huius Collegii Theologos, ob admirabilem virtutem ac ſapiẽtiam mirificè colerem. Quapropter cum te a laudatiſsimo ornatiſsimóq. viro tantopere laudari atque ornari animaduerterem, ac tua Philoſophiæ & Theologiæ ſtudia illi vehe-

mentet

menter excelleret, equidem non poteram non te diligere, & fauſta tibi fœliciáque & precari & ſperare omnia. Nunc igitur, cum Deo in primis authore ac Duce, Virtute vero Comite, tale ac tantum ſiue ingenii & memoriæ, ſiue eruditionis ac doctrinæ addo etiam facundiæ & eloquentiæ, ſpecimen dederis ampliſsimo huic Patrũ Conſeſſui, vt communi prius acclamatione, tum ſuffragiis ac votis, te Sacræ Theologiæ laurea digniſsimum iudicarit, non poſſum non tibi magnopere gratulari, atque honorificum hoc Patrum de te iudicium & voluntatem toto pectore animóque complecti. Igitur vt nulla interpoſita mora grauiſsimo Patrum decreto obtemperem, quo tibi ornamenta & Sacræ Theologiæ lauream deferri iubent, ſurge mi Iohannes, & ſine cunctatione vlla mihi adeſto, virtutis tuæ præmium non exiguum reportaturus.

Ergo authoritate Omnipotentis Dei primùm, tum Pauli V. illius in Terris Vicarij, ſimúlque Illuſtriſsimi ac Reuerendiſsimi Marci Cornelij Epiſcopi Patauini Comitiſque Saccenſis huius Almi Collegij Cancellarij; annuente etiam Perilluſtri eius Vicario Delegato, Patribus verò iubentibus omnibus, te Iohannem Cocchetum Naruiſinum Sacræ Theologiæ Doctorem atque Magiſtrum conſtituo, declaro, pronuncio: ídque prærogatiuis omnibus quibus ex iuris aut probatæ conſuetudinis præſcripto cæteri huiuſce Collegii Doctores gaudere ſolent.

Huius rei ſignum & argumentum ſit Pileus primò quem tuo capiti quaſi laureã aut coronam impono, vt nimirum intelligas tibi in poſterum etiam atque etiam pro cœleſti laurea decertandum: atque omnem curam, ſtudium, cogitationem eò defigendam, vt Iuſtitiæ coronam quæ Dei famulis in Cœlo repoſita eſt, conſequaris.

Sed & ſacrum hoc Theologiæ volumen clauſum prius, tũ apertum ac reſeratum accipito, ac tecum ipſe ſtatuito, omnino elaborandum ac remis velíſque contendendum, vt Dei Populum Chriſtianis præceptis ac documentis cum ad Chriſtianam doctrinam & ſapientiam inſtituas, tum in primis ad veram pietatem diuinúmque cultum incendas. Neque enim alia cogitatione vt egregius atque optimus qui nobis aſsidet Franciſcus Noualenſis, conſilio ſemper, authoritate, opibus tibi præſto fuit, & ad Philoſophiam ac Theologiam ſacerdotiúmque ipſum, viam aperuit ac ſtrauit, niſi vt in ea Domini ſtrenuè laborares, ac ſibi in animarum ſalute, qua nihil ei antiquius eſt aut carius, procuranda, glorioſi laboris conſors efficereris & comes.

Iam verò aureum quoque annulum digito inſerendum excipito; & quoniam germanum eſt ſymbolum charitatis, illud tecum ipſe reputa. tum demum fore vt Dei populum celſo animo ac pro dignitate inſtituas, cum pectus charitate compleueris. Hac enim in diurnis nocturníſque vigiliis atque laboribus mirificè ſubleuamur: hac in ærumnis ac periculis erigimur, reficimur, recreamur.

Denique mihi aſsideas, ac ſi legitimè certaueris ac ſtrenuè laboraueris ſedem tibi in Cœlo paratam memineris & conſtitutam, in qua poſt huiuſce mortalitatis moleſtias beatus degas & fœliciter conquieſcas.

Ad extremum complexum ac pacis oſculum accipito, ac pro comperto habeto fore vt, vitæ huius curriculo caſtè integréque peracto, cœleſtis quoque ſponſi conſortio atque complexu fruaris, ac ſempiterna pace læteris.

Nunc illud ſupereſt vt qui interim ampliſsimo huic Patrum
Senatui præeſt, tibi omnium nomine benedicat,
ac nouum hoc decus a Deo Opti
mo Maximo
fœlix optet fortunarúmque
precetur.

ORATIO XXVI.

Ludouicus N. *Patauino Juriſconſultorum Collegio gratias agit, quòd ſibi Iuriſprudentiæ, cuius etiam difficultates attingit, lauream perhonorificè decreuiſset: eamdemque a Iacobo Gallo, quem ſimul paucis ornat, ſibi deferri poſtulat.*

ARduum ſanè opus, Patres Ampliſſimi, ſed tamen honorificentiſsimum, vita eſt ſemper laureæ, quam hodierno die mihi decreuiſtis, adeptio. Si enim Põtificij Cæſareiq. Iuris campum intueor, equidem intelligo ampliorem eſſe ac latiorem quàm vt vllis, non dicam paſſibus adoleſcentis, ſed curſibus, peragrari poſſit vniuerſus. Quod ſi Iuris Interpretes ſpecto, video tantam eſſe illorum multitudinem ac varietatem, tam ingentem opinionum ſyluam, ſententiarúmq. ſubtilitatem, vt illis peruolutãdis & conſulendis impar ſit hominis ætas ac ſtudium. Quid? ita ſæpè rei domeſticæ occupatione impeditur, voluptatum illecebris capitur, alijs ſexcentis occupationibus diſtrahitur, iuuenum ætas, vix vt in tam longo Iuriſprudentiæ curriculo aliquid otij ſuppeditetur ac temporis. Nam armorum quoque ſtrepitum (neſcio quo fato, ſed duro illo quidem & peracerbo) in hac Vrbe noſtris incommodis acceſsiſſe, ita vt inter Martis tubas ac tympana colligenda ſit Iuriſprudentia (quaſi verò oporteat Iuris candidatum Imperatoris inſtar armis æquè ac legibus communiri) compertum eſt. Itaque cum hæc mecum aliquando reputarem, ac non ſine graui ſtudiorum meorũ iactura experirer, non poteram huius authoritatem loci non pertimeſcere, ac totis penè artubus mecum ipſe contremiſcere. Illud tamen non mediocriter reficiebat animum meum, quòd perſpectum haberem, Patres Excellentiſsimi, veſtram non modò æquitatem animi ſed benignitatem atque clementiam. Etſi enim non ratò grauitatem ac ſeueritatis partem aliquam cum ęquitate & clementia coniungendam, atque augeſti huius Collegij maieſtatem declarandam, putaſtis; ſępiſsimè tamen mira quadam facilitate ac benignitate pectus compleuiſtis vnde alacriùs certamen ſubiret florentiſsima Patauinæ Academiæ iuuentus, & ad optatam palmam contenderet. Hac igitur erectus ſpe & recreatus, ipſe quoque in hanc arenam deſcendere nõ dubitaui. in qua ſanè, quoniam video iam iam vberrimos mihi fructus non dicam laborũ meorum, ſed pietatis veſtræ, percipiendos & deguſtandos, non poſſum non ingenti lætitia & voluptate perfundi. Si enim iure lætandũ eſt vel Nautæ qui poſt difficilẽ nauigationem portum ſubierit tutus, vel agricolæ qui multis exhantlatis laboribus optatas fruges percipiat, vel militi qui re benè geſta periculorũ certamen abſoluerit, cur nõ mihi lætandum ſit, qui poſt lõgos atque aleæ pleniſsimos labores, & portũ, & copioſas fruges, & certaminis præmiũ veſtra mihi benignitate paratum intueor? Itaq; pro tanto beneficio cũ immortales vobis gratias ago Patres Conſcripti; tum illud polliceor, me quoniam ad gratiã beneficiúmq. referendum ſatisfacere nunquam potero, grato ſemper animo illud prædicaturũ. Tu verò perilluſtris & Excellentiſsime Galle ſplendor legum ac decus eximiũ, iam me, quod fœlix fauſtúmq. ſit, optata laurea decorare ne graueris. Neque enim non magnus honori ac voluptati meæ inde accedat cumulus quòd tua manu Iuris vtriuſque laurea atque inſignibus orner. cũ enim ille ſis qui ſuperiore ſeculo meridianã plagam Iuriſprudentiæ doctrina ac luce compleueris, & ad Antarticum vſq; polum longè latéq. tuum nomẽ dilataueris, poſteriore verò hoc ſeculo ſapientiæ ſplendore Septentrionem illuſtres. atq; Articum polum nominis celebritate ac ſapientiæ laude expleas. quidni gratuler ipſe atque adeò in fœlicitatis loco ponam, tua, tua inquam, dextera optatã mihi lauream imponi? Quem igitur, ornatiſſime & Excellentiſsime Galle, iam multos annos eloquentia excitaſti, doctrina inſtituiſti, humanitate quoque & comitate tibi in perpetuum deuinxiſti, hunc, quod ſupereſt, Doctoris inſignibus exornato.

DIXI.

ORATIO XXXVII.

N. N. nobilis Venetus ſibi gratulatur, quòd a Patauino Collegio, queminterim celebrat, lauream eſſet accepturus: eandemq. à Iacobo Gallo, quem item ornat, ſibi deferri petit.

POſtularet ſanè ratio, Patres Ampliſſimi, vt quoniam maiorem ætatis meæ partem in hac Vrbe traduxi, atque in ea tum humanioris litteraturæ curriculum peregi, tum Philoſophiæ, atque ad extremùm Iuriſprudentiæ, operam dedi, in eãdem aliquos laborum meorũ fructus colligerem quibus etiam reficerer tãdem & oblectarer. Si enim Agricolis fruges, peregrinis patria, athletis corona, nautis portus, iucundiſſimus eſſe ſolet; cur non mihi poſt diurnas nocturnáſq. vigilias, iucundiſſimũ ſit Iuriſprudentiæ laurea decorati? Quamquam illud mirificè auget animi mei uoluptatem, quòd ſentiam me ab iis Patribus Cæſarei Pontificiiq́ue Iuris laurea eſſe ornandum, qui Italia atque adeò Europa tota celebrentur ac fulgeant: quíque Patauinum Gymnaſium, hoc eſt Terrarum orbis Theatrum, ſapiẽtiæ Arcem, optimarúmque Artium Domicilium, ſuis veluti humeris, non ſecus atque Atlas Cœlum, ſuſtineant ac fulciant. Quapropter quas vobis pro immortali hoc beneficio gratias debeo, ornatiſſimi ac ſapientiſſimi Patres, & in oculis ſemper feram, & dum viuã memori animo colam ac prædicabo. Quod ſi etiam a Deo optimo maximo ea mihi ſiue occaſio oblata ſiue facultas conceſſa fuerit aliquando, vt ſi non parem vobis gratiam referre, ac certè grati animi ſignificationem aliquam, præbere valeam, efficiam equidem vt me celeberrimi huius Senatus virtuti benignitatíque obſtrictum, eiuſdem quoque amplitudinis cupidiſsimùm, eſſe intelligatis.

Interim tu Excellentiſsime Galle, eximium Iuriſconſultorum decus ac ſplẽdidiſſimum ſæculi huius lumen & ornamentum, optata ſiue laborum meorum ſiue humanitatis veſtræ décora mihi impertiri ne graueris. Si enim grauiſſimo Patauini Collegii iudicio Iuriſconſulti dignitate ornari mihi quidem dulce eſt ac periucundum, ſanè huiuſce dignitatis inſignibus tua manu, Galle optime, decorari, dulciſſimum erit & iucundiſſimum.

DIXI.

ORATIO XXXVIII.

N. N. Abbas ac nobilis Venetus gratias agit Patauino Collegio ob decretam ſibi Iuriſprudentiæ lauream: quam non ſine grati animi ſignificatione a Gallo quem etiam laudat, poſtulat ſibi conferri.

EQuidem ſat ſcio Procpiſcope optime, vóſque Patres Excellentiſſimi, veteres Poëtas, hoc eſt humanæ ſapientiæ parentes, eo conſilio ceciniſſe, GRATIAS ternario numero gaudere, ac beneficio collocando Vnã, referendo binas, præeſſe; vt intelligeremus acceptum beneficium cumulatius eſſe reddẽdum. Ac meritò. Decet enim eum qui beneficium acceperit, agros fertiles imitari, qui quod acceperint, largiore menſura ac tanquam fœnore ingenti, teddere ſolent. Denique gratiarum horti ea de cauſa interitum neſcire immortaléſque dicuntur, quòd beneficii memoria immortalis eſſe debeat, atque in noſtris animis ſemper floreſcere.

Hæc ego mecum ipſe dum interim reputo, ac me Iuris vtriuſque laurea, tanta veſtrûm omnium conſenſione ac voluntate paríque benignitate, ornandum eſſe video, Patres Ampliſsimi, ſubindéque (vt ſpero) in celeberrimũ hoc florentiſsimúmque Collegium a vobis cooptandum, non poſſum non a Deo optimo maximo fa-

cultatem & quaſi campum optare, vnde meam vobis voluntatem optimam gratũq. animum teſtificari poſſim ac declarare. Quem ſanè campum, ſi quando mihi oblatum ſenſero, equidem tantum lætabor, quantum & me vobis hodierna die obſtrictũ eſſe perſpicio, & eximij huius Collegii virtus & amplitudo ſuo iure depoſcit. Interim Galle optime, & Excellentiſſime te appello; vt quoniã clariſsimus hic integerrimúſque Senatus, quæ illius eſt in me voluntas ac beneficentia, Cæſarei Pontificiiq. Iuris lauream mihi decernit, præclariſsimis hiſce inſignibus & ornamentis me cohoneſtare ne graueris. Si enim iucundum eſt à laudato viro laudari, mihi ſanè a Clariſsimo Iuriſconſulto ac Doctore toto terrarum orbe celeberrimo, quique nominis fama Italiæ atque adeò Chriſtianæ Reipublicæ Gymnaſia compleuit, Iuriſprudentiæ inſignia referre, gratè accidet ac periucundè.

DIXI.

ORATIO XXXIX.

In qua Vbertinus Papafaua Abbas nobiliſſimus varijs laudibus prius, mox Theologiæ laurea, exornatur.

QVam olim in Lucullo mentis celeritatem atque ingenii præſtantiam & magnitudinem demiratus eſt Romanæ eloquentiæ Parens M. Tullius, hanc ego hodierna die in candidato noſtro ſuſpicere cogor, Patres Ampliſsimi, ac ſine ſatietate mirari. Tantam enim & memoriæ vim & mentis celeritatẽ & doctrinæ varietatem, atque (vt multa paucis complectar) ingenii fœlicitatẽ in difficillimis atque arduis Theologiæ myſteriis declarandis, ac varijs ſubtiliſsimis quæ illi propoſita atque obiecta ſunt, dubitationibus explicandis, oſtendit, vt mihi quidem non ſolùm quam de ſe excitauerat expectationem, etſi maximam, ſuperaſſe, verùm etiam admirabile illud Luculli ingenium æquaſſe videatur.

Quapropter vtinam qui nunc in hoc ſapientiſſimorum Patrum Theatro Luculli memoriam renouauit, idem laudum ſuarum præconem M. Tullium inueniret. Neque enim minùs feracem quin fortaſſe vberiorem in Vbertino inueniret laudum campũ in quo illius exultaret oratio. Si enim Lucullus clariſſimus habitus eſt quod ex præcipua Vrbis nobilitate ortus eſſet & procreatus. Vbertinus quoque noſter ex nobiliſsimis parentibus ortus eſt atque Europa tota clariſsimis. Etenim matrem habet Conſtantiam lectiſsimam fœminam, cuius Pater non ita pridem in Cypro Inſula omnium ferè celeberrima & pulcherrima, non poſtremam dominatus partem ſibi à maioribus traditam hæreditario iure obtinuit. De Patre verò nihil attinet dicere, quem ſanè tum illuſtriſsimo ſanguine prognatum, ac diuitiis vitaéque dignitate ſplendidiſsimum, omnes norunt, tum verò gerendarum rerum experiẽtia, ſumma etiam eloquentia, præditum eſſe, gratia quoque & authoritate apud Sũmos Principes valere, compertum eſt. Quod ſi Lucullùs adoleſcens adhuc, ſuam induſtriam ſic probauit Populo Romano, vt priùs in Republica variis honoribus ornatus ſit, quàm illos per ætatem liceret attingere; Vbertinus quoque noſter Cæſarei Pontificiique Iuris lauream immatura adhuc ætate ac ſumma Patrum omnium approbatione ac prædicatione, eſt conſecutus. Itaque non multò poſt à Summo Pontifice Abbas etiam, ac demum Patauinus Canonicus, idque nobili ſanè prærogatiua & authoritate, renunciatus eſt. Cum enim clariſſimus Theologus & Collega noſter Camillus Borromæus qui non ita pridem decedens incredibile ſui deſiderij Vrbi huic vniuerſæ reliquit, extremũ ſibi diem imminere propemodum animaduertẽret, haberetq. multos ex familia & affinibus quos ſibi poſſet in munere grauiſſimo non ſine dignitate, ſpero etiam Cleri quem altiùs inſtituebat, vtilitate, ſufficere vnum Vbertinum, hoc eſt quem ingenio, doctrina, pietate florere, ſibíque ſimillimum fore, proſpiciebat, deligendum putauit cui tale tantúmque onus deferret, ac quaſi Atlas nouum ſibi Herculem ſubſtitueret. Denique ſi Lucullus cum ab Vrbe miles diſceſſiſſet ac tyro, optimus in Aſiam peruenit Imperator, Vbertinus Philoſophiæ ac Iuriſ-

Iuris prudentiæ curriculo abſoluto, Theologiæ quoque ſtadium tanta celeritate ac fœlicitate confecit, vt a vobis, Patres Amplisſimi, miro conſenſu ac plauſu egregius Theologus habitus ac renunciatus ſit. Hæc inquam & id genus alia haberet multa quæ in Candidato noſtro admiraretur ac celebraret qui Luculli extulit ac celebrauit ingenium. Sed quoniam ſors tulit vt mihi obtigerit hoc munus qui ab omnibus dicendi præſidiis imparatiſsimus huc acceſsi, laudatione quoniam impares ſunt meæ vires, prætermiſſa, ad lauream ipſam deueniam.

Mihi igitur adeſto Vbertine doctiſsime ac nobiliſsime. Ego enim præpotentis Dei ac ſanctiſsimi eius in Terris Vicarii Pauli Quinti, ſimulque Illuſtriſsimi Antiſtitis noſtri Comitiſq. Saccenſis Marci Cornelii, Reuerendiſsimi item Proepiſcopi, Almi denique huius Collegii, authoritate ac nomine, te Magiſtrum, ac Doctorem inſtituo & pronuncio in ſacra Theologia, idque honoribus omnibus & prærogatiuis quibus de iure ſeu probata conſuetudine cæteri ſacræ Theologiæ Doctores gaudere ſolent. Atque iiſdem ſanè te Collegam noſtrum declaro, & in huuc honeſtiſsimum ac Religioſiſsimum Patrum numerum ordinémque aſcribo. Quapropter ſacrũ hunc Theologiæ Codicem clauſum priùs mox apertum accipito. Vt nimirum intelligas ſacroſancta diuinæ legis myſteria quæ hoc volumine continentur, profanis claudenda vel certè non temerè aperienda; piis contra & Chriſtianæ Religionis ſtudioſis piè ac ſanctè reſeranda. Sed & aureum annulum in digitum inſulto (vt quoties illum inſpexeris, nobili hoc ſymbolo ad Chriſtianum ſplendorem, ad auream charitatem, & ad ſpem æternitatis magis ac magis exciteris. Pileum quoque in Crucis ſpeciem effictũ capite tanquam coronam excipito, vt memineris tibi interim Chriſti Crucem amplectendam atque inde immortalem coronam referendam. Mecum inſuper ſedeto, vt ſcias tibi ſedem in Cœlo eſſe conſtitutam, ſi quam hodie dignitatem es aſſecutus, vitæ innocentia & ſanctitate etiam atque etiam illuſtres ac tuearis. Denique ſurge, atque oſculum pacis accipito, ac tecum ipſe ſtatuito, Dei gregem ſic doctrina & exemplis tibi inſtituendum, vt quæ omnem ſenſum exuberat, pace perfruatur. Quod ſupereſt, Deus bonorum omnium largitor tibi benedicat, vt ſtrenuiſsimus Eccleſiæ miles ac præco efficiaris, próque illa ad extremum vſque ſpiritum deſudare, ſanguinem etiam, ſi opus erit, profundere, non verearis.

ORATIO XL.

N. N. Iuriſprudentiæ lauream petit: eum ſimul ornans a quo ſibi eſſet tribuenda.

Qvod precatus eram a Deo immortali vt laboribus hiſce meis ac ſtudiis pro admirabili ſua clementia ac ſingulari bonitate faueret, méque ad exoptatam Iuriſprudentiæ metam, hoc eſt ad lauream, fœliciter perduceret, vnde nõ modò honorificis Doctoris inſignibus & ornamentis fruerer, verùm etiam ampliſsimam Collegii huius ſacroſancti authoritatẽ ac dignitatem aſſequerer: id ſanè mihi è voluntate hodierno die contigiſſe & video, Patres ampliſsimi cæteriq. Auditores nobiliſsimi, & mirificè gratulor. Itaque tibi primùm Proantiſtes Reuerendiſsime, qui fauſtum optatúmque decretæ mihi laureæ nuncium pronunciare, méque tua oratione, hoc eſt præclariſsima atque ingenii & eloquentiæ pleniſsima cohoneſtare, non dubitaſti, immortales gratias ago. Vos autem Perilluſtres & Excellentiſsimi Patres, qui me tali ac tanta conſenſione ac ſuffragiis omnibus Iuris Pontificii ac Cæſarei Doctorem creandũ iudicaſtis, atque vt inter Almi huius Collegii proceres ſubinde numerarer in ſpem tutiſsimam adduxiſtis, illud pro comperto habeatis. Me quoties de lætiſsimo hoc euentu ac fœliciſsimo die cogitabo, toties de egregiis veſtris ac multis erga me officiis ac ſtudiis, toties de incredibili beneficentia veſtra, toties de ſingulari humanitate, virtute, probitate cogitaturum: ſæpè etiam celeberrimi huius ſapientiſsimíque Collegii dignitatem, amplitudinem, integritatem pro virili parte mea celebraturũ: omninóq. effecturum vt ſi minus facultas tali tantóque beneficio reponendo idonea ſit, ac par,

Digitized by Google

voluntas certè nunquam defuiſſe videatur. Sed iam te appello optime & humaniſſime Albertine, cuius ego & hortationibus & documẽtis in arduo ac perdifficili hoc curriculo excitatus ac recreatus, tale tantúmque præmium ac decus mihi paratum intueor, te inquã appello, vt Iuriſprudentiæ laurea & inſignibus me exornare & cohoneſtare ne graueris. Par enim eſt, vt qui me hactenus doctrina, exercitationibus, &, vt ſemel dicam, incredibili humanitate atque virtute excitaſti, téque mihi Ducẽ ac Doctorem optimum oſtendiſtì, tu, tu inquam, egregium hoc opus quod mihi fœlix precor ac fauſtum, laurea perficias. Neque enim in exigui beneficij loco numerauerim, eius manu Iuriſprudentiæ inſignibus decorari, qui nobilitate ac doctrina floreat, quem ſingularis humanitas ac probitas noſtris Ciuibus mirificè commendet; cui denique ipſe tot ac tantis quæ in me contuliſti, officijs deuinctus ſim ac ſtudiis, quot nulla vnquam minuet ætas, nulla delebit obliuio.

ORATIO XLI.

Habita Patauij a N.N. cum Theſes Iuriſprudentiæ tuendas proponeret.

FVit in more poſitum apud Romanos vt adoleſcẽtes vmbratili ſeſe exercerent pugna, qua militiæ ſtudia officiáq. perdiſcerent. Itaque.

Ante Vrbem pueri & primæuo flore iuuentus.
Exercentur equis, domitántque in puluere currus:
Aut acreis tendunt arcus aut lenta lacertis
Spicula contorquent, curſúque, ictúque laceſcun:.

Cecinit Virgilius cum bellicas: Romanorum exercitationes in Latinis adoleſcentibus adumbraret. Quam ſanè rem, quod pertinet ad equeſtre certamen, vberiùs adhuc & magnificentius in Troianis expreſſit. Cum enim Aſcanium ac Principem iuuentutem per turmas inſtruxiſſet, & in acie collocaſſet, ecce tibi ſigno dato ſic certamen inſtituit.

Olli diſcurrêre pares, atque agmina terni
Diductis ſoluere choris: rurſúſque vocati
Conuertêre vias, infeſtáque tela tulere.
Inde alios ineunt curſus, alióſque recurſus
Aduerſus ſpatys, alternóſque orbibus orbes
Impediunt pugnaéq. cient ſimulacra ſub armis.
Et nunc terga fuga nudant, nunc ſpicula vertunt,
Infenſi. facta pariter nunc pace feruntur.

ſic noſter Vates vt bellicas Romanæ iuuentutis exercitationes nobis poneret ante oculos.

His ego, ſi cum vetuſtis rebus recentes, cum Romanis exercitationibus Patauinas, cum armata militia togatam, conferre liceat, ſimilem iudicauerim, commilitones ſtrenuiſſimi, palæſtram hanc noſtram. Ibi enim alter impreſſionem faciebat in hoſtem: alter impetum ſuſtinebat, ac mutuo certamine dimicabat: demum vterque & oppugnandi & propugnandi vices ſubibat: itaut modò pedem conferre, modò referre, interdum fugam aut capere aut ſimulare, ſæpè in Aduerſarium frontem & arma conuertere cerneretur. Apud nos verò vnus argumenta veluti tela exerit & intẽdit in hoſtem: alter contra telorum vim ſuſtinere ac retundere, ſæpè etiam in andagoniſtam conuertere, nititur: itaut vtrinque impetus fiat ac decertetur: vterque per vices & oppugnandi & propugnandi obeat munus: ac modò propè ſuccumbere, modò collectis viribus pugnam inſtaurare, hoſtis impetum frangere, & ipſiſſimas belli fortunas exprimere videatur. Quid plura? labores certaménque ſubibant illi vt cũ ab vmbratili pugna ad bellum foret deſcendendum, cum Reipublicæ præſto eſſent ac ſuas amicorúmq. fortunas ſtrenuè tuerentur, tum Romanum Imperium vnà cum gloria dilatarent. Nos huius ſtudij labores exantlamus, vt cum opus fuerit, tum in foro & iudiciis, tum in Senatu & Curia, vno verbo publicè priuatímque & nobis ipſis amicíſque opitulemur & Reipublicæ, ac Principi pro virili parte noſtra præſidio ſimus

mus vt quamdiutiſſimè floreat. Vt mihi quidem vel hac vna de cauſa tum ſapientiſſimus viſus ſit ſemper noſter & legislator & Imperator Iuſtinianus, qui togatā militiam ſibi inſtruendam, ac Iureconſultos legibus non tam ornandos quàm armādos exiſtimauit: tum palæſtra hæc noſtra Romanorum palæſtræ (id quod ab initio dicere cœperam) quam ſimillima videri ſoleat.

Quæ cum ita ſint, haud equidem verebor rurſus, quaſi miles, in hanc arenam deſcendere. ita tamen vt non tam de victoria mihi cogitandum putem, quàm noſtrę huius militiæ tyrocinia mihi diligentiùs ponenda, & cum veteranis vnius inſtitutionis gratia congrediendum ſtatuam. Id quod eò etiam alacriùs faciam quòd quemadmodum Troiani adoleſcentes magiſtris in certamine vterentur. (ideo enim canebat Poëta

Agmine partito fulgent paribúſque magiſtris).

Sic ego Doctoris optimi ac ſapientiſſimi præſidio fretus, in aciem dimicationémue deſcendam ac pugnam inſtituam.

ORATIO XLII.

Habita Patauij ab Octauiano N. dum Pontificis Cæſareiq. Iuris inſignia ſibi a Collegio decreta poſtularet.

CVm in Theatrum veniſſet aliquando ſtrenuiſſimus ille Athenienſium Imperator ac Perſarum debellator Themiſtocles, inde fertur mirificè exultaſſe ac propemodum triumphaſſe, quòd ſibi ſtatim Athenienſis populus aſſurrexiſſet, & ludis, quorum cauſa cōuenerat, veluti ſpretis, in eum quiſque ora atque oculos conuertiſſet. Itaque non potuit non exclamare Dux hic fortiſſimus, ſe eo die ſuorum laborum ac rerum geſtarum ampliſſima præmia retuliſſe.

Ego verò, cum in celeberrimum hoc theatrum deuenerim, Patres Conſcripti, inde mirificè lætor atque omnibus gaudijs exulto, quòd mihi vobis omnibus honoris cauſa aſſurgere, & in conſeſſum veſtrū ornatiſſimum oculos oráq. conuertere, aſpectu quoque veſtro præclariſſimo frui ac recreari conceſſum ſit. Quotus enim quiſq; eſt qui ignoret frequentiſſimū hunc Patrum cōſeſſum Doctoribus egregiis ac ſapientiſſimis refertum eſſe: Italiæ atq; adeò Chriſtianæ Europæ ſplendidiſſimas Iuriſprudentiæ faces præferre: denique ingenii, doctrinæ ac ſapientiæ laude toto terrarū orbe celebrari? Quāquam vt ingenuè fatear, tum demū gaudio propemodū triumpharē, méq. perbeatū arbitrarer, cū præclariſſimo interim optatiſſimóq. beneficio a vobis affectus, par mihi in eo referendo voluntati adeſſet facultas, fore enim ſperarē vt non modò gratum vobis animū cumulatiſſimè declararem, verùm etiā officium officio meritū merito, beneficium beneficio cōpenſarem. Sed quoniā immortale ac propè diuinum eſt hoc beneficiū, nec poteſt vllis mortaliū officiis ſeu præmiis compenſari, nullum mihi locū relictū video, vnde aut promeritis veſtris aut optatis meis reſpondeam. Ego, quoniam veſtrā in me voluntatem optimam immortaléq. beneficium grato animo ac memori cōplecti quidem ac prædicare, immortales quoque gratias & agere, quòd facio, & habere, ſemper potero, referre certè nullo modo potero, ad te Otelli optime venio a quo ſūmopere optaui ſemper hiſce dignitatis inſignibus decorari. Nam mihi quidē in te Forouilienſis Prouinciæ & Carnorū decus eximium, Patauinæ Academiæ ſingulare columen, & Iuriſprudentiæ ipſius præſidiū & ornamētum; attentiùs intuenti, ac tui nominis celebritatē æſtimanti, nihil antiquiùs accidere poteſt, quàm tua manu, hoc eſt honeſtiſſima & præclariſſima, Pontificij Cæſareique Iuris laurea cohoneſtari. Iam igitur, quoniam & ampliſſimus hic Senatus, quæ illius eſt benignitas, hanc mihi lauream decreuit, & Reuerendiſſimus Proantiſtes ipſius Senatus voluntatem qua ſolet eloquentiæ ingeniique & humanitatis ſignificatione, declarauit confirmauitque, age dum obſecro munus hoc totum explere méque inſignibus de more ornare ne graueris.

ORA-

partem compertam habere. Sed quoniam iis illum ornare laudibus voluiſti, quas ne ipſe quidem, aut dum viueret affectauit, aut in præſens dū inter beatas mentes, (quod piè crediderim) verſatur ac degit, niſi ægrè non audiret, quin vt diuina, pio & conſtanti animo reſpueret; ad legitimam diſputationem deſcendamus, atque vtrum nihil nō rectè ac verè protulerit, diſceptemus. Mitto autem illum qui paſſim S. Thomæ oppugnauit doctrinam poſſe iuſtiſſimè in falſitatis ſuſpicionem vocari, cum Chriſti Vicarius luculenta teſtificatione fideles admonuerit, enim fuiſſe B. Thomam, qui quot quæſtiones explicaſſet, tot miracula perpetraſſet: ſimúlq; nos commonefecerit eū, qui doctrinam oppugnauerit S. Thomæ, importunum habendum. quippe vix ac ne vix quidem falſitatis crimine vacare poſſit: mitto etiam eum qui tam ardenter ac penè omnia S. Thomæ decreta ac dicta veluti euertere conaretur, potuiſſe quidem in multis fortaſſe acutè diſputare ac verè; ſed vt in tam ingenti rerum ſylua nunquam non ipſo a veritate deflexerit, difficilius eſſe quàm vt credi poſſit. Sed vnum atque alterum Scoti dictum iam aſſumamus, & quam veris illum laudibus cumulaueris, videamus. Idque a Philoſophia primùm incipientes. Diſputat Ariſtoteles in poſtremo libro de naturali auditione Deum ſeu primum motorem non eſſe magnitudinē aut virtutem in corpore: idque ea ratione, quia ſi eſſet virtus in corpore ſeu virtus corporea, vel eſſet virtus corporea finita vel infinita: non finita, quia non poſſet mouere æterno tempore: non infinita, quia moueret momento temporis, quod cum motu pugnat, ac proinde concludit non eſſe virtutem in corpore, ſeu magnitudinē. Quam rationem, ne quicquam de ipſius ſententia liceret dubitare, repetit in xij. diuinæ Philoſophiæ libro, ac verbis perſpicuis repetit. Scotus igitur cum in hanc Ariſtotelis ratiocinationem incidiſſet, exiſtimauit ac pugnauit his docuiſſe Ariſtotelem, Deum eſſe virtutis infinitæ. Quæſo te igitur, doceas quo pacto ex Ariſtotelis propoſita ratione id ſequatur quod profitetur Scotus. Nam Ariſtoteles probauit quidem Deum non eſſe magnitudinem, ſiue nō eſſe virtutem fuſam & immerſam in magnitudine, quia vel eſſet finita vel infinita, ac proinde, vel non poſſet mouere æterno tempore, vel moueret momento temporis, quod fieri nequit. At rè ipſa eſſe infinitæ virtutis, ne verbum quidem. hoc primum.

Alterum, vt ad rem Theologicam veniamus; illud ſit in præſens. docet Scotus, ſi tamen docet, ſacramenta nullo modo eſſe inſtrumenta gratiæ ita vt eam attingant ſiue gignant ſeu ex ſe verè cauſent vt cum ſcholaſticis loquar: clamat Tridentinum ſacramenta cauſare, & illius veram cauſam inſtrumentalem eſſe. Quis igitur affirmare audeat in his Scotum verè ac rectè dixiſſe? Hæc ego ſaltem exercitationis cauſa obieciſſe velim. Tu pro tua humanitate reſpondeas, & vt Scotum in ijs purges, ingenium tuum excute diligenter.

ORATIO XLVI.

N. N. Cretenſis, Proepiſcopo & Iuriſconſultorum Collegio gratijs actis, a Salgberio, quem ſimul laudat, laureæ inſignia requirit.

QVod ſupplex ab Authore bonorum & largitore optimo ſæpiſſimè poſtulaueram, ac multis precibus flagitaueram, vt ſtudijs, ac laboribus meis obſecundaret, méque ad optatam hanc palmam perduceret, id mihi è ſententia hodierno die cecidiſſe & ſentio, Cōteſſus ornatiſſime, & gratulor. Itaque diuinum numen & ſempiternum, vt par eſt, pro immortali beneficio ſupplex animo ac venerabundus adoro primùm. Tum verò tibi Proantiſtes Reuerendiſſime qui fauſtum fœlicémque decretæ mihi laureæ nuncium pronunciare, méque tua voce, hoc eſt præclariſſima atq; ingenij & eloquētiæ pleniſſima, cohoneſtare non dubitaſti, immortales gratias ago. Vos autem Patres Ampliſſimi, qui me cunctis ſuffragiis ac mira conſenſione Pontificij Cæſareíq; Iuris Doctorem creandum ac promulgandum cenſuiſtis, ſic habetote. Me, quoties de lętiſſimo hoc die ac fœliciſsimo cogitabo, toties de veſtris in me officiis ac ſtudiis, toties de ſingulari humanitate veſtra & beneficentia, toties de incredi-

bili probitate & virtute cogitaturum; ſæpè etiam Almi huius Collegij integritatem, amplitudinem, maieſtatem quàm maximis potero præconiis ac laudibus celebraturum. Tu verò Salgherie optime, qui me tum abſentem ac longiſsimis pelagi ſpariis ab hac Vrbe celeberrima diſsitum tui nominis celebritate ac fama euocaſti; tum præſentem Eloquentiæ laude delectaſti, Iuriſprudentiæ virtute inſtituiſti, comitate ac multis & magnis officiis tibi in perpetuum deuinxiſti, deſtinatam mihi a Patribus lauream ac Doctoris inſignia & ornamenta iam conferre ne graueris. Nā id quoque, tua inquam manu decorari, in ſummi beneficii loco numerabo ſemper ac prædicabo. Quod ſi etiam apud meos Cretenſes, celeberrimáque inſula tota iam nomen tuum vſque adeò peruulgatum eſt & clarum, vt mea prædicatione eius celebritas ægrè augeri quicquam poſſit (nemo enim inde ſoluit Patauium qui non de Salgherio cogitet; nemo in Patriam redit qui non Salgherium celebret) aliorum ſaltem ſententia ac ſtudia comprobabo, & quantū in me erit laudē laude cumulabo.

ORATIO XLVII.

Siuè Actio I.

Habita Romæ in Philoſophiæ humaniorumque Doctrinarum Obtrectatores Anno M D XCV. dum Clementis Octaui, iuſſu ad Naturalem Philoſophiam in Almo Sapientiæ Gymnaſio è prima ſede explicandam aggrederetur.

EGO verò, vt verè atque ingenuè fatear CINTHI Cardinalis Ampliſsime, eo conſilio Romam redieram, vt perbreui hoc reliquæ vitę ſpatio mihi vni viuerem: vni Deo vacarem. id enim me admonere videbatur hæc Vrbs quam Religionis arcem ac ſanctitatis domiciliū meritò dixeris: id mea ætas quæ iam ad ſenectutem vergit præceps: id mearum imbecillitas virium & corporis penè fracti debilitas: id humanarum rerum quæ ſat mihi ante oculos verſatur, inconſtantia atque temeritas. Quod ſi etiam humanis rebus aliquid temporis mihi eſſet concedendum, id ſanè tribuendum putaram iis lucubrationibus edendis quas diuturnis vigiliis elaboraſſem, ac iam ſemel publicis literis mandare cœpiſſem. Etſi enim hæc quoque res laboribus plena eſt ac moleſtiis, atque iis ſanè ad beatam vitam, cui noſtra deſudare omnis debet induſtria, non neceſſariis; veruntamen ne viderer in iis vigiliis non modò hominum vtilitati ac poſteritati pro mea ſaltem tenuitate non proſpexiſſe, verùm etiam tempus fruſtra omnino contriuiſſe, haud committendum exiſtimaueram vt eas, ſupprimerem.

Sed quoniam Auunculo tuo Sanctiſsimo placuit, Cardinalis optime & ornatiſsime vt nouum hunc laborem ſubirem, & in Almo hoc Vrbis Gymnaſio Philoſophiam publicè profiterer, equidem parebo libens. Etſi enim quam vitæ rationem delegerā atque adeò amplexus fueram, ea mihi optima videretur, quaſi verò aut tutum portū ſubiiſſem, aut commodam ſtationem nactus eſſem, vnde minùs tempeſtatē ac naufragium pertimeſcerem, fore tamen ſpero vt cum Clementi Summo Pontifici, hoc eſt optimo atque ſapientiſſimo Chriſti Vicario, obediam, è cuius nutu pendêre glorioſum, cui morem gerere & obtemperare æquiſsimum & ſalutare, noua mihi affulgeat lux, vnde reliquum hoc vitæ ſpatium præclarè adhuc fœliciterq. decurram. Præſertim verò cum benè iuuante Deo nouum hunc laborem optimæ iuuentutis vtilitati tranſmittere, & ad vnam Dei gloriam referre, denique illi cui ſeruire regnare eſt, conſecrare & poſsim & velim.

Sed iam ad impoſitum mihi Ariſtoteleæ Phyſiologiæ ſeu naturalis Philoſophiæ interpretandæ munus noſtra ſeſe conuertat oratio. Qua in re vt de conſilij mei inſtitutique vniuerſi ratione vobis conſtet Auditores ſapientiſsimi, cum mihi colonum imitandum planè ſtatuo, qui quem colere inſtituit fundum, dumetis prius ac vepribus purgat: tum cultura diligenter adhibita, ſementem, vites, arbores, aſsiduo ſtudio exco-

Digitized by Google

excolir, vt fruges tandem ac fructus lætiſsimos inde capiat & copioſos.

Principio igitur vt ex Philoſophię campo veluti ſpinas euellam, vnde tandem illius amœnitate, ſpero etiam vbertate, fruamur, eorum calumnijs mihi os currendum exiſtimo, qui Philoſophiæ ſiue humanæ ſapientiæ ſtudium inutile atqueadeò humanæ ſocietati pernicioſum eſſe clamant, atque Chriſtiano viro non attingendum. Tum verò vbi mortalibus prodeſſe plurimùm, ac propterea omnino retinendum eſſe, docuero, ab ipſius Philoſophiæ natura ac definitione (quod tamen in ſequentibus diebus faciam) exorſus, ad eius partes progrediar: mox verò ad vnum Phyſiologiæ, in quo nobis hoc anno longè ac latè verſandum erit, culturam referam induſtriam meam: atque, vt laboris exter nobis fructus ac temporis, pro virili parte mea enitar, vt nihil Cœlo, terra, mariq. prætermittam, cuius cauſas, partes, affectiones, vno verbo vim naturámq. vniuerſam Ariſtotele duce non perueſtigem. Hæc conſilij mei ratio Auditores ſapientiſſimi: hic rerum dicendarum ordo, hæc ſeries, hic ſcopus & finis.

Nunc, ſi placet, ad Philoſophiam redeamus, eiúſq. patrocinium ac defenſionẽ ſuſcipiamus. Ad quam rem eò nobis incumbendũ erit diligentiùs, quòd vno eodémque tempore, vna eádémque defenſione, cum Philoſophiæ decus, tum Eloquentiæ, Poëſis, Iuriſprudentiæ, &, vt me ſemel explicem, humanarum doctrinarum omnium ac diſciplinarum dignitatem tueri licebit ac retinere. Etenim ea ſemper fuit multorum procliuitas, vel potiùs ea petulantia atq; peruerſitas, vt humanas doctrinas omnes calumniari, proſcindere, lacerare, euertere etiam (ſi Deo placet) atque ex hominum ſocietate exturbare contenderint. Id quod eò eſt deteſtabilius, quòd huic rei patrandæ, diuinorum quoque oraculorum præceptiones referre, & in eas per ſpeciẽ æquitatis ac pietatis inſultare, non dubitarint. Ita factum eſt vt humanis diſciplinis, præclariſq. huiuſmodi artibus ferè proſtratis, in ſacroſanctas Theologorum ſcholas, quippe quæ humanas quoque rationes atque doctrinas cum diuinis coniungunt, inſultare, ac baccari auſi ſint.

Quapropter operæpretium me facturum exiſtimo, ſi quoniã in præclariſſima hac ſapientiſſimorum virorum corona, ſummos doctrinarum omnium Magiſtros intueor, idque eo quaſi ductore ac Principe, qui quemadmodũ CLEMENTI PONT. Summo atque optimo ſanguine eſt coniunctiſſimus, & ob ſingularem prudentiam atque virtutem clariſſimus, ita ob excellentem ſcientiam Doctorum Coryphæus, non ſecus ac Sol cæterorum luminum, haberi poſſit, impoſtorum illorum ſiue querelas, ſiue calumnias in medium attulero, ac de iiſdem continenter (vt par eſt) expoſtulauero.

Atque vt aduerſariorum partes priore loco agam, & quaſi eorundem aſſecla & interpres, hoc eſt omni contentione, ac velis remiſq. vrgeam; videte obſecro Auditores quàm pericoloſa vos boni ſallat imago, dum ſiue ad Philoſophiã ſiue ad Eloquentiam atque, vt dicam paucis, ad humanas doctrinas incumbitis. Etenim quid obſecro abſurdius dici aut fingi poteſt, quàm eos ſectari quorum ſtudia aut faſtu ac temeritate aut diſſidentibus mutuóq. pugnantibus ſententiis plena ſunt? Nam ſi quis hac de re dubitet, Senecam quem ad humanam vitam rectè inſtituendam atque fingẽdam ortum dictitant, audiat. Hic eſt enim qui dum eiuſcemodi ſtudia ſecum ipſe reputat, An tu exiſtimas (inquit) reprehendendum qui ſuperuacua ſibi comparat? Non putas eum qui occupatus eſt in ſuperuacua literarum ſupellectile, plus ſcire velle quàm ſit ſatis? Intemperantiæ genus eſt. Quid quod iſta liberalium artium conſectatio moleſtos, verboſos, intẽpeſtiuos, ſibi placentes facit, & ideo non diſcentes neceſſaria quia ſuperuacua didicerunt? Audi quantum mali faciat nimia ſubtilitas, & quàm infeſta veritati ſit. Protagoras ait de omni re in vtranque partem diſputari poſſe ex æquo, & de hac ipſa, an omnis res in vtranque partem diſputabilis ſit. Nauſiphanes pugnat, ex his quæ videntur eſſe, nihil magis eſſe quàm non eſſe. Parmenides ex his quæ videntur, nihil eſſe in Vniuerſo. Zenon Eleates omnia negocia de negocio deijcit: ait nihil eſſe. Circa eadem Pirrhonij verſantur, & Megarici, & Critici, & Academici qui nouam induxerunt ſcientiam, nihil ſcire. Hæc omnia in illum ſuperuacuum ſtudiorum liberalium gregem coniice. Illi mihi non profuturam ſcientiam tradunt: hi ſpem omnem ſcientiæ eripiunt. Illi non præferunt lumen per quod acies dirigatur ad verum: hi oculos mihi effodiunt. Si Protagoræ credo, nihil in rerum natura eſt niſi

dubium

dubium. Si Nauſiphani, hoc vnum certum eſt, nihil eſſe certi. Si Parmenidi, nihil eſſe præter vuum. Si Zenoni ne vnum quidem. Quid ergo nos ſumus? Quid iſta quæ nos circumſtant, alunt, ſuſtinent? Tota rerum natura vmbra eſt, aut inanis & fallax. Non facilè dixerim vtrum magis iraſcar illis qui nos nihil ſcire voluerunt, an illis, qui ne hoc quidem nobis reliquerunt. Nihil ſcire. Hæc Seneca. Cuius mihi verba eò grauiora ac ſanctiora videri ſolent, quòd dum iſtarum ſectatores doctrinarum plus ſcire velle ait quàm ſit ſatis, eoſdémq. moleſtos appellat, verboſos, intempeſtiuos, ſibi placentes, viſus eſt (quod facilè obſeruare cœpiſtis) diuinas illas Apoſtoli voces vſurpaſſe quibus Mundi huius obiurgat ſapientes. Vt quemadmodum grauiſſimus & ſanctiſſimus author Hieronymus omnino cenſuit Senecam Apoſtoli conſuetudine vſum eſſe, ſic mihi quidem idem Seneca ob talem ac tantam verborum ſententiarúmque conſenſionem videri ſoleat ſacroſancta eiuſdem Apoſtoli monumenta euoluiſſe ac perlegiſſe.

Neque verò eſt quòd eodem Seneca authore ac Duce eam ſaltem humanę ſapientiæ partem ſattam ac tectam putetis quæ ad vitam pertinet ac mores. Nam, vt M. Tullium, hoc eſt doctrinarum omnium, ſed moralis philoſophiæ in primis ciuiliſq. ſcientiæ ſtudioſiſſimum, audiamus, atque adeò in conſilium adhibeamus. Quotus quiſq; philoſophorum inuenitur (ſic enim ille) qui ſit ita moratus, ita animo ac vita conſtitutus, vt ratio poſtulat? qui diſciplinam non oſtentationem ſcientiæ ſed legem vitæ putet, quíque obtempetet ipſe ſibi, ac decretis ſuis pareat? videre licet alios ianta leuitate & iactatione, iis vt fuerit melius non didiciſſe: alios pecuniæ cupidos: nonnullos gloriæ: multos libidinum ſeruos; vt cum eorũ vita mirabiliter pugnet oratio: quod quidem videtur eſſe turpiſſimum. Hæc magnus & acerrimus ciuilis ſapientiæ moraliſq. diſciplinæ æſtimator M. Tullius: qui ſanè haud minùs labefactare viſus eſt hanc Philoſophiæ partem, quæ in actione verſatur, quàm altera quę in contemplatione poſita eſt, a Seneca afflicta ac penè proſtrata videatur.

Sed vtinam mihi aduerſus humanas doctrinâs omnes differenti eorum proferre liceret ſiue querimonias ſiue rationes qui in Hortenſio earundem ſectatores doctrinarum ac fautores tantopere exercuerunt: intelligeretis enim ex Ethnicis plurimos eóſque prudentia & authoritate grauiſſimos in eiuſmodi doctrinas exarſiſſe: ſicque exarſiſſe, vt cum patria nihil eſſet eis antiquius, nil pace, moderatione, iuſtitia videretur optabilius, Poëtas tamen & Oratores, mox etiam Muſicos, Aſtrologos, Philoſophos, ab Reip. gubernaculis arcendos exiſtimarint. Quid? nónne Romanus Senatus (vt eſt apud Gellium) ad Rhetores atq; Philoſophos, quippe iuuentuti Reipublicaéque pernicioſos, expellendos, Senatuſconſultum promulgauit? Mitiſſimus verò Imperator Veſpaſianus, cuius tempora Alcionei quaſi dies viſa ſunt, quibus inter ſæuiſſimas Neronis Domitianíque tempeſtates ſuos Eccleſia fœtus ederet ac propagaret, nónne omnem ſibi animi facilitatem exuendam cenſuit cum in Philoſophos, quos etiam vrbe ſtatim exulare iuſſit, incidiſſet?. Nam de Domitio Ahenobarbo & L. Licinio Conſulibus, de Lacedæmonijs, ac ſexcentis alijs qui item in Mathematicos, Phyſicos atque huiuſmodi doctrinarum Cultores grauiter animaduerterũt, Oratoribus verò ſilentium tanquam frenum quoddam iniiciendum putarunt, dicere longum eſſet ac propemodum infinitum.

Sed fortaſſe profanos authores vobis hac in re audiendos, atque eorum opinioni aſſentiendum negabitis: quin potiùs noſtratium, qui nimirum veram religionem ſecuti ſunt, ſententiam requiretis. Sed me dies ipſa deficiat, Auditores, ſi horum quoq; iudicia ac veluti ſuffragia exquirere lubeat. Etenim aureus ille orationis fons Chryſoſtomus, cùm in hanc rem diligenter intueretur, eò adductus eſt, vt non modò Philoſophorum verba cum Euripis, opiniones cum ſepulchris, contulerit, verùm etiam clariora eorundem decreta, ex quibus enumerauit plurima, errores multos atque adeò hæreſes peperiſſe affirmauerit. Denique hos non ſapientię ſed Superſtitioni & Idololatriæ ſtuduiſſe, non Deum ſed ſaxa coluiſſe, vno verbo Dæmonem magiſtrum habuiſſe, teſtatus eſt.

Neque verò Nazianzenus magnus ille Eccleſiæ Doctor, aut Cæſarienſis Euſebius ſentire aliter viſus eſt. Siquidem ille hæreticos vocare non dubitauit Philoſophorum diſcipulos, atque in primis contendere Iulianum hoc eſt infenſiſſimum Chriſtiani

nominis

nominis hoſtem,ab illis venenum hauſiſſe: hic verò Philoſophorum ſtudium cum inutile iudicauit,eoſdémq. inconſtantię plenos,diſcordiarúmq. artifices cenſuit,tum Chriſtianæ doctrinæ ac veritati mirificè repugnare. Sed & Hieronymus, magnus ſanè ac Religioſiſſimus author,doctrinis hiſce deguſtatis omnibus ac peruolutatis,tandem a Poëtarum,Dialecticorum,Philoſophorum deniq; nos lectione arcebat, quòd ij in obſcuritate & vanitate ambularent. Qua in re eò etiam progreditur vt Philoſophos gloriæ mancipia appellet, eorundémque decreta modò idola,modò Aegyptiorum primogenita,iubeat nuncupari.

Lactantius verò cũ ipſe quoq; humanæ ſapientiæ curricula longè latéq. peragraſſet,grauiſſimis nos admonebat verbis viros plurimos atque eos alioquin nõ mediocriter eruditos idcirco nutaſſe in fide quòd ex Poëtarum, Rhetorum, Philoſophorũ ſcriptis venenum vnà cum melle hauſiſſent. Sed quoniam Lactantii mẽtionem feci, quæſo vos Auditores attendite quo pacto author hic diſertiſſimus hanc ipſam quæſtionem aduerſus Ciceronem, quippe inconſtantem ac varium,egerit ac diſſeruerit. Cum enim in egregiũ hunc eloquentiæ parentem incidiſſet qui in Philoſophiæ oppugnatores his verbis inſultaret, Quiſquámne vituperare vitæ parentem & hoc parricidio ſe inquinare audeat & tam impiè ingratus eſſe? Nos ergo (exclamauit continuò) parricidæ ſumus M.Tulli & in culeum te iudice inſuendi,qui Philoſophiã negamus parentem eſſe vitæ? At tu qui aduerſus Deum tam impiè ingratus es (nõ hunc cuius effigiem venerans in Capitolio ſedentem,ſed illum qui Mundum fecit, hominémq. figurauit) magiſtram tu virtutis,aut parentem vitæ vocas,ad quam,ſi quis acceſſerit, multò ſit incertior neceſſe eſt,quàm priùs fuerit? cuius enim virtutis? quam,vbi ipſa ſita ſit,adhuc Philoſophi non expediunt. Cuius vitæ? cum ipſi Doctores ante fuerint ſenectute ac morte confecti,quàm conſtituerint quomodo viuere deceat? Cuius veritatis indagatricem profiteri potes? qui ſæpè teſtaris cum tãta fuerit multitudo Philoſophorum,ſapientem tamen adhuc extitiſſe neminem. Quid ergo te magiſtra illa vitæ docuit? ſtuduiſti Philoſophiæ: & quidem ſic vt nullus vnquam diligẽtiùs: quippe qui omnes cognoueris diſciplinas,ſicut ipſe gloriari ſoles; eámque ipſam Latinis literis illuſtraueris,imitatorémque te Platonis oſtenderis. Cedo igitur quid didiceris: aut in qua ſecta veritatem deprehenderis. In Academia ſcilicet quam ſecutus es, quam probaſti? at hæc nihil docet niſi vt ſcias te nihil ſcire. Tui ergo te libri arguunt cum nihil a Philoſophia diſci poſſit ad vitam. Hæc Lactantius. Nam de Tertulliano viro antiquiſſimo illo quidem ac doctiſſimo nihil attinet dicere. hic enim eſt qui non modò Hermogenẽ reprehendebat,quòd in Philoſophiæ ſtudium incumberet, verùm etiam aduerſus humanas doctrinas tanquam in funeſtiſſimã Chriſtianæ Religionis corruptelã ſic clamabat,Hæ ſunt doctrinæ hominum & Dæmoniorũ prurientes auribus, natæ de ingenio ſapientiæ ſæcularis: quam Dominus ſtultitiam vocans, ſtulta Mundi in confuſionẽ etiam Philoſophiæ ipſius elegit. ea eſt enim materia ſapientiæ ſæcularis, temeraria interpres diuinæ naturæ & diſpoſitionis: ipſe denique hæreſes a Philoſophia ſubornantur. Inde Aeones & formæ neſcio quæ, & trinitas hominis apud Valentinum: Platonicus fuerat. Inde Marcionis Deus melior de tranquillitate: a Stoicis venerat. & vti anima interire dicatur, Epicurus obſeruatur: & vt carnis reſurrectio negetur,de vna omnium Philoſophorum ſchola ſumitur. Et vbi materia cũ Deo æquatur, Zenonis diſciplina eſt. Et vbi aliquid de igneo Deo allegatur,Heraclius interuenit. Eædem materiæ apud Hæreticos & Philoſophos voluntantur: iidem retractatus implicantur. Quid ergo Athenis cum Hieroſolymis? Quid Academiæ & Eccleſiæ? Quid Hæreticis & Chriſtianis? Noſtra inſtitutio de portico Salomonis eſt: qui & ipſe tradiderat Dominum in ſimplicitate cordis eſſe quærendum. Viderint qui Stoicum & Platonicum & Dialecticum Chriſtianiſſimum protulerunt. Sic iſte. Quapropter egregiè ſanè & eleganter cecinit Prudentius.

Quid non libido mentis humanæ ſtruat?
Quid non malorum pruriat?
Statum laceſſunt Omnipollentis Dei
Calumnioſis litibus.
Fidem minutis diſſecant ambagibus,
Vt quiſque lingua eſt nequior,

Soluunt ligántque quæſtionum vincula
Per ſyllogiſmos plectiles.
Veh captioſis Sycophantarum ſtrophis.
Veh verſipellis aſtutiæ.
Nodos tenaces recta rumpit regula,
Infeſta diſſertantibus.
Idcirco Mundi ſtulta delegit Deus
Vt concidant Sophiſtica:
Déque imbecillis ſubiugauit fortia,
Simplex vt eſſet credere.

Quæ omnia eò mihi ſolidiora videri ſolent ac tutiora, quòd & Salomon eiuſmodi doctrinas occupationem peſſimam appellauerit,& Apoſtolus, quaſi diuinæ veritatis perturbattricem, cœleſtibus ſæpè vocibus increpuerit Philoſophiam.

Quæ cum ita ſint, quouſque tandem medicatis Poëtarum lenocinijs aut ſucatis. Oratorum blandimentis pertentari animos veſtros ſinetis? Quandiù captioſis ac fallacibus Dialecticorum præſtigijs illudi vos patiemini? Quem ad finem ſeſe effrenata iſta ac præceps pernicioſæ ſapientiæ iactabit cupiditas? Nihil ne tenebricoſæ mutuóque pugnantes Philoſophorum ſententiæ, nihil theatralis Oratorum oſtentatio, nihil mendacia ac turpitudines Poëtarum, nihil contracta ex iſtorum inuentis labes, nihil Maiorum noſtrorum iſthæc exectantium voces, vos commouebunt? Videte, videte per Deum immortalem, ne iis ſtudiis Chriſtiani homines in Chriſtiana Academia gloriemini, quibus maximè ethnicorum ſapientiſſimi iam miſerè apud inferos erubeſcunt. Animaduertite ne patriam, iuſtitiam, religionem iis artibus tueamini quibus illi ad omnem impietatem & iniuſtitiam prolapſi ſunt. Cauete ne inde vobis aditum aperiri exiſtimetis in cœlum, vnde illis exitium patuit ſempiternum. Etenim quid quæſo tam diſſimile inueniri poteſt quàm humanæ ſapientiæ ſectator & Chriſtianæ legis amator & cultor? Quid Græciæ diſcipulus & cœli? gloriolæ captator ac negociator æternæ vitæ? Verborum & ſactorum artifex atque molitor? Veritatis oppugnator & propugnator? inimicus & amicus erroris? Dæmonis Dæmonis (mihi credite) ſunt fucata iſta & adumbrata ſapientiæ inuenta & lenocinia. Nam quemadmodum Mithridates olim a Romano Imperatore profligatus ac Patrio Regno in Armeniam pulſus, maximam auri vim & argenti obuiis expoſuit hoſtibus, vt dum eorum præſtringeret oculos & caperet, eoſdémq. hiſce illecebris retardaret, victoriam illis veluti è manibus extorqueret: ita inſenſiſsimus Chriſtiani nominis hoſtis dum ab Eccleſiaſticæ militiæ Duce in cœleſti illo prælio deuictus & profligatus, in ſuas ille latebras conijceretur, pulcherrima Poëſis, Eloquentiæ, Philoſophiæ atque huiuſmodi artium ſemina, hoc eſt curioſitatis & ambitionis incitamenta ac iuuentutis illecebras & corruptelas, diſſeminare cœpit. diſſeminátq. per ſuos ſatellites indies magis: nimirum vt nos adumbratis eiuſmodi bonis captos adulteriniſq. voluptatibus mancipatos, a diuinæ ſapientiæ perceptione retardet, ac ſolidis & immortalibus religionis fructibus priuet. Quamquam vereor ne leuiſsimè & obſcurè rem grauiſsimā attigerim. Eam itaque clariùs ſi quomodo potero explicatiúsq. complectar, atque ita etiam complectar, vt diuinorum oraculorum præceptis vtar & documentis.

Ergo quod olim Dei populo capta Iericho accidiſſe legimus, vt Achan auream linguam, coccineum pallium, argenti denique ſiclos plurimos de Anathemate cū tuliſſet, vniuerſam gentem polluerit ac macularit, vindicémq. ſceleris irā prouocarit, id ipſum maioribus noſtris inter Chriſtianos legimus contigiſſe. Etenim profanis ſtudiis atque doctrinis, ſeu potiùs oblectamentis ac lenociniis deliniti, auream linguam, hoc eſt eloquētiam, coccineum quoque pallium, nimirum Poëſim; quamplurimos denique argenti ſiclos, ideſt multiplices Philoſophorum opiniones vſurparunt, quibus ſi non Eccleſiam, at certè ſeipſos, a lióſq. propè innumeros contaminantes, Chriſtianæ fidei deſertores, hæreſúmque authores atque propagatores, effecti ſunt. Vt quemadmodum humanum genus vix conditum propter curioſam ſciēdi cupiditatem ſexcentis detrimentis affectum, immo verò proſtratum ac perditum eſt; ita etiā vix erectum atque reſtauratum ob non diſsimilē curioſitatem nouis calamitatibus opprimeretur. Et ſanè ſi diuinorum Oraculorum ſenſus paulò attentiùs exploremus,

Digitized by Google

mus, quid aliud ſignificare exiſtimabimus luculẽtas ſiliquas quibus veſcebatur prodigus ille filius, niſi impuriſſimas ethnicorum doctrinas? Quid Ciniphes, quibus percuſſi ſunt Aegyptij, præter Dialecticos? Quid ranas, niſi loquaciſſimos Poëtas? Sed & Sycera, dum eius potatio interdicebatur Nazaræis, quid aliud obſecro præmonſtrabat, niſi ab humana ſapientia abſtinendum eſſe ijs, qui Chriſto ſunt mancipati? Impudentiſſimus verò Abimelech, qui Sanctiſſimo Patriarchæ Iſaac aduerſabatur; an nõ appoſitè Philoſophi perſonam expreſſit? Quin etiam Aegyptium a quo Hebræus ille oppugnabatur, nonne fatebimur indicare Ethnicorum Philoſophiam pietati reluctantem: & idcirco veluti de medio tollendam eſſe, quemadmodum a Moſe interfectus eſt Aegyptius ille? Quid? meretricis mercem, quæ in Sancta Sanctorum induci haud poterat, caniſque precium quod altari offerri prohibebatur, quis non videt ad externas doctrinas eſſe referenda? Denique vniuerſas Aegyptiorum plagas ipſiſſimam humanarum diſciplinarum eſſe imaginem nemo ſanè qui rectè ſentiat dubitabit. Declarant hæc antiqua illa ſuperiorum ætatum monumenta: quæ, ſi cũ Chriſtianis conferantur, nihil niſi denſiſſimas tenebras & cæcorum mortalium ſomnia præſeferunt. Quamobrem luſtrare obſecro priſcorum ſapientum Academias, adite Aegyptiorum ſacraria, conſcendite Babiloniorum turres, penetrate Indorum fines, legite Gallorum verſus, percurrite Romanorum annales, Græcorum fabulas, ac libros Philoſophorum diligenter euoluite, eiſdémq. ſplendidiſſimam Euangelij lucẽ obijcite, ac ſtatim ipſius veritatis ruinam, facem & incendium eſſe intelligetis. Nec mirum: ſunt enim ſenſus: inſidioſi adminiſtri, infidi ſatellites, tardi nuncij, impuri fontes, errorum denique ianuæ atque magiſtri. vt propterea niſi Philoſophia contempta, auocemus animos a ſenſibus & a corporis caligine quamlongiſſimè diſcedamus, in perpetuis erroribus verſandum ſit: tantum abeſt vt pulcherrimum ſapientiæ aſpectum liceat intueri. Quocirca mirentur ſanè alij ac toto animo commoueantur cum audiunt Salomonem Regem qui diuinitus hauſerat ſapientiam, tandẽ poſthabitis diuinæ legis præceptis, meretricijs delicijs atque adeò idolis ſeruiſſe. Nos enim Chriſtianos potiùs demiramur, & obſtupeſcimus qui aſperſi Chriſti ſanguine, Spiritu Sancto imbuti, diuinis myſterijs initiati, Sacroſanctas edocti Euangelii doctrinas, Chriſto, Chriſto inquam, refecti, Deíque ipſius domicilium ac templum vel ſupra omnem beatarum mentium conditionem effecti; humanarum tandem artium oblectamentis, quaſi veneficijs quibuſdam & cantionibus occupantur, percelluntur, dementantur.

Hæc habui quæ in præſentia pro iis afferrem qui humanas doctrinas exagitant & inſectantur. Nunc vt equis conditionibus certaremus, vtinam tantundem mihi & virium & temporis ad eoſdem oppugnandos hodierna die ſupereſſet. Fore enim ſperarem, vt facilè intelligeretis, nihil iſtorum opinione impudentius, nihil turpius, nihil abſurdius excogitari potuiſſe: denique veteratores iſtos Naturæ ipſi repugnare ac gigantum more cum Deo bellum gerere. Niſi tamen eò ſtupiditatis & amentiæ prolapſi ſunt, vt ne ipſius quidem vel Naturæ vel Dei vim ac maieſtatem ſecum ipſi reputent ac meditentur; ſed belluarum more propemodum ac modò, vnũ ſenſum ſectantes ſibi viuendum exiſtiment. Dum enim nos a præclaris doctrinarum auocant ſtudiis, atque humanæ vitæ nihil ornamenti relinquunt, nihil præſidii, mihi quidem in turpiſſimam Epicuri clemẽtiam relabi, ac Naturæ vim admirabilem Deúmque ipſum verbis potiùs quàm animo aut opinione agnoſcere ac venerari. Verùm quoniam eò me temporis adduxerunt anguſtiæ, vt in præſens, niſi humanitate ac patientia veſtra longiùs abuti velim, huic muneri ſatisfacere nequeam, dabitis mihi hanc veniam Auditores, vt rem totam in poſterum diem reiiciam. Ita enim fiet vt humanarum doctrinarũ ratione & cauſa diligenter a nobis ſuſcepta & perorata, ac proinde iudicatione vniuersóq. controuerſiæ ſtatu optimè conſtituto, tibi quidem Cardinalis Ampliſſimè ac ſapientiſſimè rem omnem ritè omnino iudicare atq; decernere liceat. Et ſanè dici vix poteſt, Ornatiſſime CYNTHI, quàm præclaram opinionem expectationémq. concitaueris apud omnes cum ante ſexennium ex Polonia ac Germania Romã rediens, optatiſſimum Pontifici Maximo attuliſti nuncium de pace inter Regios Principes cõſtituta. Quæ ſanè opinio & expectatio longè aucta eſt, cum in Germaniã rediturus, vt Hippolyto Aldobrandino Cardinali, a quo ad Põtifi-

Digitized by Google

cem Legatus fueras, obuiam procederes, Patauij, hoc eſt in celeberrimo doctrinarum omnium Theatro, atque adeò ſapientiæ arce, vbi mihi etiam tua virtute frui licuit, menſes aliquot ſubſtitiſti. Itaque nemo fuit ex florentiſſimæ illius Vrbis, ac propè dixerim Orbis, Nobilitate (hanc enim ex Italiæ, Galliæ, Germaniæ, ad totius ferè Europæ flore collectam eſſe non te fugit) qui incredibilem comitatem humanitatémque tuam non celebraret: qui prudentiam, rerúmque gerendarum peritiam non admiraretur: qui optimarum artium doctrinarúmque varietatem, maximè verò pietatem, reíque diuinæ ſtudium non prædicaret: qui denique multas magnáſque virtutes tuas, ſuauiſſimóſque mores non extolleret. Huc accedebat quòd cum conſtans fama eſſet te adoleſcentem ab Iohannis Aldobrandini Cardinalis, quem non ita pridem Vrbs doctrina, authoritate, ſanctimonia florentem vnicè dilexit, látere nunquam diſceſſiſſe: atque in clariſſimum hoc ſapientiæ lumen, integritatiſque exemplum intuentem, illius tum facta, tum dicta omnia diligēter obſeruaſſe: paulò verò poſt Iohanne immatura morte nobis adempto, in Hippolyti ſinū confugiſſe, in quo diuinæ humanaéq. virtutes mirificè elucere cœperant omnes, haud ſanè poteras niſi magnificam ac propè ſingularem de te expectationem apud homines concitare. Verùm cum ſuperioribus menſibus Romam ipſe rediјſſem, vnde ſeptennio ante diſceſſeram, téque animaduerterem Hippolyto ad Petri ſedem euecto tantam animi moderationem retinere: tam admirabilem in audiendis omnibus facilitatem, in iuuandis charitatem, & (vt ſemel dicam) in grauiſſima quæ tibi a Pontifice Maximo impoſita eſt negociorum mole ſuſtinenda, non modò conſtantiam, fidem, æquitatem; ſed prudentiam, conſilium, ſapientiam adhibere, vt in hac terrarū orbis Regina omnibus charus ſis, in omnium oculis animíſq. verſeris, tibíque bona omnia omnium hominum ordines optent, incredibili ſanè gaudio atque voluptate perfuſus ſum. Vt ipſe quidem in præſens, quoniam tuo Auunculíq. ſanctiſſimi nomine huic Theatro præſidere, mihíque pro tua incredibili facilitate ac benignitate aures præbere, non dubitaſti, cum triumphare mihi quodammodo videar, tum verò te, te inquam CARDINALIS optime ac ſapientiſſime, inſtituti certaminis iudicem ac diſceptatorem exoptandum (quod enixè facio) ac depoſcendum exiſtimem. Interim tamen vos, vos inquam Almi huius Gymnaſij Doctores appello, ad vos confugio ſupplex, vos enixè obſecro & obteſtor, vt quod ego verbis bonarum artium ac doctrinarum ſuſcepi patrocinium, id nos factis ipſis ſtrenuè obire ac generoſa contentione profiteri ne grauemur. Veriſſimè enim dici poteſt Academiam hanc noſtram Chriſtianæ Europæ atque adeò orbis terræ Magiſtram eſſe debere. Quapropter, quod nos in bonis hiſce artibus diſciplinìſque tradendis ſiue ingenij & exercitationis, ſiue doctrinæ ac ſapientiæ, ſiue denique moderationis & integritatis, ſpecimen dabimus, id ſanè cum Romæ, tum apud exteras gentes omnes, germanum erit ac proprium Humanarum doctrinarum columen, id facilis ac certa defenſio. Ad quam rem, quoniam currentes hortari nunquam obfuit, ſanctiſſimus idémque ſapientiſſimus Pontifex Clemens, vos (quod & mihi ipſe de eius pietate & charitate polliceor, & qui eius nomine hîc præeſt nobis Illuſtriſſimus Nepos, ore ac vultu declarat) cupidè impenſéque cohortatur, ſuúmque nobis hac in re præſidium, opem, ſtudium, auxilium offert & pollicetur.

DIXI.

Digitized by Google

ORATIO XLVIII.

Siue Actio Secunda in Philoſophiæ humanarumque doctrinarum obtrectatores.

Habita in Almo Vrbis Gymnaſio, dum in inſtituto Philoſophiæ interpretandæ munere pergeret.

DVm ſtaret olim Romana Reſpublica, fuit quidem cur a Populo Romano vnius vel Actoris vel Rei gratia magnus in forum ac Iudicia cōcurſus fieret: atque ab Auditoribus ſubſellia vndique cōplerentur. Etenim hinc intuebantur depeculatorem ærarij, vexatorem Aſiæ, prædonem Iuris Vrbani, labem atque perniciem Siciliæ, eum denique qui vſque adeò ingentem pecuniç vim rapuiſſet, vt profiteretur, imò verò gloriaretur, nihil tam ſanctum aut munitum fore quod ipſe auro non facilè eſſet expugnaturus. Illinc contra reſpiciebant Romanæ eloquentiæ Parentem, ac Senatorē ſapientiſſimum & integerrimum: qui vt talem ac tantam Iudiciorum turpitudinem infamiámq. depelleret, in forum aduerſus huiuſmodi Reum atque adeò monſtrum deſcenderat certaturus.

Vobis verò Præſules Reuerendiſſimi, cæteriq. Auditores ornatiſſimi, quibus placuit hodierno quoq; die frequentes adeſſe, & Ampliſſimū hoc Gymnaſium ſplēdore veſtro cōplere & illuſtrare, erit ſanè cur Actoris, ſiue Oratoris facundiam requiratis. Fateor enim me non modò ab Actoris illius eloquentiæ quamlongiſſimo interuallo abeſſe, verùm etiā ab omni dicendi virtute & facultate (quod equidem & ſentio & doleo) imparatū huc acceſſiſſe. Sed tamē improbos philoſophiæ obtrectatores, flagitioſos liberaliū doctrinarum calumniatores, iuratos ſapiētiæ hoſtes, peruerſos veritatis oſores, virtutis ipſius perniciē ac labem, oppugnari audietis; quiq. Gigantū more nō ſolū Naturæ repugnare, & cum Cœleſtibus bellum gerere, ſed humanæ ſocietatis ſplendorē ac decus, Solem ipſum, ſi fieri poſſit, de Mūdo tollere, moliuntur. Et quanquam externa quoq; die eorum improbitatē expoſtulaui, cúmq. eorū, vt fit, partes egiſſem, tale ac tantū portentum ſim deteſtatus, id tamen prolixiùs ac maiore adhuc contentione faciendū decreui hodierna die. In qua ſanè (vt fidem liberem meā) cum Philoſophiæ virtutem ac laudē longè ac latè perſequar, tum rationum momentis ac pondere tāquam robuſtiſſimis machinis (vt ſpero) aduerſatiorum conatus euertam ac frangam. quin etiam ſigillatim (niſi tamen temporis prohibebor anguſtiis, ita vt tertium quoque diem inſtitutæ defenſioni addere cogar) aduerſarias rationes ſic enodabo ac diluam, vt in Authorum caput eas (niſi me ſpes fallit) retorqueam atq; conuertam. quæ omnia dum facio, vos Patres ſapientiſſimi, cæteriq. Auditores nobiliſſimi, qui non grauatè me hoc quoque die præſentia veſtra cohoneſtaſtis, quæſo pro ſingulari humanitate veſtra, diligenter, quod cœpiſtis attendite.

Ergo qui Philoſophiam humanáſque doctrinas tam facilè ſpernunt, ſed quid dico ſpernunt? immo verò reprehendunt, ac tanquam humanæ ſocietati pernicioſas atq; funeſtas damnant, ij mea quidem ſententia ne illud quidem ſatis intelligunt, ſe homines eſſe. Cur enim ab optimo rerum omnium parente Deo ratione & intelligentia ornatus eſt homo, niſi vt mentem & intelligentiam exerat ad rerum contemplationem, atque hinc ſapientiam, quod eſt Philoſophiam, adipiſcatur? Cur rurſus inter animantes vnus homo procêro corpore ac vultu eſt conſtitutus, niſi vt Cœlum ſpectaret, atque admirabilem hanc rerum vniuerſitatem expenderet animo, & ad beatas denique mentes Deúmq. ipſum cognoſcendum atque contemplandum ſibi aditum aperiret? Natura (inquit Magnus dicendi intelligendique Author M. Tullius) cæteras animantes abiecit ad paſtum: ſolum hominem erexit, & ad cœli, quaſi cognationis domiciliiq. ſui, conſpectum excitauit. Denique homo ortus eſt (inquit) ad Mundum contemplandum & mirandum: atque idcirco, excitatus, celſus, erectus factus eſt, vt Cœlum intueretur, ac Dei caperet cognitionem.

Quin etiam vertes ille Philoſophorum Plato ea maximè de cauſa oculos tributos cenſuit homini, vt Cœlum ſtellâſque ſuſpiceret, indéque ad Philoſophiam ac ſapientiam ſibi viam putaret: etſi enim fatetur alia plurima eſſe oculorum commoda, atq; horum ope id etiam aſſecutum eſſe hominem, vt Agriculturam, Medicinam, Picturam, aliáſque huiuſmodi artes multas didicerit, quibus cæteri carent animantes, veruntamen hinc maximè Aſtrologiam, Geometriam, Philoſophiámque vniuerſam, quod eſt rerum humanarum ac diuinarum cognitionem, conſequutum ait, ita fieri vt cum huius præſidijs non in contemplatione modò verùm etiam in actione verſari poſſit egregiè, ac cœtus hominum regere, & moderari, nihil diuinius homini tribui potuiſſe videatur. Quid; an non aures in homine, id quod egregiè docet Peripateticorum Princeps, diſciplinæ quoque gratia fictæ ſunt, ad doctrinas capeſſendas, ac ſummatim vt Philoſophiam ac Sapientiam comparemus? ſic ſanè. ita vt Muſici quoque concentus (id quod cæteris haud accidit animantibus) vim perſentiant & harmoniæ, ſimúlque vt eatum iudicium eſt ſuperbiſſimum, & offenſiones & quæ in abditis quibuſdam proportionibus ſitæ ſunt, ſuauitates diiudicent. Nam de lingua nihil attinet dicere, facile enim eſt animaduertere eo conſilio a Natura vel potiùs ab Naturæ Authore Deo homini fuiſſe tributam, vt animi quoque ſenſa diſtinctè & perfectè exprimat, vt rerum cognitionem cæteris mortalibus impertiat, vt denique ſapientiam communicare valeat atq; hominum ſocietati aut etiam poſteritati traſmittere & propagare?

Iam verò quis non admiretur in homine incredibilem illam memoriæ fœcunditatem atque adeò fœlicitatem qua totius propemodum æui res geſtas ediſcunt aliqui aut iuſtas conciones, ſed quid dico conciones? imò verò quicquid ampliſſimis doctrinarum voluminibus & monumentis continetur, recordantur atque commemorant? at id aperto argumento eſt hominem ad doctrinas capeſſendas ac ſapiẽtiam ſibi comparandam conditum eſſe. Quis præterea non ſuſpiciat admirabile humani corporis temperamentum, vnde non modò cæteros animantes longo interuallo ſuperamus verùm etiam (id quod is qui toto corpore fuſus eſt tactus declarat) innumeras rerum differentias ac notitias percipimus? Id autem omnino clamat hominem a ſapientiſſimo rerum Opifice fictum eſſe ad Philoſophiam, & vt ſapientiæ gloria excellat. Quapropter nunquam mihi quidem in mentem venit celeberrimum ac laudatiſſimum Oraculum illud (quiſquis eius fuerit Auctor) γνῶθι σεαυτὸν, quin intelligam, homini Philoſophiam magnopere commendari, ac præcipi ſapientiæ ſtudium. ſiue enim iuberet Oraculum vt ſe ipſe agnoſceret homo, quod ſit μικρόκοσμος, ac paruus mundus, quod eſt Mundi epilogus, imò verò imago & ſimulacrum, ſiue rurſus illi reuocaret in mentem, ſic mente & intelligentia, ſic ſenſibus ac temperatione, vno verbo animo & corpore, confirmatum eſſe, vt ad contemplationem procreatus ſit ac fictus, facilè intelliget ad pulcherrimum Philoſophiæ ſtudium ac ſapientiã excitari. Quod ſi Aegyptius ille Sacerdos, qui ob incredibilem ſapientiæ magnitudinem Termaximus eſt appellatus; poſt diuturnam & accuratam humanæ naturæ cõtemplationem, illud exclamauit, Magnum miraculum eſt homo, eo ſine dubio ſpectabat quòd admirabilem quaéque nullis verbis efferri ſatis poſſit tum corporis temperationem & conſtitutionem, tum mentis animique vim & præſtantiam, tum in primis eius notitiam ac rerum Cœleſtium terrenarúmq. ſcientiam, addo etiam in rebus gerendis imitandiſq. ſolertiam & artificium, reputaret. quæ omnia aduerſus Philoſophiæ atque humanarum doctrinarum oſores, hominem contemplationi atq; actioni, atque adeò Philoſophiæ ac ſapientiæ, ortum eſſe teſtantur.

Sed imprudens ſim ego, Auditores præſtantiſſimi, ſi Philoſophiæ dignitatẽ breui hoc temporis ſpatio perſequi velim: ſiue enim conditi hominis finem (quod inſtitueram) reputemus, vnde ſtatim atque adoleuimus, ad pulcherrimũ hoc Mundi Theatrum Deúmque ipſum contemplandum adducimur: ſiue facilitatem ac propenſionem ſpectemus quam ad diſciplinas optimáſque artes in nobis ingenerauit Natura: ſiue ingenij celeritatem æſtimemus atque virtutem qua ad res tum contemplandas tum gerendas præditi ſumus: ſiue præſtantiam ac decus intueamur quod in iis ipſis elucet qui doctrinis exculti ſunt: ſiue vtilitates varias enumeremus, quas tum priuatim tum publicè capimus ex rerũ notitia & cognitione; præſertim verò ad tyrones

ac

Digitized by Google

ac rudes inſtruẽdos, & mortales ipſos barbarie ac veluti ſtupiditate & feritate exuendos, dicam ſemel, ad vitia fugienda amplectendáſq. virtutes, profectò Philoſophiam humanáſque doctrinas colendas fateamur neceſſe eſt. Vt interim honeſtam voluptatem prætermittam & iucunditatem quam ex huiuſmodi ſtudiis haurit animus: quæ ſanè talis eſt ac tanta vt corporis voluptates diſpereant ſtatim & euaneſcant ſi cũ puris illis ac ſynceris animi delicijs conſerantur. Itaque egregie, vt ſæpè ſolet; M. Tullius, Cæteræ, inquit, voluptates neque temporum ſunt ætatúmq. omnium neque locorum, adde etiam neque liberales atque ingenuo viro dignæ omnes. Contra verò quæ ex doctrinarum ſtudijs capiuntur voluptates, adoleſcentiã alunt, ſenectutẽ oblectant; ſecundas res ornant, aduerſis perfugium ac ſolatium præbent; delectant domi, non impediunt foris; pernoctant nobiſcum, peregrinantur, ruſticantur. Quid multa? cum Philoſophia reuera aliud ſit nihil niſi veritatis amor ac ſtudium, quis Philoſophiam contemnat, qui veritatis decus ac pulchritudinem ſine qua in ſqualore iacent omnia & tenebris obruuntur; contemnat? Vt mihi quidem orientem ſolem haud cernere, aut etiam in meridiana luce tenebris obrui videatur, qui Philoſophiæ decus non ſentit ac dignitatem.

Quamquam quoniam aduerſarij vehementer iactant multorum ſapientum dicta atque ſententias, vnde Philoſophiam humanáſq. doctrinas omnes in inuidiam adducunt, quin Eccleſiæ quoque Patres atque adeò ſacras literas proferunt quibus illæ iugulari videantur, age dum ipſi quoque (ne nõ præclariſſimis huiuſmodi teſtimoniis abundare non videamur) germanam Patrum ſententiam aperiamus, & quàm grauiter de humanis doctrinis retinendis colendíſq. decreuerint, doceamus.

Ergo Nobilis ille doctrinarum omnium cultor & æſtimator egregius Clemens Alexandrinus, teſtari non dubitauit ac luculẽtè diſputare. humanas diſciplinas a Deo profectas eſſe ac deriuatas: ac propterea cum a Deo manent, iure optimo a nobis excipi & coli. Quin etiam docuit diuinam prouidentiam, quippe quæ ſingula admirabili conſilio diſtribuit & ſapientia, Iudæis legem tribuiſſe; Græcis verò ac Barbaris Philoſophiam largitum eſſe, quæ legis inſtar eſſet ac fœderis: idque vt vtrique, ſi rectè illis vterentur, ad Chriſtianam Philoſophiã aditum inde ſternerent & fundamentum. atque hac de cauſa Dialecticam cum Lidio lapide confert, Philoſophum comparat cum Trapezita. quòd his artibus veritas a falſitate diſcernatur. Hinc etiã non dubitauit appellare Philoſophiam artium: humanarum Reginam, virtutis ac vitę ducem ac viam, diuinæ ſapientiæ radium, Theologiæ ipſius præſidium ac vallum. Quo nomine ad ſacræ Hebræorum arcæ, ad tabernaculi, ad templi, cognitionem, quæ ſanè in diuinis literis eſt pulcherrima ac neceſſaria, perbellè refert Geometriæ vſum: quaſi verò non ſolùm profanis ædibus, ſine quibus ægrè ſtare poteſt humana ſocietas, verũ etiam ſacris Deóq. dicatis, ſit referenda. Pſalmodiæ verò diuiníſque laudibus, moribus præterea componendis ornandíſq. oſtẽdit Muſicam (ſi tamen non lymphata ſed pudica ſit ac moderata) conferre plurimùm: Aſtrologiæ quoque mirum eſt quàm copioſè proſequatur vtilitates. nam & nauigationi (inquit) magnopere confert, & Agriculturæ quibus carere haud poteſt humanum genus: & ad peruidendas ac percipiendas anni tempeſtatúmque varietates; adde etiam Medicinæ opportunitates, momentum habet maximum. nam cœleſtium corporum internallis, Mundi figuræ, ratis Cœli aſtrorúmq. conuerſionibus, intelligẽdis, vnde niſi deſipimus, mirificè ad Diuinam ſapientiam ac prouidentiam agnoſcendam attollimur, percommodã eſſe, nemo inficietur. Hæc & id genus alia de Aſtrologiæ cõmodis Magnus hic Author. qui rurſus monet Dialecticam, quippe quæ doceat diuidendi, definiendi, ac demonſtrãdi rationem & viam, tum captioſis ſophiſtarum argumentis diluendis, tum veritati ipſi peruestigandæ atque tuendæ, valere plurimùm. Denique longiùs ſanè quam inſtitueram, protrahatur oratio ſi fructus item & vtilitates percenſere velim, quæ (ſi Clementem audiamus) ex reliquis Philoſophiæ partibus, humanarúmque diſciplinarum omnium ſtudio & tractatione tum agendo tum contemplando capere liceat: mihi enim vt exitum aliquando inueniat noſtra oratio, multa etſi præclara prætereunda ſunt de induſtria.

Neque verò a Clementis ſententia diſceſſit eius Auditor Origenes qui: ſanè, vt aliquid excerpam delibem quam breuiſſimè, diſertè oſtendit humanam eruditionem, veritati,

Digitized by Google

ritati, prudentiæ, virtuti denique ac Dei ipſius cognitioni, ſeruire: ac propterea Philoſophiam humanáſq. doctrinas nihil aliud exiſtimandas aut appellandas quàm veritatis ſtudium & cognitionem; rectéq. viuendi rationem, in primiſq. Diuinæ ſapientiæ aſſeclas & adminiſtras. Quo nomine Abimelech duóſq. illius ſocios, qui tãdem cum Iſaac ineunt fœdus, atque ab eodem excipiuntur conuiuio, eleganter retulir ad tres Philoſophiæ partes, quæ cum Theologia coniunctæ, cæleſtibus diuinorum oraculorum dignantur epulis.

Iam verò Theodoretus, hoc eſt is qui Græcos Authores diligenter peruolutauit expendítque, cum alia multa diſſeruit pro humanis diſciplinis, tum illud edocuit, eas in boni veríq. cognitione atque ſcientia verſari: ac propterea non ſolùm omniũ virtutum vias atque adeò Virtutem ipſam ac Sapientiam continere, verùm etiam ad diuinas diſciplinas nobis aditum aperire, vnde in Cœlum, hoc eſt ad beatarum mentiũ domicilium, conſcendamus. Quapropter eas cum ijs laudibus ornauit quibus ſenſerat a Platone celebrari, tum vt Chriſtiani viri eas toto pectore amplectantur & colant hortatus eſt. Id quod egregiè quoq; fecit author grauiſſimus idémq. ſanctiſſimus, Damaſcenus, cum enim eos reprehenderet qui clamarent Philoſophiam Chriſtiano viro eſſe reſpuendam, docuit rerum humanarum & diuinarum cognitionem continere: nos Deo ſimiles reddere: denique cœlitus delapſam a Patre luminum, a quo nihil niſi perfectum (id quod Apoſtolicæ quoque voces declarant) profectum eſt.

Sed dum propero Auditores ac ſtudeo breuitati, video a me ex Græcis Patribus quamplurimos eſſe prætermiſſos, de quibus, ne præpoſtero ordine diſputarẽ, ab initio dicendum fuerat. Nam & Magnus ille Areopagita Dionyſius, Iuſtinus martyr, Baſilius, Nazianzenus, Chryſoſtomus, Nyſſenus, Cæſarienſis Euſebius, vterque Cyrillus, recurrit in mentem, qui multò antea totum hoc humanæ ſapientiæ ſtudium celebrarunt. Quamquam, vt ratio temporis habeatur, & verò ex Latinis curſim ſaltẽ aliquid delibare liceat (horum ſiquidem teſtimonijs non vti nobis turpiſſimũ eſſet) ſat ſit in præſentia ad reliquos Græcos veluti digitum intendiſſe ac prouocaſſe. præſertim verò cum ea quæ ex Clemente atque alijs referebam, de ſingulis humanæ ſapientiæ partibus earúmq. vſu & commodis nos edoceam copioſè.

Sed vt iam ad Latinos deflectam, ſanè Auguſtinus (quo caue putes quenquam ingenij ac ſapientiæ laude clariorem floruiſſe aliquando) ſcribit Ethnicorum diſciplinas ac Philoſophiam torpentes animos excitare, atque a terrenis fluxíſq. rebus ad cęleſtes ac ſempiternas attollere. id quod ſibi ipſe eueniſſe ſcribit Ciceronis Hortenſiũ lectitanti, in quo Philoſophiæ laudes explicarentur. Quapropter eos qui Philoſophiã pugnarent fugiendam, nil aliud moliri aiebat, quàm vt ne Sapientiam diligeremus & amplecteremur. Et egregiè quidem ac prope diuinè. Poſuit enim Deus immortalis in conſpectu hominis lucentem hunc Mundum tanquam pulcherrimum diuinę artis ac ſapientiæ ſpectaculum; atque vberrimam admirationis ſegetem, vt Opificis ſapientiam contemplantes, & agnoſcentes illum perpetuò diligamus ac veneremur. Et hac de cauſa cum moneret profanas doctrinas vtiliter vſurpari a nobis poſſe, & ad optimum vſum, non ſecus ac Dei populus olim Aegyptiorum opes Dei honori retuliſſet, conuerti ac reuocari, Nonne aſpicimus (aiebat) quanto auro & argento & veſte ſuffarcinatus exierit de Aegypto Cyprianus Doctor ſuauiſſimus & martyr beatiſſimus? quanto Lactantius? quanto Victorinus, Optatus, Hilarius? vt de viuis taceam, quanto innumerabiles Græci? Quod prior fideliſſimus Dei famulus Moyſes fecerat. Sic Auguſtinus. Qui ſanè rurſus liberales diſciplinas ſigillatim enumerat: ac quem quæque habeat vſum & vtilitatem multis magníſque demonſtrat rationibus: quas tamen, ne ſim prolixior, libenter prætereo. illud tamen nõ præteribo illud nobis acutè interim in mẽtem reuocare, Philoſophiam nos de rerum omnium principio & authore Deo, déque admirabili eiuſdẽ ſapientiã admonere ac docere, ac non modò diuina myſteria non ſpernere aut labefactare, ſed etiam efficere vt non ſecus quàm veritas poſtulat illa explicemus & intelligamus. Neque verò ab Auguſtini ſententia abfuerat vel Ambroſius, vel Hieronymus, vel quiſpiam alius qui deinde longo ordine conſecuti ſunt Eccleſię Patres; a quibus tamẽ, ne prolixiore oratione ſim moleſtior, ſuperſedeo. idque eò libẽtiùs, quòd Hieronymus fortaſſe opportuniore loco prodibit qui ab naſcentis Eccleſiæ initijs ad ſuam vſque extremam ætatem, longo ordine il-

los

los recenſeat qui diſciplinas humanas coluiſſent in Eccleſia, nec ſine magno humanæ ſocietatis fructus ac bono coluiſſent. Denique pro Latinis Patribus hac in re ſint ſacrorum conciliorum ſummorúmque Pontificum ſanctiones atque decreta, quibus publicè fidelibus teſtatum eſſe voluerunt, Philoſophiam cæteráſque humanas doctrinas iurè ac meritò retineri atq; vtiliter cum diuinis quaſi aſſeclas & adminiſtras, coniungi & copulari. Vt propterea Scholaſtici quoque Patres, qui poſterioribus ſæculis in Eccleſia floruerunt. in primis verò ſummus humanæ ac diuinæ ſapietiæ Doctor B. Thomas, quem Scholaſticorum Auguſtinum meritò appellaueris; Philoſophiam, humanáſq. diſciplinas pari ſtudio & conſenſione retinuerint, quas veluti nobiliſſimas ancillas Sacræ Theologiæ miniſterio non ſine ingenti vtilitate ac decoro adhibere ſolent atque coniungere.

Sed quoniam aduerſarij ſacratum literarum & ſymbolis & præceptis ac documentis agunt (ſi tamen appoſitè intelligentérq. agunt; de qua re diſceptabimus poſtea) age dum obſecro iiſdem agamus ipſi quoque, & candidè ſynceréq. (hoc eſt Patres ipſos ſectantes) illa ad humanas artes ac diſciplinas tuendas referamus.

An non ſapientiſſimus Vniuerſitatis Procreator ac bonorum omnium Author Deus tum Solem tum Lunam & ſtellas cōdidit, atque illum quidem vt præeſſet diei, has verò vt præeſſent ac lucerent nocti? ſic ſanè. nam hac quoque de cauſa Pater luminum appellatur. Quis igitur non videat Solem quippe qui per diem coruſcat ac fulget, Sacræ Theologiæ, Lunam & Stellas quæ a Solis ſplendore ac luce longo interuallo ſuperantur, Philoſophiæ humanarúmq. doctrinarum, germanum eſſe ſymbolū ac ſimulacrum? præſertim verò cum humanæ doctrinæ a diuina ſapientia ſuam accipiant lucem ac decus, non ſecus ac Luna & Stellæ lucem illæ ſuam a Sole accipiūt ac mutuantur. Vt omittam humanas doctrinas omnes, ſi cum diuina comparentur, vix ac ne vix quidem ſplendorem ac decus referre vllum, perinde ac Luna & Stellæ præſente Sole lucem atque ſplendorem amittunt. Hinc nonnulli tria munera a Magis oblata, ad tres referunt Philoſophiæ partes, quibus illi excellerent: idque ea de cauſa, quòd hæ etiam quippe quæ diuinitus acceptæ ſunt, ac Deo authori ſuo debentur, offerendæ ſint diuino Regi. aurum etiam & argentum, quibus expoliari Aegyptios iuſſit Deus, eleganter transferunt ad Gentium eloquentiam & ſapientiam, quæ a nobis vſurpanda, & in meliorem vſum transferenda ſint. Alij per fermentum ac mel, quorum primitias non adolere in ſacrificium, ſed offerre tantùm iubebātur Hebræi, Ethnicorum eloquentiam atque doctrinas intelligūt quas Domino offerre deceat. Nonnulli etiam acutum gladium ex Goliæ manu exortum a Dauide, Philoſophiæ aptant, qua inſultantes Hæretici confodiendi ſint: ac tres puteos, viſionis ſcilicet abundantiæ, iuſiurandíque, triplicem in Patriarchis ſapientiam, quæ naturæ, morum, diſſerendiq. rationem tradit, deſignare exiſtimant.

Hinc etiam & Oſeam ex fornicaria muliere, & Abraham ex Agar antequam ex Sara, liberos ſuſcepiſſe; hoc eſt ex profana Philoſophia, priuſquàm ex ſacra, fructus colligiſſe monent: & Moyſem, alienigenam, humanam ſcilicet eruditionem, in vxorē accepiſſe, quæ ad liberalem educationē habet vtilia multa. Sed & illud accōmodatū eſt ac ſcitum, quod captiuam mulierem, tametſi alienigenā, in vxorem duci permittebat Deus, abraſa tamē cæſarie, abſciſſis vngnibus, mutata denique veſte: id quod externam ſapientiam ſignificarē autumant, quam ſuperfluis reſecatis, externóque faſtu in Chriſtianam humilitatē conuerſo, a nobis excipi volunt. Eodem quoque nomine Moabitidem mulierem ad Dei populum adductam affirmant, quo nimirum Ethnicorum Philoſophia non repudiaretur aut exularet, ſed cum diuina intimè coniungeretur. Comparant etiam Philoſophiam cum admirabili ſcala illa quam per viſum Iacob aſpexit, eam videlicet ob cauſam, quòd per ipſam tanquam per gradus aſcendamus ad rerum diuinarum contemplationem. Quibus omnibus addunt nihil aliud ſignificari ancillarum illarū nomine, quæ (vt plerique exponunt) vocantur ad arcē, niſi humanas doctrinas, quæ tanquam ancillæ miniſtrant cœleſti Philoſophiæ: nihil demonſtrari varietate illa qua diuinus Pſaltes ornari vidit deauratum Reginæ veſtimentum, niſi liberales Græcorum artes ac diſciplinas, quæ Sacræ Theologiæ, quippe doctrinarum Reginæ, ſeruiunt, eius veluti veſtem decorantes. Hæc ſymbola. quibus ſanè vt ijs quoque ſuffragiis atque præſidijs vtat quibus nulla poteſt ſubeſſe obſcuritas,

& verò

& verò pondus habent maximum; Salomon mirificè fauet ac ſuffragatur: quandoquidem cum de Sapientia loqueretur & naturalem Philoſophiam æſtimaret, vocauit illam Dei ſcientiam. idem etiam monuit, a Domino omnem ſapiētiam eſſe profectam: ac propterea nos hortabatur vt intelligamus ſermones prudentiæ, verſutiáſque verborum, parabolas & obſcurum ſermonem, dicta ſapiētum & ænigmata. Quæ ſanè (ſi Hieronymo credimus) propria ſunt Dialecticorum atque Philoſophorum. Atque huc pertinet diuinum illud lumen quod ſāctiſſimus vates affirmabat in nobis impreſſum eſſe. Huc quòd Deus excellenti ſapientia ornauit Adamum, Salomonē, & Beſeleel: quorum priores rerum naturalium ac ciuilium, poſterior rerum fabrili opere gerendarum notitiam perfectè callebat. Huc quod Moſes omni Aegyptiorū ſapientia dicitur imbutus: Daniel omni eruditionis genere inſtructus: cautus in omni doctrina ac diſciplina memoratur: qui ſanè ſi huiuſmodi diſciplinas, aut pernicioſas, aut vtilitatis expertes reperiſſent, vitaſſent ſanè illas, quemadmodum tū reliquas eius gentis ſuperſtitiones, tum delitias ac regias epulas vitarunt. Huc etiam multa pertinent quæ attigit Apoſtolus dum loqueretur de Ethnicorum ſapientia. Nam præterquam quòd ex iis quæ ſub aſpectū cadunt, percipi ait quæ ſolo cernuntur animo, quod eſt germanum Philoſophiæ munus, ſanè cum Areopagitas compellaret, tum profanam illam aræ inſcriptionem

Ἀγνώστῳ, τῷ θεῷ

vſurpauit: tum eam heroici partem ex Arato arripuit,

Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν,

vt fidei noſtræ ſuaderet veritatem. Atque huc pertinet quod vt Corinthios Titúmque ipſum, quod eſt Eccleſiæ tam præſides & adminiſtros quàm ſubiectos populos, ad prudentiam verámque pietatem inſtitueret, & Menandri Senarium illud ex Thadia afferebat,

Φθείρουσιν γὰρ ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί.

& Epimenidis teſtimonium vrgebat

Κρῆτες ἀεὶ ψεῦσται, κακὰ θηρία, γαστέρες ἀργαί.

Accepiſtis, Auditores Præclariſſimi, ac pro veſtra ſapientia, vt ſpero, æſtimaſtis, rationes varias & multas, ac ni magnopere quidem fallor, perſpicuas & graues; quibus Philoſophiæ humanarúmq. doctrinarum dignitas atque præſtantia declaratur. Audiſtis etiam quàm egregiè vndique tum Eccleſiæ Patres tum in primis diuinæ literæ iiſdem patrocinentur & faueant. Quapropter nihil eſt quod in præſentia vel Triſmegiſti rurſus, vel Pythagorę & Platonis, vel Ariſtotelis, aut etiam Galeni, qui ſanè luculentam pro ingenuis diſciplinis Diſputationem habuit; ſeu Plutarchi, quem bonarū artium præconem fuiſſe conſtat; aut aliorum Ethnicorum qui noſtras haſce diſciplinas celebrarint, ſententias ac laudationes proferam, quas earum vituperatoribus opponam. Nam vt omittam ſententiam noſtram altiùs fuiſſe confirmatam quàm vt nouis egeat argumentis. ſanè vires priùs ac dies me deficiant, quàm vel obſignatas iſtorum omnium tabellas excipere ac proferre valeam.

Eò potiùs conuertenda eſſet oratio, vt, quod paulò ante pollicitus ſum, Aduerſariorum argumenta diluerent, atque adeò illorum temeritatem audaciámq. retunderem. quin etiam eorundem machinas (nam id quoque receperam) in authorum caput perniciémq. conuerterem. Quod tamen, ne orationem longiùs quàm par eſt, protraham hodierna luce, ac ſingulari patientia & humanitate veſtra abuti videar, in diem inſequentem reijciam. Quod ſi rem tantiſper differo, enitar ſanè vt cum aliquo fœnore fidem liberem meam. Ita quidem ingenuę artes ac diſciplinę quantum in nobis erit, in ALMO HOC GYMNASIO perpetuò vigebunt & effloreſcent.

ORA-

Digitized by Google

ORATIO XLIX.

Siue Actio Tertia in Philoſophiæ humanarumque doctrinarum obtrectatores.

Habita in Almo Vrbis Gymnaſio, dum pergeret in inſtituto Philoſophiæ interpretandæ munere.

CArneadem ferunt cum Romam Athenienſium legatus veniſſet aliquando, & in Curiam ac Senatum de more introductus eſſet, tam diſertè & copioſè expoſuiſſe quæ ab Athenienſibus accepiſſet mandata, vt omnium aures atque animos ſua ille facundia eloquentiáq. compleuerit. Hic igitur vt ſuæ rurſus eloquentiæ ſignificationē daret, rurſúſque Romanorum aures oblectaret, biduum adhuc poſtulauit in quo ſibi dicendi poteſtas fieret. Quod cum impetraſſet, pro iuſtitia primùm tam loculentam orationem habuit ac perdiſertam, vt Senatum vniuerſum incredibili iucunditate affecerit, atque in ſui admirationem omnes conuerterit. Tum poſtero die, ne ſuſpicantibus quidem illis, pro iniuſtitia tam grauitèr copioſéque diſſeruit, vt nemo non eius oratione commotus ſit. Itaque grauiſſimus atque integerrimus Senator Caro eum quaſi bilinguem ex Vrbe primo quoque tempore dimittendum exiſtimauit.

Ego verò pro Philoſophia ſic mihi dicendum propoſui, vt cum eam ſemel atque iterum commendauerim, pari conſtantia & ſtudio eandem tertio quoque mihi ornandam celebrandámq. decreuerim. præſertim verò, vt obtrectatorum argumēta, quoniam attingere illa neceſſe fuit ac perſequi, ſigillatim iam coarguam: atque illorum machinas in eos ipſos retorqueam. Vt enim inertiſſimi defenſoris fuiſſet aduerſariorum diſſimulare argumenta, æqui & ingenui ea proferre & enarrare, ita iiſdem reſiſtere ac repugnare iuſtiſſimum: eádem etiam tanquam è manibus arma illis extorquere, iiſdémq. iugulādis adhibere, glorioſum. Quamquam antequam cominus planè cum hoſtibus iis congrediar, facere non poſſum, quin Hieronymi hoc eſt eius qui Hebraicam omnem, Græcam, Latinam denique eruditionem peragrauit animo, locum, eúmque, ſi quo modo poſſim, memoriter totidémq. verbis, referam. Spero enim fore vt hinc hoſtes commodè aggredi liceat atque laceſſere.

Ergo cum magnus hic Author doctiſſimorum virorum ſtudium vel ab Chriſtianæ Eccleſiæ incunabulis agnoſceret & quantopere ingenuarum diſciplinarum amore & cupiditate flagraſſent, reputaret; Ioſephus (inquit) antiquitatem approbans Iudaici populi duos libros ſcripſit cōtra Appionem Alexandrinum Grammaticum, & tanta ſecularium profert teſtimonia, vt mihi miraculum ſubeat quomodo vir Hebræus, & ab infantia ſacris literis eruditus, cūctam Græcorum bibliothecam euoluerit. Quid loquar de Philone, quem vel alterum, vel ſecundum Iudæum Platonē, Critici pronunciant? Curram per ſingulos. Quadratus Apoſtolorum diſcipulus, & Athenienſis Pontifex Eccleſiæ, non ſine Adriano Principi Eleuſinæ ſacra inuiſenti librum pro noſtra religione tradidit? & tantæ admirationi omnibus fuit, vt perſecutionem grauiſſimam illius excellens ſedaret ingenium. Ariſtides Philoſophus, vir eloquentiſſimus, eidem Principi apologeticum pro Chriſtianis obtulit, contextum Philoſophorum ſententijs: quem imitatus poſtea Iuſtinus & ipſe Philoſophus, Antonio pio & filijs eius, Senatuiq. librum contra Gentiles tradidit, defendens ignominiā crucis, & reſurrectionem Chriſti tota prædicans libertate. Sic primum Hieronymus. & paulò poſt, Pātænus Stoicæ ſectæ Philoſophus ob præcipuæ eruditionis gloriam a Demetriano Alexandriæ Epiſcopo miſſus eſt in Indiam, vt Chriſtum apud Brachmanas & illius generis Philoſophos prædicaret. Clemens Alexandrinæ Eccleſiæ Presbyter, meo iudicio omnium eruditiſſimus, octo ſcripſit Stromaton libros, & totidem ὑποτυπώσεων, & alium contra gentes, pœdagogi quoque tria volumina. Quid in illis indoctum, immo quid non è media Philoſophia eſt? Hunc imitatus Origenes, decem ſcripſit

Digitized by Google

ſcripſit Stromateas, Chriſtianorum & Philoſophorum inter ſe ſententias compatãs: & omnia noſtræ religionis dogmata de Platone & Ariſtotele, Numenio, Cornutóq. confirmans. Scripſit & Miltiades contra gentes volumen egregium. Hippolytus quoq; & Apollonius Romanæ Vrbis Senatores propria opuſcula condiderunt. Extant & Iulij Africani libri, qui temporum ſcripſit hiſtorias: & Theodori, qui poſtea Gregorius appellatus eſt, viri Apoſtolicorum ſignorum atque virtutum, & Dionyſij Alexandrini Epiſcopi: Anatolij quoque Laodicenæ Eccleſiæ Sacerdotis, nec nõ preſbyterorum Pamphili, Pierij, Luciani, Malchionis, Euſebij Cæſarienſis Epiſcopi, & Euſtathij Antiocheni, & Athanaſij Alexandrini: Euſebij quoque Emiſeni, & Triphillij Cyprij, & Aſterij Scythopolitæ, & Serapionis Confeſſoris: Titi quoque Boſtrenſis Epiſcopi: Cappadocúmq. Baſilii, Gregorii, Amphilochii: qui omnes in tantum Philoſophorum doctrinis atque ſententiis ſuos refarciunt libros, vt neſcias quid in illis primùm admirari debeas, eruditionem ſeculi, an ſcientiam ſcripturarum. Veniam ad Latinos. Quid Tertulliano eruditius, quid accutius? Apologeticus eius, & contra gentes libri, cunctam ſeculi obtinent diſciplinam. Minutius fœlix Cauſidicus Romani fori, in libro, cui titulus Octauius eſt, & in altero contra Mathematicos (ſi tamen inſcriptio non mentitur Authorem) quid gentilium ſcripturarum dimiſit intactum? ſeptem libros aduerſus gentes Arnobius edidit, totidémq. diſcipulus eius Lactãtius: qui de ira quoque & Opificio Dei duo volumina condidit: quos ſi legere volueris, dialogorum Ciceronis in eis ἐπιτομὴν reperies. Victorino martyri in libris ſuis licet deſit eruditio, tamen non deeſt eruditionis voluntas. Cyprianus quod Idola Dii nõ ſint, qua breuitate, qua hiſtoriarum omnium ſciẽtia, quorum verborum & ſenſuum ſplendore perſtrinxit? Hilarius meorum confeſſor temporum & Epiſcopus, duodecim Quintiliani libros & ſtylo imitatus eſt & numero: breuíque libello quem ſcripſit contra Dioſcorum Medicum, quid in literis poſſit, oſtendit. Iuuencus presbyter ſub Conſtantino hiſtoriã Domini Saluatoris verſibus explicauit, nec pertimuit Euangelii maieſtatem ſub metri leges mittere. De cæteris vel mortuis vel viuentibus taceo, quorum in ſcriptis ſuis & vires manifeſtæ ſunt & voluntas. Nec ſtatim praua opinione fallaris, contra gentes hoc eſſe licitum, in aliis diſputationibus diſſimulandũ: quia omnes penè omnium libri, exceptis his, qui cum Epicuro literas non didicerũt, eruditionis doctrinaéq. pleniſſimi ſunt. Hæc inter cætera magnus hic Author. Quæ cum ita ſint, mirum eſt qui tandem Aduerſarii noſtri Virtutis & Sapientiæ, qui in plerique Chriſtianæ fidei, cultores videri velint, quíſque ſe totam hanc Cõtentionem diuinæ ſapientiæ gratia ſuſcepiſſe profiteantur; nec tamen cenſeant ſibi in eorum veſtigiis ſeu ſtudiis inſiſtendum, qui Sapientiam toto pectore amplexi ſunt, ac fidem noſtram glorioſis vigiliis propagatunt.

Sed iam dicamus de ſingulis. etſi enim quæ ex Hieronymo commemorauimus, apud æquum rerum æſtimatorem ſatis declarant aduerſariorum iniquitatem, lubet tamen cominus planè cum illis congredi. Ac primùm quidem cum Seneca qui primus in acie ſeſe offert, decertemus. Et ſanè cum ſeptem integros libros conſumpſerit in Phyſicis quæſtionibus, incõſtantiam illi hoc tempore liceret obiicere, qui quod coluit ſtudium, tam acriter reprehendit. ſed vt pet humaniter cum illo agam ac liberaliter, illud commemorabo, videri tandem ſibi ipſum moderationem tanquam frenum quoddam iniicere aut adhibere in Philoſophiæ ac doctrinarum accuſatione: nã fatetur eas animum ſaltem præparare ad Virtutem. Siquidem poſt longas illas querelas, Cur ergo (inquit) liberalibus ſtudiis filios erudimus? non quia virtutem dare poſſint, ſed quia animum ad accipiendam virtutem præparant. Quemadmodum prima illa (vt antiqui vocabant) literatura per quam pueris elementa traduntur, non docet liberales artes, ſed mox percipiendis locum parat. ſic liberales artes non perducunt animum ad virtutem ſed expediunt. Hæc & alia multa prudentiſſimus Philoſophus. Quamobrem cum eam Philoſophiæ partem quæ mores inſtituit ac vitam, diuinis propè laudibus celebret, cæterarum verò diſciplinarum tractationem virtuti inſeruire fateatur, ſententiæ noſtræ fauet non mediocriter. Quod ſi acriter adhuc inſectatur Philoſophos, quòd ſcientiam negarent aſſentionémq. prohiberẽt, aut etiam curioſiùs philoſopharentur, id ſanè minutos quoſdam Philoſophos, vel potiùs Sophiſtas, attingit, non veram Philoſophiam. An nõ tibi minuti Philoſophi ne dicam Sicophantæ

phantæ videntur ij qui ad ſyllabas vſque deſcendunt: qui de coniunctionis, propoſitioniſq. proprietate contendunt: qui de leuiſſimis voculis ne dicam nugis altercantur? Nonne Sophiſtæ habendi ſunt ij qui pugnant aut nihil planè eſſe; aut ea quæ ſeſe oculis offerunt in hac vniuerſitate, verè non eſſe, aut nihil magis eſſe quàm non eſſe? At Sophiſtas iſtos, minutos Philoſophos illos, inſectatur Seneca. Et huc pertinet. quod Pyrronios, Megaricos, & egregios huius ordinis philoſophos inſimulat: huc quod ad extremùm clamat, Illi mihi non profuturum præferunt lumen, per quod acies dirigatur ad verum: hi oculos mihi effodiunt. Si Protagoræ credo, nihil in rerum natura eſt niſi dubium: Si Nauſiphani, hoc vnum certum eſt, nihil eſſe certi: Si Parmenidi, nihil eſſe præter vnum: Si Zenoni, ne vnum quidem. Quid ergo nos ſumus? Quid iſta quæ nos circũſtant, alunt, ſuſtinẽt? Tota rerum natura vmbra eſt, aut inanis & fallax. Non facilè dixerim vtrum magis iraſcar illis, qui nos nihil ſcire voluerunt: an illis, qui ne hoc quidem nobis reliquerunt, Nihil ſcire.

At verò quæ M. Tullius malè moratis Philoſophis obiiciebat, ea nihil planè obſunt Philoſophiæ: id enim ipſemet oſtẽdit ſtatim agrorũ ſimilitudine. Nã vt agri (inquit ipſe) non omnes frugiferi ſunt qui coluntur, falsúmq. illud & improbè,

Etſi in ſegetem ſunt deteriorem datæ
Fruges, tamen ipſa ſuapte natura enitent:
Sic animi non omnes culti ferunt.

Atque vt in eodem ſimili verſer, vt ager, quamuis fertilis, ſine cultura fructuoſus eſſe non poteſt, ſic ſine doctrina animus. ita eſt útraque res ſine altera debilis. Cultura autem animi Philoſophia eſt, quę extrahit vitia radicitus, & præparat animos ad ſatus accipiendos, éaque mandat his, & (vt ita dicam) ſerit, quæ adulta fructus vberrimos ferant. Hæc Cicero. qui ſanè vt alibi appellat Philoſophiam animi medicinam, vitæ ducem atque parentem, artium matrem, vitiorum expultricem, virtutis indagatricẽ, magiſtram morum ac diſciplinę, munus inuentúmq. Deorum: útque eandem contendit caliginem pellere ab animo, vitæ tranquillitatem largiri, terrorem mortis auferre, & (vt alia multa prætercam) totam frugiferam & fructuoſam eſſe, ita etiã hoc in loco mira conſenſione negat animos ſine Philoſophiæ cultura frugiferos eſſe poſſe. Vt propterea quamuis magnum ſui deſiderium reliquerit nobis Ciceronis Hortenſius, in quo copioſiſſimè defendit ornauítque Philoſophiam, grauiſſimè tamen ſuam ſententiam teſtatam reliquerit.

Porrò Senatuſconſultum quo Rhetores ac Philoſophi ab Vrbe (id quod Lacedæmone etiam accidiſſe legimus, ſunt pulſi, reuera ea tantùm de cauſa hoc decreuit, quòd adoleſcentes earum diſciplinarum cupiditate incenſi, viderentur ab armis quibus vnis Imperium & parauerant & tuebantur, ad otium auocari. Quod ſanè temerè potiùs quàm ſapienter factum eſt: perinde ac temerè Lacedæmones rurſus imitarentur Romani dum ſua ſtudia ad arma potiùs referrent, & ad cæteras nationes ſubigendas; quàm ad pacem ac moderatum imperium.

Age verò de Veſpaſiano dicamus, qui ſanè expulit Philoſophos, non quòd apud eum malè audiret Philoſophia, ſed propter tumultus & errores, qui a Demetrio Cynico atque aliis non bonis Philoſophis diſſeminarentur: quibus etiam in Principem atque Vrbis perniciem vulgus ſolicitaſſe dicebantur. Nam alioquin Philoſophorum contumaciam (ſi Suetonio credimus) leuiſſimè tulit. Quamquam quæ magna illi tribui poteſt laus, qui Philoſophos pellens, Muſonium Babylonium quem alterum prope Apollonium Tyanæum dixeris, retinuit? Certè Nero ac Domitianus qui virtutes ipſas conabantur exſcindere, & in Philoſophis pellendis, perinde atque in Ciuibus necandis, mirificè cõſenſerunt, hoc vno viſi ſunt, quàm Veſpaſianus cordatiores, quòd eos qui magicas artes tractarẽt, haud paſſi ſunt in Vrbe verſari. Poſterior enim Muſonium quoque Babylonium, qui tamen fuerat Veſpaſiano charus, ab Vrbe exulare iuſſit: prior Magos omnes ac diuinos, vt tandem aliquando ſe illorum artibus deluſum ſenſit, exagitauit atque profligauit. Quamquam haud magnopere mirarer in Philoſophos etiam, dum ſine delectu eos expulit omnes, non ſine temeritate aliqua animaduertiſſe, qui in innocentem Dauidis ſtirpem crudeliter deſæuiſſet, ac quod fuit omnium flagitioſiſſimum, Meſſiæ affectaret nomen, ídque vel miraculis confictis turpiſſimè. Denique ſic habeto. Quemadmodum Ariſtophanes, Pacuuij,

Digitized by Google

Timones, Luciani, Iuuenales, Rhetores denique, Comici, Satyricíque multi in Philoſophis ridendis, ridendi ſunt: ita etiam Nerones, Veſpaſiani, ac Domitiani, quin & Spartiates, Argicci, Thebaníque in iiſdem Philoſophis explodendis, explodendi ſunt ac deſpiciendi. Nam quod ætate hac noſtra, & ſuperiore etiam, doctrinarum ſplendore apud Catholicos vndique coruſcante, non Agrippa ſolùm, ſed hæretici quoque multi, eas deteſtentur: ac Philoſophos non modò Vrbe, vt a Domitiano factum eſt, ſed orbe pellendos clament, nil mirum. Nam præterquam quod Donatiſtas, atque huiuſmodi alios quoſdam ſui ſimiles imitantur, quid eſt quod miremur lupos id machinari vt caulæ euertantur, & canes ab ouium cuſtodia ſubmoueantur?

Iam verò Chryſoſtomo Chryſoſtomum oppono: atque ab ipſo in fidei obtrectatores exardeſcente, ad pacatiorem prouoco. Qui ſanè vt intelligeremus adulterinos Philoſophos non Philoſophiam in vniuerſum a ſe damnari, conqueritur, ſapientiam in malum vſum fuiſſe conuerſam: ac propterea comparat illam cum vino, corporíſque robore, quæ natura bona ſunt; præpoſtero vſu mala. Deinde cur obſecro tu vir ſanctiſſime tot Philoſophorum volumina peruolutaſti? tot eorum decreta didiciſti? Ego verò, vt eos refellerem atque exterminarem. At hac ſaltem ratione Chriſtiano viro concedere debes eorum vſum. Quamquam ſi tot clariſſimorum virorum ſententias, tot etiam rationes vrgeam, quibus efficitur cautis viris ac moderatis Philoſophiæ ſtudio nullo modo eſſe interdicendum, an non libenter fatebetis non modò ad Ethnicos qui diuinis oraculis fidem nequaquam habent refellendos, imò & erudiendos, valere plurimùm; verùm etiam imbecillis, rudibus, in fide etiam nutantibus iuuandis, confirmandiſque; mortalibus denique omnibus, prudentia atque artibus quibus publico priuatóque bono conſulant, perpoliendis, eſſe pernecessariã? Ita ſanè: nam id planè Apoſtolum feciſſe video dum Infideles Areopagitas ad veritatem, fidelem Titum ad prudentiam, imbecillos Corinthios ad moderationem, informare ac prouehere niteretur.

Atque hac ipſa ratione illum Iudæis Iudæum, Græcis Græcum, omnibus omnia, factum eſſe opinatus ſum. Quo conſilio diuinum quoque Pſaltẽ cum Hebræis egiſſe monui aliquando. Quin etiam iam minimè repugnarem, quæ ad Naturæ atque Vniuerſitatis cognitionem pertinent, vbi ſacris literis explicandis vſui eſſe poſſint, ex Philoſophorum fontibus meritò hauriri: ac proinde veriſſimè tradi. Cœlum globoſum eſſe atque rotundum; variis quoque orbibus variari ac diſtingui: Sydera etiam ſuis eſſe infixa ſedibus, ac potiùs ad circulorum conuerſiones quàm per ſe ipſa conuerti: atque huiuſmodi alia doceri, de quibus aliquos apud noſtros, méque interdũ, addubitaſſe memini. Neque enim veritas pugnat cum veritate, aut recta ratio moderatáq. inueſtigatio diuinorum myſteriorum aſſenſioni obeſſe vllo modo poteſt. Sic fermè Chryſoſtomus.

Neque verò aliter de Nazianzeno iudicauerim. non enim veros Philoſophos, ſed ementitos tantũ reſpuit ac temerarios, vanáq. ac pernicioſa dogmata damnat quæ eo tẽpore Iulianus inter cæteros in Chriſtianã fidem impudentiſſimè iactabat, nõ ſolida atque germana. Atque hoc nomine Philoſophos appellat Patriarchas Hæreticorum nimirum quod Hæretici huiuſmodi decretis quorũ turpitudines etiã attingit, vti non dubitarent. Nam quanti fecerit veræ Philoſophiæ ſtudium, tum iis laudibus declarauit; quibus ob excellentẽ humanarum doctrinarum notitiã celebrat Baſiliũ: tum ſuimet oſtendit exemplo cum externa ſapientia ad miraculũ propè fuerit excultus. Quocirca nefarium Apoſtatam Iulianum qui cum non ſacris ſed profanis ratiocinationibus fuit agendum, iis ipſis quibus ille Chriſtianis inſultabat Ethnicorum armis, non oppugnauit ſolùm, ſed expugnauit ac fregit. Quod ſi interdum Philoſophos omnes carpere viſus eſt, atq; humanæ Philoſophiæ authoritatem in vniuersũ eleuare, id ſanè accidit partim, quòd illorũ mores ac vitã ſpectaret potiùs quàm præcepta: partim quòd eam conferret cum diuina Philoſophia, apud quam ceù ſtellæ coruſcãte Sole, ſplendorem omnem ac decus amittit. Nam idcirco in Iambis canebat rẽ bonam ſecutos Philoſophos, ſed non benè: eoſdémque oſtendebat humanæ gloriæ ac libidini ſeruiſſe: cum tamẽ ibidem ex variis Philoſophorum ſectis copioſè demõſtraret nihil virtute melius atque præſtantius reperiri. Quid plura? Nazianzenum diligenter euoluas: atque cum intelliges ex Ethnicorum ſcriptis, præſertim verò ex Platone,

tone, innumera propè non dicam ad Philoſophos refellendos, ſed ad Pietatis dogmata explicanda & illuſtranda, deriuaſſe in ſuos libros. Venio ad Euſebium, quó cum agam paucis. hic enim primò Ethicorum ſapiētiam confert cum Chriſtiana: quod dum ſit eam ſanè non inferiorem eſſe ſolùm, ſed ne legitimè quidem conferri poſſe, & fateor & prædico; vſque adeò longo relinquitur interuallo. Deinde in ijs libris quibus exagitat Ethnicos, aut vna aut maximè ſpectat ea quæ ad eorū cerimonias ac religionem ſeu potiùs ſuperſtitionem attinent: vt nimirum huius fœditate ac portentis patefactis, Ethnicis qui Chriſtianis quaſi auitæ religionis deterioribus calumniam creaſſent, impuriſſimum os obſtrueret. Nam alioquin Euſebius externam ſapiētiam, atq; Academicorum in primis plus ſatis interdum ſuſpexiſſe videri poteſt.

Porrò autem Hieronymus, ſi quis rectè illum euoluat, dubitationi locū reliquit nullum. etenim externas literas eſſe neceſſarias non modò non inficiatur ſed profitetur: ac propterea Origenem, Methodium, Euſebium & Apollinarem celebrat qui hac ratione infenſiſſimis Chriſtiani nominis hoſtibus Celſo atque Porphyrio fortiſſimè reſtitiſſent. Contra verò teſtatur Cyprianum hac in parte minimè fuiſſe laudatum, cum aduerſus Demetrium, hoc eſt Idolólatram, Prophetarum & Apoſtolorū teſtimonijs vſus fuiſſet potiùs quàm Philoſophorum & Poëtarum: quibus ad veritatem ipſam mortales docendam vti licere teſtatur ſæpè. Immo verò in Epiſtola quoque ad Damaſum; vbi profanas doctrinas nonnihil improbare viſus eſt, tandem vt quam alibi docuerat veritatem, omnino retineret, ſic ſcripſit. Huius ſapientiæ typus & in Deuteronomio ſub mulieris captiuæ figura deſcribitur, de qua diuina vox præcipit vt ſi Iſraëlites eam habere voluerit vxorem, caluitium ei faciat, vngues præſecet, & pilos auferat, & cum munda fuerit effecta, tunc tranſeat in victoris amplexus. Hæc, ſi ſecundum literam intelligimus, nónne ridicula ſunt? Itaque & nos facere ſolemus quando Philoſophos legimus: quando in manus noſtras libri veniunt ſapientiæ ſecularis: ſi quid in eis vtile reperimus, ad noſtrum dogma conuertimus. Si quid verò ſuperfluum, de Idolis, de amore, de cura ſecularium rerum, hæc radimus, his caluitium inducimus, hæc in vnguium morem ferro acutiſſimo deſecamus. Hæc Hieronymus. Vt propterea dum reprehendit non modò Rhetorum ac Poëtarum, ſed Dialecticorum Philoſophorúmque lectionem, partim in corruptos iſtorum mores inſpexerit, qui (vt eſt apud B. Paulum) humanam gloriam ſectarentur, libidinique & auaritiæ ſeruirent: partim obiurgare illos voluerit fideles, qui curioſiùs ac ſine delectu vllo philoſopharentur, quique his ſtudijs deliniti, ſpernerent ſacrarum literarum ſtudium: partim Ethnicorum audaciam reprimendam cenſuerit, qui pertemni humani ingenij ac Philoſophiæ luci temerè præſidentes, clariſſimam Chriſtianæ fidei lucem negligerent. Sed in primis præpoſterum Philoſophiæ vſum, ementitóſq. Philoſophos appetijt ſuis telis: cum ij Philoſophiæ nomine ac ſtudio abutentes, mirificè obeſſent fidei propagationi. Vt interim omittam inter eos Philoſophos extitiſſe neminem, qui non fuerit varijs erroribus implicatus: ac proinde non iniurioſè eorum authoritatem in vniuersùm eleuari.

Lactantius autem accommodatè fortaſſe premit M. Tullium, qui cum tantopere extolleret Philoſophiam, aſſenſionem tamen prohibebat, atque idololatriam quæ cū philoſophia pugnat, ſectabatur. Sed quoniam ad vnum M. Tullium, aut ad ſummū ad nouorum Academicorum inſtituta, traducit generalem quæſtionem, haud ſatis video quo pacto cæteras ſectas, philoſophiámque in vniuersùm attingat. At enim id facit dum ait, multos ideirco nutaſſe in fide, quòd ex Poëtarum, Rhetorum atq; philoſophorum ſcriptis venenum vna cum melle hauſiſſent. Facilè dicuntur iſta: ſed quod Poëtarum intereſt ac Rhetorum, non tam facilè oſtenduntur. A Poëtis enim quippe qui obſcœnitatibus referti ſunt plerique magnam ſanè morum corruptelam profectam eſſe non inficior. Fateor etiam per Rhetores, qui plerunque popularem auram captarent, aut auaritiæ mancipati eſſent, aliqua incommoda fuiſſe humanæ ſocietati importata. At quo pacto hæreſes ex illis hauſerint fideles, incompertum habeo: niſi tamen Gnoſtici aliqui, aut huius farinæ homines proferantur, qui ex Poëtis chaos atque alia quædam perpauca ſiue proferre ſiue obtendere ſolebant, vt ſuas ineptias, ſi quo modo poſſent, adornarent.

At verò ſi non ex Poëtis vſque adeò & Oratoribus, ex Philoſophis ſaltem expreſ-

ſæ ſunt hæreſes non paucæ. Eſto: ſed vel ex ementitis philoſophis vel ex veris: ſi ex prioribus, iam hos, vbi Chriſtianæ fidei aduerſentur, repudiandos eſſe non fatemur ſolùm, ſed profitemur. ſi a poſterioribus, id verò non ipſorum culpa, ſed legentium improbitate ac temeritate factum eſt. ſi enim ex diuinis literis, quæ è regione cum hæreſibus & falſitate pugnant, hæreſes innumeras ab improbis ductas videmus; quid mirum ſi ex humanis etiam nonnunquam per improbitatem ſint deriuatæ? Nam tu certè Lactanti, qui erroribus atque hæreſibus non cares, has non tam ex Philoſophis quàm ex ſacris voluminibus, tuo tamen arbitratu expoſitis, collegiſti. Ergo tua bona cum venia, peruerſa dogmata eliminabimus, excipiemus vera. Atque hoc pacto Philoſophiam, quoniam veræ ſapiētiæ indagatricem eſſe volumus, retinebimus. Tametſi interim non negabimus, te etiam qui Arnobium præceptorem ſecutus, Ethnicos fidei oppugnatores oppugnaſti, non mediocrem pietatis & eloquētiæ, immo & ſapientiæ interdum, laudem mereri.

Sed te iam Tertulliane appello, qui paſſim Philoſophos proſcindis ac damnas, atq; in primis clamas eſſe Patriarchas hæreticorum: ex Philoſophorum ingenio hæreſes omnes animari: a Philoſophia hæreſes ſubornari: ſubtiloquentiaéque ac Philoſophiæ regulis hæreſes omnes conſtare: atque illud primùm a te requiro; vnde tandem (vt innumeras hæreſes prætermittam, quibus vniuerſæ Philoſophorum ſectæ refragantur; tantum abeſt vt faueant) tuas illas collegeris hæreſes, quibus Vatiniano odio inſectaris ſecundas nuptias: pœnitentibus mœchis claudis Eccleſiæ gremium & (vt prætercam cæteras quæ ſunt plurimæ) Montanum, cuius etiam ſectator factus es, Paracletum feciſti. An tu hos errores (miſer) è Philoſophorum fontibus hauſiſti? ſi negas, iam calumnias abs te in Philoſophos conflatas ipſemet diſſoluis ac deſtruis: ſi affirmas; hos obſecro mihi fontes apud philoſophos oſtende. Quamquam cum non philoſophorum decretis, ſed diuinis ſcripturis, præpoſterè tamen a te expoſitis, tuas iſtas hæreſes tueri conatus ſis aliquando, ac vel illud Iohannis, Cum venerit ſpiritus veritatis docebit vos omnem veritatem, inſaniſſimo Montano de cuius cupa perpotaſti, turpiſſimè aptaueris, ſubterfugium tibi ſupereſt nullū. Deinde illud mihi reſpōdeas velim, cur tantopere Ethnicorū ſcripta philoſophorúmque decreta euolueris. Etenim illud veriſſimè affirmari poteſt, neminem ex Patribus (ſi tamen vnum atque alterum exceperis) reperiri, cuius lucubrationes plus aliquid quàm tuæ oleant Ethnicorum diſciplinas, præſertim ex Academia. Nam ingens quidem rerum externarum copia cernitur in Nazianzeno; maximè verò vbi obruit Iulianum: incredibili etiam earundem varietate ſparſus eſt Clemens, Iuſtinus, Euſebius: a quibus etiā haud longo interuallo ſuperatur Lactantius. Nam Origenē (ſi quæ extant tantùm, ſpectemus monumenta) inter hos ægrè retulerim. At tu, ſi tua ſcripta attētè legātur, quod attinet ad externā eruditionem, cum his omnibus decertaſti: aliquos etiam ſuperaſti. Iam itaque cur pernicioſa (vt tu vocas) horum librorum lectione fatigari tandiu volueris, reſpondeto. At verò me philoſophari coëgerunt hæretici, quemadmodum & Rhetoricari: atque ad iſtos refellendos id feci. Accipio excuſationem tuam: atq; eodem quo tu in philoſophia verſatus es nomine, ſtatuo idem ſtudium eſſe retinendū. quamquam tu quidem iniquus philoſophorum fuiſti Iudex, eorúmq. ſcripta toruo inſpexiſti oculo: qui falſa dogmata non modò curioſiùs veſtigas, improbáſq. liberiùs, recta verò diſſimulas libenter ac præteris (id enim eſſet tolerabile) verùm etiam hæc ipſa interdum aut detorques, aut etiam immeritò repudias & culpas. Nam id vel errores in quibus de Deo déq. humano animo diſſerens lapſus es, declarant luculenter, Sed clauſula hæc ſit, me, ſi tu quidem verè atque ex animo ſtatuas a Chriſtiana ſocietate omnino explodendam eſſe philoſophiam; libentiùs tot Catholicorum Patrum ſententiam amplecti quàm tuam: præſertim verò quia cum non potuèris nō ſæpiſſimè vti philoſophiæ initiis atque decretis, Platoniſq. interdum & aliorum quorundā ſententias in tuum vſum (quancumque tandem illis retuleris gratiam) conuertere, video te non rarò factis tua dicta refellere. Hæc ad Tertullianum.

Sed quid Prudentio? Eleganter ſanè ille ac ſuauiter; ſed tamen ſiquis rectè æſtimet, non bonos Philoſophos, ſed nc Philoſophos quidem inſectatur carminibus illis, ſed Chriſtianæ fidei hoſtes cū.n. in Chriſtianæ fidei hoſtes inſcribatur carmē, iniurij ſunt Prudentio & cōtumelioſi, qui Philoſophos, præſertim germanos, hoc eſt veritatis ac

ſapientiæ

ſapientiæ ſectatores, inde perſtringi volunt ac premi.

Sed a Prudentio ac Poëta nobili ad egregium ſapientię Magiſtrum, ad Salomonem inquam deuenio. qui ſanè per occupationem peſſimam (hiniam rah appellat ille) vel occupationem laborioſam intelligit, vt exiſtimant quidam (verè enim doctrinarum ſtudia laborioſa ſunt) vel triſtem atque moleſtam: ita vt peſſima dici poſſit noſtra hæc doctrinarum occupatio quia mirificè affligere ſoleat corpus, non quia turpis ſit ac flagitioſa. Dum verò de meretrice loquitur, atq; huius mores deſcribit, perperam ſanè meretrix in Philoſophiam conuertitur, cum de vera meretrice loquatur. Nam ſi quem iuuet ad morum quoque inſtitutionem, vt fit, ſapientis huius dictum reuocare, ſaltem ad carnis illecebram & ad corporis voluptatem, quod ſcirè fieret, fuerat reuocandum. Nam ad Philoſophiam, niſi frigidè omnino & importunè, traduci nullo modo poteſt.

De Apoſtolo autem nihil attinet dicere, non enim germanā ſapientiam reprehendebat quámque nos eo docente Dei eſſe donum oſtendimus, ſed ſapientiam huius Mundi, hoc eſt aſtutiam, de qua item ſcriptum erat, Comprehendā ſapientes in aſtutia ipſorum. Ac profectò dum Sophiſtæ illi & Chriſtiani nominis hoſtes ſpecioſum ſibi ſapientiæ arrogarent nomen, atque adeò ſibi ſapientes viderentur, ac ſi quid tandem veri percepiſſent, eo etiam per improbitatem abuterentur, quidni clamet magnus Dei Adminiſter in huiuſmodi ſapientes, ac temerariam eorum increpet ſapientiam? & eodem nomine reprehendebat quæſtiones ac pugnas verborum: intelligebat enim has non ex vera Philoſophia, ſed ab adulterina quámque inanem fallaciam vocat, denique ex curioſitate ac faſtu, deriuari. Atque ementitam hanc ſapientiam cui tantum tribuerent illi, placuit ſtultitiam appellare.

Sed iam expectet fortaſſe quiſpiam vt in Tragicas querelas illas quę poſtremo loco excitabantur, tragicè exclamem atque inueha r. Sed quorſum? An non ſatis conſtat ruinas illas ac detrimenta quę in humanam ſocietatem ex Philoſophorum ſparijs deriuaſſe dicerentur, a falſis mendacibúſq. Philoſophis aut etiam ex præpoſtero doctrinarum vſu eſſe profecta? conſtat ſanè. etenim Philoſophia quæ vna Philoſophiæ meretur nomen, a munificentiſsimo bonorum omnium Authore Deo in beneficii loco humani generis parenti primùm, tum cæteris mortalibus, conceſſa eſt, tantum abeſt vt a Dæmone malorum omnium architecto ac machinatore, inuenta ſit atque diſſeminata.

Quæ cum ita ſint, faceſſant iam obtrectatores importuniſſimi, & a Gymnaſio hoc noſtro abſint quàm longiſſimè. Nos enim Philoſophiam humanáſq. doctrinas eo conſilio amplectimur & interpretamur, vt mentem atque animum vera ſapientia excolamus: vt amicis, vt Patriæ, vt Religioni ſubſidio ſimus: in primis verò vt ad Vniuerſitatis Authorem Deum hiſce diſciplinis quaſi quibuſdam gradibus aſcendamus, cúmque in dies magis ac magis (vt par eſt) veneremur. In quod ſanè munus eò nobis diligentiùs eſt incumbendum, quòd in ornatiſsimo hoc Gentium Theatro ac Religionis arce verſamur, vnde nationibus reliquis diuinæ humanaéque ſapientiæ veluti fontem patêre oporteat, atque ad honeſtatem ac pietatem, &, vt ſemel dicam, ad Virtutem mortales vndique prouocari. vt proinde ex hac Academia atque Vrbe, cæteris vel Academiis, vel Vrbibus ſeu potiùs vniuerſo terrarum orbi (id enim maximè optat ſanctiſsimus Pontifex ac Paſtor Clemens) ad benè beatéq. viuendum, ſiue facem præferri, ſiue Ideam atque exemplum extolli, neceſſe ſit.

DIXI.

ORATIO L.

IN FVNERE FRANCISCI VIDVÆ.

Qui dum & Iuriſprudentiæ, quam publicè in Patauino Gymnaſio interpretabatur, & Eloquentiæ ac Philoſophiæ, laude floreret; ob egregiam verò pietatem morumq. probitatem omnibus charus eßet, in ipſo iuuentutis flore extinguitur.

Hanc ſcripſit Author vt Amico optimo hoc quoque officij genus perſolueret.

ETSI immaturo atque adeò acerbo Franciſci Viduæ obitu ſic afficior, Conſeſſus ornatiſſime, vt a lachrymis difficilè, a dolore nullo modo, temperare poſſim; haud tamen committam quominus viri optimi, mihique ſumma neceſſitudine atque omnibus amicitiæ officijs ac ſtudijs coniunctiſſimi, funeri præſto ſim, vt breui ſaltem laudatione, hoc eſt aliqua eius virtutis commemoratione, poſtremum hoc officij genus illi perſoluam. Quamquam enim inter lachrymas exareſcit oratio, & dolor alacritatem dicenti adimit ac facultatem, malim tamen indiſertus ac propemodum infans videri, ac ieiuna oratione vti, quàm meam erga amicum optimum, atq; omni virtutum laude ornatiſſimum, voluntatē ac beneuolentiam nō teſtatā relinquere.

Neque verò hoc tempore quicquam mihi dicendum puto de Viduæ noſtri vel ortu, vel puerili educatione. etſi enim in Patauina Vrbe ortus eſt quam gentium propè omnium, omniúmq. doctrinarum. domicilium Theatrúmque meritò dixeris; & ex honeſtis parentibus eſt procreatus, quíque in eam curam ſtrenuè incubuerunt, vt a prima ætate tum bonis moribus & pietate, tum verò puerilibus diſciplinis imbueretur (id quod è ſententia quoque illis accidit) ac diligenter excoleretur, me tamen haud iuuat ea commemorare, quę vel ad alienam laudem pertinēt, vel Viduæ noſtro cum Patria, cum Parentibus ac Maioribus, aut etiam cum ijs a quibus inſtitutus eſt, communia videri poſſunt. Etenim eam ſolidam laudem exiſtimo, eam veram gloriā atque perfectam, in cuius ſocietatem nemo ſeſe offert: ex qua nihil patria, nihil parentes aut maiores, nihil doctores atque magiſtri, nihil amici ſociíq. decerpunt: ſed quæ ſecundùm Deum tota Viduæ eſt, quámque ipſe ſibi vnus vigilantia, labore, ſtudio, induſtria, peperit & comparauit.

Dicam igitur de excellenti illius virtute ac præclaris animi bonis, in quibus vna laus ſita eſt, quibus ad Honoris Templum, ad honeſtæ Gloriæ faſtigium, ad beatam denique vitam contenditur. Qua in re vt certos mihi fines conſtituam vnde & recto ordine progrediatur, nec longiùs vagetur oratio, dicam priùs de ſingulari illius facūdia & eloquentia: tum de egregia illius doctrina & eruditione, ſed in primis de Iuriſprudentiæ cognitione: ad extremùm de optimis illius moribus Chriſtianíſq. virtutibus, vnde tum amicis omnibus charus ſemper fuit, tum aditum (vt omnino arbitror) ſibi in Cœlum ac beatam vitam aperuit.

Atque vt ab Eloquentia incipiam, quis obſecro noſtro hoc ſeculo, aut etiam ſuperiore, in hac Vrbe, etſi omnium doctrinarum ac virtutum laude clariſſima, talem ac tantam dicendi virtutem & copiam oſtendit adhuc adoleſcens? Cum enim ſummā ingenij, parémq. memoriæ (id quod paucis ſanè obtingere ſolet) vim atque vbertatē a Natura accepiſſet, & adoleſcentiam partim in orationis mūditie & cultura, partim in Philoſophiæ ſtudijs, vnde oratio efflorefcit, conſumpſiſſet; breui tantum profecit, vt cum cæteri eiuſdem ætatis adoleſcentes humanioris litteraturæ ponerent tyrocinia, ipſe iam Grammaticorum dumetis expeditus ac veluti in altum euectus, in Academijs declamaret, ac luculentas conciones haberet. Itaque mihi quidem cum eum nonnunquam audirem, ac ſatis animaduerterem in eo longè ſupra illius ætatis vſum,

ingenij

ingenij vim & rerum cognitionem, & memoriæ fœlicitatem, elucere, L. Lucullus redibat in mentem, in quo adhuc adoleſcente M. Tullius cum magnum ingenium atque optimarum artium ſtudium, tum verò memoriam ſummopere celebrauerat. Quid plura? vix ſecundum & vigeſimum annũ exegerat, cum in ampliſſimo D. Antonii templo Guidi Panciroli Iuteconſulti ſanè clariſſimi, ac tota Chriſtiana Europa celeberrimi, funus tanta eloquentia ornauit ac celebrauit, vt omnium aures orationis ſuauitate ac voluptate compleuerit, omnium animos admiratione perfuderit, apud omnes incredibilem ſui amorem ac nominis prædicationem excitarit. Quapropter ſi quando huiuſmodi laudationem (perlego autem ſæpè; extat enim publicis literarũ monumentis) videor mihi ſummum illum Iuriſconſultum, quantumuis eloquẽtia, memoria, Iuriſprudentia, multarum denique magnarũ mq. rerum cognitione floreret, atque in Patauino hoc Athenæo è prima ſede Ius Ciuile magna cum laude & celebritate doceret, caſtimonia quoque, pietate, ſanctimonia, omnibus virtutibus excelleret, Viduæ induſtria ſic expreſſum cernere, ſic quaſi tabulam benè pictã, & in optimo lumine collocatam, intueri, vt non ſatis mecum ipſe ſtatuere valeam, Panciroli ne ſingulares dotes, an Viduæ in illis exprimendis virtutem, magis admirer. Illud certè affirmauerim, Pancirolum dignum fuiſſe qui Viduæ ſtylo, non ſecus atq; Alexander Apellis coloribus, exprimeretur.

Sed & egregiè rurſus Viduæ noſtri enituit eloquẽtia, cum paulò poſt Angelo Mattæacio Comite Equiteq. ornatiſſimo, ac Iuriſprudentię gloria clariſſimo, orbatum eſſet noſtrum hoc Gymnaſium. vnus enim Vidua præſto fuit, qui in celeberrimo itẽ Beati Antonii templo magna hominum frequentia luculenta illum laudatione ornaret: ac nos, quibus breui temporis ſpatio duo illa Iuriſprudentiæ lumina adempta eſſent, in tanto mœrore ſolaretur, atque Vrbis totius leniret dolorem. Quamquam enim dum illorum virtutes celebraret, vix quiſquam eſſet qui geminam hanc iacturam ſiccis oculis auriſtem ſine intimo doloris ſenſu audiret, quin Iuriſprudentiæ ſtudioſi geminum ſe vulnus accepiſſe, ac duos parentes optimos amiſiſſe affirmarẽt & quererentur, eò tamen orationem conuertit noſter Vidua, vt cũ pietate mirificè floruiſſent, lætandum quoque nobis oſtenderet; qui enim illos diligerent, quidni lætarentur, cum reputarent eos huius vitæ ſolutos ærumnis, ad beatorum domicilium (quod omnino ſperabatur) euolaſſe, ac mortem hanc (cur enim aliter appellẽ mortalitatem hanc noſtram?) cum vera vita commutaſſe?

Neque verò (vt redeam ad Viduæ eloquentiam) impari dicendi virtute ſiue hiſtoriæ vtilitates & commoda in florentiſſima Stabilium Academia eſt proſecutus: ſiue in Patauino Gymnaſio ad Pandectas, quas appellant, ac Iuris regulas explicandas acceſſit. Quo tempore, qui eum audirent, non facilè profectò ſecum ipſi ſtatuebant, maiorem ne eloquentiæ, an doctrinæ, copiam referret eius oratio. Illud tamen veriſſimè affirmari poteſt, Viduam in præclaro hoc munere ſeptem integros annos tam egregiè verſatum eſſe ac tanta ſemper & facundia, & perſpicuitate, addo etiam ſubtilitate, Iuris Ciuilis dubitationes explicaſſe, vt non modò inter diſertos Iuriſconſultiſſimus (id quod de Q. Scæuola proditum eſt) aut inter Iuriſconſultos diſertiſſimus (quod L. Craſſo accidit) verùm etiam inter vtroſque, quantum tamen illius pateretur ætas, imò verò longè ſupra ætatem, Iuriſconſultiſſimus æquè ac diſertiſſimus habendus eſſet. Sed de Ciuili eius ſcientia paulò poſt opportuniùs. Nunc de Eloquentia.

Quamquam dum huius argumenta varia profero & monumenta, video ex ijs mihi multa eſſe prætereunda, multa curſim attingenda: niſi aut humanitate ac patientia veſtra abuti velim, aut quæ continenter de illius doctrina & moribus dicenda eſſent, prætermittere ſtatuam.

Et ſanè is fuit noſter Vidua qui & aliorum multorum obitum, luculentis ornauit laudationibus: & de origine Iuris concionem habuit præclariſſimam: & de diſciplinis quibus ad Iuriſprudentiæ laudem aſcendas, diſputauit eleganter: & de literarum ſtudiis quàm ad benè beateq. viuendum ſint neceſſaria, pro concione verba fecit copioſè. Patauinam quoque Vrbem, hoc eſt Patriam ſuauiſſimam, atque omnium virtutum gloria cumulatiſſimam, celebrauit, atque alia ſæpè multa pro vt occaſio tulit, voce illa præclara & erudita in publicis cœtibus ornatè ac grauiter complexus eſt: quę ſi exi-

ſi exiſtimem a me pro dignitate commendari poſſe, deerrem equidem ac fallar: tanta eſt earum concionum venuſtas & elegantia, tantus decor ac ſplendor, tanta vbertas & copia. Vt propterea in hiſce temporis anguſtijs ſatius ſit cætera ſilere, quàm ieiunè admodum eorum decus & pulchritudinem attingere aut tenuiter adũbrare. præſertim verò cum apud vos dicam, Auditores ornatiſſimi, quibus ſatis ſupérque compertum eſt, quantus vel in Patauino Gymnaſio, vel in florentiſſimis Stabilium, Recuperatorúmve Academiis, vel denique in auguſtiſſimo Beati Antonii templo, ad noſtrum Viduam audiendum concurſus fieret.

Ad eius igitur eruditionem atque doctrinam ſeſe conuertat oratio. Qua in re fileo Auditores quàm magnos in Poëtis & Hiſtoricis progreſſus haberet, dum humaniores diſciplinas tractaret adoleſcens. etſi enim egregii fuerunt illi quidem ac nobiles, ita vt carmine luſerit eleganter multa, ad hiſtoricam verò ſcriptionem (id quod comprobauit euentus) animum præparauerit ac ſtylum, eos tamen libenter prætereo, quòd maiores ſeſe & illuſtriores progreſſus offerant ſapientię. Ergo cum eloquentia, ad quam contendebat, & in cuius ſpatiis ſeſe exercebat, Philoſophiæ ſtudium coniunxit & copulauit; quod ſanè ſtudium triennio toto vſque adeò ſtrennè coluit ac diligenter, vt non modò Theſes publicè defenderit magna cum laude, verùm etiã eiuſdẽ Philoſophiæ lauream in Patauino Collegio ſumma cum omnium approbatione ſit conſecutus. Etſi enim non ita pridem vigeſimum exegiſſet annum, ita vt ægrè liceret per ætatem eam dignitatem attingere, veruntamen cum ſapientiſſimis illis Patribus Viduæ ingenium ac diligentia ſatis eſſent perſpecta, eũ ſine cunctatione vlla Philoſophiæ doctorem renunciandum exiſtimarunt. Ita quidem priùs Philoſophię curriculum eſt ingreſſus, quàm plerique alii eius ætatis adoleſcentes Grammaticæ conficiant ſpatia: priùs ad eiuſdem curriculi calcem ac metam peruenit, quàm cæteri ex iis carceribus egredi ſoleant.

Porrò autem cum noſter Vidua ſuum eloquentia & Philoſophia imbuiſſet pectus (ita tamen vt tum ſcribendo tum diſſerendo in illis ſe exerceret adhuc) animaduertit etiã, ac ſecum ipſe reputare cœpit, quanti Iuriſprudentia fieret inter mortales, quámque egregias vtilitates humanæ afferet ſocietati. Hanc igitur ſibi, quoniam ætas ac locus ſpem opportunitatémque offerrent, perdiſcendam cenſuit, ac toto pectore amplectendam.

Primò igitur in Iuſtinianeis Inſtitutionibus Aloyſio Durantio Iuriſconſulto egregio accuratè operam dedit: mox M. Antonii Ottellii, qui nunc matutinis horis è prima ſede ſumma cum laude, atque ingenti auditorum & frequentia & vtilitate Ius Ciuile interpretatur, tunc verò pandectas explicabat; frequentare Gymnaſium cœpit diligenter: idque vel quia intelligeret eius doctrinam atque interpretandi rationem frugiferam eſſe totam: vel quia eius elegantia & eruditione, addo etiam ſingulari humanitate & comitate, mirificè caperetur: vel demum quia nobilis hic Doctor Iuriſprudentiæ ſtudioſis iuuandis non modò propenſus ſed a Natura ipſa fictus videretur. Denique cum alia omnia Viduæ probabantur in hoc Iuriſconſulto clariſſimo, tũ maximè incomparabilis illa perſpicuitas, quæ non ſecus ac Sol colores, doctrinas illuſtrare ſolet atque ante oculos ponere. Cum verò ſub celeberrimis hiſce doctoribus præclara iecisſet Iuris Ciuilis fundamenta, continuò ad Guidum Pancirolum qui pomeridianis horis è prima ſede Ius Cæſareum explanabat, itare cœpit: quem quadriennio toto ſedulò audiuit, ac priuatim quoque (vt a ſummo illo Iuriſconſulto mirificè æſtimabatur ac diligebatur) in difficillimis legum nodis conſuluit. Quid multa? Ita ſub eo profecit, tantum etiam ſub Angelo Matthæacio, qui item Ius Cæſareum matutino tempore è prima declarabat ſede, ac paulò poſt in Pontificio iure ſub Bartolomęo Syluatico Iuriſconſulto clariſſimo & Equite ſplendidiſſimo, progreſſus eſt, vt breui, in Patauino Iuriſconſultorum Collegio vtriuſque Iuris lauream ſumma cum omniũ approbatione adeptus ſit. Quin etiam cum Octauius Salgherius, qui Iuris regulas per idem tempus nauiter explicabat, ad Pãdectas interpretandas honorifico Senatus iudicio vocatus eſſet, vnus Vidua ex multis iiſque Iuriſprudentiæ ſcientia ornatiſſimis, delectus eſt qui in Salgherii locum ac ſedem ſufficeretur. in qua mirũ eſt quantopere ſuam ille induſtriam atque doctrinam pari cum eloquẽtia coniunctã Triumuiris ſapientiſſimis ac Sereniſſimæ Reipublicæ vniuerſæ probauerit: incredibile dictu

quan-

quantum Vniuerſitati huic ornatiſsimæ decus atque ſplendorem attulerit. præſertim verò quia priuatim quoque nemini non præſto erat quem iuuaret. & in doctrinarum ſtudijs promoueret. Dialecticam totámque diſſerendi rationem ac viam ſibi explanari poſtulabant aliqui: explanabat. Phyſicam ſibi exponi petebant alijs exponebat. Iuſtiniani Inſtitutiones enarrari plerique cupiebant, atque illarum nodos explicari: enarrabat ille explicabátq. luculentè, In ea Iuris parte nonnulli exerceri malebant in qua eorum tentatur induſtria qui ad Iuriſprudentię aſpirant lauream: exercebat ille, eorúmq. & ingenium & memoriam excitabat acuebátque mirificè. ita quidē nemo non illius celebrabat doctrinam & ſapientiam: nemo non eius induſtriam ac diligentiam non laudabat: nemo non eum admirabatur in oculíſque ferebat: nemo non fauſta illi omnia & fœlicia optabat & precabatur.

Sed o præpoſteram mortalium ſpem & gratulationem, o cupiditates hominum inanes. Dum viget, dum floret, dum amatur, dum colitur, dum publicè priuatímq. virtutis ſpecimē præbet, ac mortalibus iuuandis præſto eſt, repentè extinguitur & rapitur: & qui tantam de ſe ſpem concitauerat, vt ad eandem ſedem reſeruari videretur in qua nuper Panciroli ac Cephali, olim etiam Bartolus ipſe ac Baldus cōſediſſet, (me miſerum) ſepulchro nunc humatur & conditur.

Sed imprudens ſim ego, qui cum mihi de diſciplinis dicendum propoſuiſſem atq; virtutibus quibus floruiſſet noſter Vidua, in medio illarum curſu tam facilè ad eius mortem ac funus delapſus ſim. Reprimam igitur dolorem meum, & oborientes lachrymas cohibebo. Vos quæſo Auditores optimi, dum orationem ad inſtitutum reuoco, quæ tantiſper perturbauit ordinem, dolori meo ignoſcite.

Atque vt redeam ad reliqua eius doctrinæ monumenta, Patauinam hiſtoriam ſcribere aggreſſus erat noſter Vidua: pro qua ſanè mirum eſt quàm diligēter bibliothecas euoluiſſet multas: quàm varia in publicis tabulis obſeruaſſet, aut ex tabulariis deprompſiſſet: quàm curioſè lapides & antiquitatis monumenta ruináſq. ipſas perluſtraſſet: quot denique & quanta vndique congeſſiſſet, vt vetuſtiſſimæ huiuſce Vrbis ac præclariſſimæ conficeret Hiſtoriam. Sed dum multa parat, nihílque non explorat, ecce tibi vix primum librum abſoluit, vix ampliſſimarum veluti ædium initia ponit ac fundamenta, cum immatura morte abripitur. Quapropter cætera vel adumbrauit leuiter, vel ne adumbrauit quidem; ita vt inuidæ mortis iniuria quaſi in Anaxagoræ chaos indigeſta & confuſa relicta ſint. Tametſi talis fortaſſe nitor in eo vno elucet libro, & ad nobilem hiſtoriam tam præclara offert initia, vt ſi non Apellis factum renouatur, ac rurſus Coæ Veneris caput oſtētatur, ac certè vel fides, vel ordo, vel orationis munditia & perſpicuitas, quæ ſunt hiſtoriæ caput ac vertex, non ſint requirēda. Quamquam nihil eſt quod inficiemur, Auditores, Franciſci Viduæ mortem vel ex eo perpetuis lachrymis eſſe deplorandam, quòd quæ Vrbs antiquitate, potentia, nobilitate, doctrina, longè floruit; egregia & nobili quæ illius gloriæ debebatur, hiſtoria Viduæ fato priuata ſit. Ita quidem is qui maximè omnium Patriæ decus hiſtoriarum monumentis atque adeò immortalitati conſecrare & potuit & debuit, vel noluit, vel Romanæ ſtudio, abſtinuit: qui & voluit & generoſo conatu tentauit, morte prohibitus eſt.

Iam verò quid dicam Auditores ornatiſſimi de egregiis ac luculentis quos Franciſcus noſter in Iuſtinianeas Inſtitutiones conſcripſit, Commentarijs? Cum enim illas adoleſcens peruolutaſſet accuratè, atque idem ſtudium, quoniam Iuriſprudentiæ fundamentum eſſe perſpexerat, ſæpè aſſiduáq. meditatione iteraſſet, mox etiam, vt florentiſſimæ quam publicè inſtituebat, iuuentuti ſatisfaceret, priuatim explicare illas cœpiſſet, ac ſeptennium penè totum in hoc munere contriuiſſet, factum profectò eſt vt multa viderit quibus vetus illud monumētum dilucidari adhuc poſſet vberiùs. Ita ſanè tum eleganti illud ſtylo ac mira perſpicuitate enarrauit vniuerſum, tum res difficillimas & inuolutas egregio ordine ſubtilitérq. diſſeruit & explicauit. Vt quamuis eiuſmodi Commentarium ferè abſoluerit, quin tres primos libros recognouerit etiam & perpolierit, magnopere tamen dolendum ſit, quòd illi quartum agnoſcere ac limare, denique dignum hoc immortalitate monumentum omnibus vndique numeris abſoluere, & publicis literis conſignare, haud licuerit.

Dixi de Viduæ noſtri admirabili tum ingenio, tum optimarum artium ſtudio: idq.

ſiue

by Google

ſiue eloquentiam humanioreſq. diſciplinas, ſiue Philoſophiam ac Iuriſprudentiam, requiramus. ſupereſt vt de optimis illius moribus Chriſtianiſq. virtutibus ſi non ea omnia quæ dicenda eſſent,at certè quæ temporis ferant anguſtiæ,commemotemus. præſertim verò quia eloquentia atque doctrina, niſi probitas Chriſtianáq. virtus acceſſerit,caducæ ac fluxæ videri poſſint,ſæpè etiam mortalibus obeſſe ſoleant: tantum abeſt vt ad veram prudentiam ac ſapientiam ſiue ad benè beatéque viuendum perducant hominem. Et quamquam magnopere vereor Auditores,ne Viduæ probitatem atque virtutem referenti mihi,externi aut etiam poſteri ægrè adiungant fidem,quòd multa videri poſſint præter communem conſuetudinem in eo accidiſſe, vos tamen ante quorum oculos atq; ora quotidie verſatus eſt noſter Vidua, teſtificatione veſtra orationem meam veritatémq. ipſam comprobabitis.

Ergo cum Franciſcus noſter Dei in primis beneficio ac munere, parentis etiā optimi cura & vigilantia, eos præceptores nactus eſſet adoleſcens, qui nō modò optimarum artium ſcientia, verùm etiam bonis moribus pietatéq. florerent, mirū eſt quàm facilè cum bonis literis pudorem, modeſtiam, ac pietatem hauſerit; & Dei timorem, quem ſapientiæ initium eſſe quotidie audiebat, cum humanitatis ſtudijs cōiunxerit. Quid plura? Tanta in eo animi moderatio, tanta honeſtas ac probitas, elucebat in dies magis ac magis, vt ſodalibus charus eſſet omnibus, & ab omnibus vnicè diligeretur. præſertim verò quod comitas quoque illi ineſſet, quæ illum redderet chariorē. Quod ſanè effecit vt qui cum eo verſarentur, nobili modeſtiæ exemplo permoti, facilè illius mores ac verecundiam imitarentur. Legimus in Bernardino Sanenſi, cum adhuc eſſet adoleſcens, & ad ludum literarum itaret, talem ac tantam enituiſſe modeſtiam & verecundiam, vt ne verbum quidem illi excideret quod non morum honeſtatem redoleret. Itaque ſodales, ſi quādo paulò hilariores inter ſe, vt fit, miſcerent ſermones, aut etiam profuſos riſus ederent, Bernardino aduentante, illud cōtinuò vſurpare :on ſueuiſſe, Bernardinus adeſt: quo veluti ſymbolo de modeſtia ſeſe mutuò admonentes, vultum illico ſermonémq. componebant. hoc igitur in Vidua præclatum renouabatur exemplum; ita vt ſodales eo præſente honeſtatis ac modeſtiæ decus agnoſcerent & adamarent.

Porrò cum egregiè virtutem cum doctrina ſociaret Vidua, factum quoque eſt, vt in vita reliqua eum ſcopulum fœliciter declinauit in quem vtinam ex viris doctis non inciderent multi ac tanquam naufragium facerent. Etenim humana mens dum in dies doctrinarum ſtudiis occupatur, iis abſorbetur ſæpè atque obruitur tota, ac veluti dementatur; ita vt quæ præcipua eſſe deberet pietatis cura, ac rerum diuinarum, mortis etiam ipſius meditatio, neſcio quo pacto deſeratur ac per incogitantiam atq; deſidiam humanarum doctrinarum amor cœleſtibus bonis anteponatur. ſecus Franciſcus noſter: qui præterquam quòd ſtudiorum labores ad diuinam gloriam referebat omnes, rebus diuinis certam diei partē & ſtatas horas attribuebat in quibus Deo vacaret, & Chriſtianæ vitæ officia ardenter coleret. Quapropter quantum plerique alij vel ludo vel ſpectaculis vel conuiuiis humaniſq. oblectamentis impendunt temporis, tantum ille ſacris Templis adeundis, atque animo expiando, diuiniſq. præſidiis muniendo, tribuebat, otium reliquum doctrinarum ſtudiis ac neceſſariis vitę officiis tranſmittens. Quod ſanè corrupta hac ætate eò admirabilius ac laudabilius videri debet, quòd Vidua vegeto eſſet corpore ac robuſto, quin pręferuidus ac ſucco plenus ac ſanguine: ita vt non deeſſent illi hoſtes quibus cum certandum eſſet vt Muſas & Virtutem colere poſſet, ac pietatem in primis caſtè integréq. tueri. Nam Viduam antequam ex Ephebis excederet, amiſiſſe parentem optimum, nec tamen deinde in ea libertate, in eo æſtu ætatis, quicquam ad iuuentutis illecebras deflexiſſe, quin celſo animo illas ſpreuiſſe, & inciratiore in dies curſu ad Sapientiæ ac Virtutis metam contendiſſe, compertum eſt.

Sed iam finite Auditores, vt quod Poëtas olim in Romanorum præliis canendis feciſſe legimus, id mihi in præſentia facere liceat in poſtremo Viduæ noſtri euentu: vt ſcilicet quæ calamitoſa ſunt atque funeſta, vel leuiſſimè attingam, vel potius, quoniā dolore impedior, penitus prætermittam. præſertim verò quia ſentio me dicendo longius prouectum eſſe, quàm debuiſſem. Tametſi enim pro egregiis Franciſci noſtri virtutibus ac meritis dicta ſint perpauca, temporis tamen ac loci habenda eſt ratio: mihiq.

mihiq. in primis cauendum, ne ſingulari patientia & humanitatę veſtra abuti videar. Finem igitur dicendi ſaciam Auditores humaniſſimi, ſi tamen priùs vnum expoſuero, quod mihi quidem inter tot doloris cauſas & mœroris non ſine admiratione quadam & lætitia recurrit in mentem. At quid hoc tandem? Illud, illud inquam Conſeſſus ornatiſſime, quod efferre non auderem, niſi alijs multis qui Vidua familiariter vterentur, perſpectum eſſet. Decimo abhinc lapide ad montem cui a Silice nomen eſt (Celſum appellant aliqui) villam conduxerat Vidua: in quam ſtatim atque intermiſſio fieret ſcholarum, ſecedere ſtatuerat commentandi cauſa: vt nimirum lucubrationes ille ſuas vel promoueret, vel abſolueret, vel perpoliret. Itaque iam & libros & ſupellectilem ad Montem Silicem tranſmiſerat: iam diem præſtituerat in quo diſcederet: iam quotquot offendebat amicos de conſilio admouebat ſuo, ac de die in primis quem profectioni deſtinaſſet, certiores faciebat. Cum ecce tibi, vbi aduentare cœpit dies, ſebri repente corripitur: ac tandem eo planè die quem profectioni deſtinauerat, è vita proficiſcitur. Sed quid dico è vita proficiſcitur? immo verò mortalitate exuitur, & ad immortalem vitam euoluat ac ſempiternam. quem enim ille diſceſſui præfinierat diem, hunc diuinum Numen ab omni æternitate delegerat vt bonus famulus ac fidelis mortali hoc ſolutus carcere in Montem Celſum, in Cœlum inquam, migraret; immo verò ad Chriſtum qui & Mons eſt & Petra, conſcenderet. O igitur diem ſumma lætitia celebrandum, omnibus gaudijs recolendum. Etſi enim Vidua per te nobis adimitur, ac Patauinum Gymnaſium Doctore orbatur egregio, Vrbs ciue priuatur optimo, quod ſanè ingẽtes lachrymas poſtularet; verum tamen eum vos, Patres Ampliſſimi, commilitonem veſtrum ac ſocium, vos, Iuuenes nobiliſſimi, Ducem veſtrum atque Magiſtrum, inter cœleſtes relatum facilè intelligatis, quidni luctus cedat gaudio, mœror in lætitiam conuertatur?

Ergo qui humanitati hactenus dolore ſatisfecimus, ac noſtra detrimenta defleuimus, iam Chriſtianam fidem conſolatione ſectemur: & amico optimo beatam vitam hilari animo gratulemur.

ORATIO LI.

Pro N. N. dum peteret Juriſprudentiæ lauream.

PLurimum ſanè debeo, Patres ampliſſimi cæteríque Auditores ornatiſſimi; ſapiẽtiſſimis Patauini Gymnaſii Doctoribus, ex quorum ore quaſi ex aureo doctrinarum fonte Iuriſprudentiæ latices quinquennio toto haurire mihi licuit & deguſtare. Plurimum quoque debeo clariſſimo & ſacroſancto Patauinorum Iuriſconſultorum Collegio, cuius grauiſſimo iudicio & incomparabili humanitate Doctoris mihi laurea & dignitas mira omnium conſenſione decreta eſt. Quapropter dum vixero ac ſpirauero, equidem immortale hoc beneficiũ memori animo recolam ſemper, ac Patauini tum Collegii tum Gymnaſii beneficentiam ac laudes prædicabo: in primiſque a Deo optimo Maximo poſtulabo, vt ornatiſſimis hiſce Patribus Præmia digna ferat

——— ac ſimul
In freta dum fluuij current, dum montibus vmbræ
Luſtrabunt conuexa, polus dum ſydera paſcet,
Veſter honos maneat, nomen celebretur in æuum.

Interim tu Otelli ſplendidiſſimum & Gymnaſii & Collegii, & Patriæ & Foroiulienſium Cornorúmq. decus, atque adeò Italiæ vniuerſæ lumen & ornamentum, ne graueris decreta mihi inſignia ac Pontificii Cæſareíque Iuris dignitatem conferre, vt, quod fœlix fauſtúmque ſit, meorum laborum atque optimorum Patrum iudicii pręmium referre valeam.

Digitized by Google

ORATIO LII.

Habuit hanc Patauij Anno 1615. cum primò Salluſtium explicare aggrederetur.

LAtinum Thucydidem, atque adeò Romanæ Hiſtoriæ Principem, explicaturus hoc tempore, lubet, Conſeſſus ornatiſſime, pauca quædã præfari, quibus conſilij mei inſtitutiq. rationem vobis pro virili parte mea, & aperiam & probem. Cum enim veſtræ vtilitatis gratia & dignitatis, qua nihil mihi antiquius, aut iucundius eſſe poteſt, nouam hanc Prouinciam ſuſceperim, fore ſpero, vt induſtria hæc noſtra, qualis qualis ſit, vobis accidat periucunda; quin etiam veſtros animos ad vberrimos Romanæ hiſtoriæ fructus percipiendos incitet inflammétq. mirificè. Præſertim verò quòd publicum hoc munus hoc anno ſic attingere decreui, vt ſimul ſtatuerim vos, quantum in me eſt, priuatim quoque ad eloquentiam informare. De qua re tota dũ breuiter diſſero, vt de ſuſcepto conſilio inſtitutáq. Oratione planiùs vos admoneam, vos quæſo pro ſingulari humanitate veſtra diligenter, quod cœpiſtis, attendite. Tria ſunt Auditores prçclariſſimi, quibus maximè continetur noſtrum hoc ſtudium Humanitatis; Eloquentia nimirum, Poëſis, Hiſtoria. Tametſi enim præſtat politioris diſciplinæ Doctorem omnes ingenuæ eruditionis vias peragraſſe, atque adeò liberalibus artibus vniuerſis doctriniſq. pectus compleuiſſe (alioquin tum in Oratoribus ac Poëtis, tum in primis in Ariſtotelis Rhetorica, & Poëtica, quas in primis explanare noſtrarum eſt partium, æſtuet paſſim ac nutet neceſſe eſt) veruntamen nihil eſt quod dubitemus totum hoc ſtudium ad Hiſtoricos, ad Oratores, ad Poëtas, reuocari. Hac igitur de cauſa ſtatim atque animaduerti nouam hanc mihi Spartam excolendam, & grauiſſimum docendi ac dicendi onus in hoc gentium Thearro ſubeundum, eò mentem omnem cogitationémq. defixi, vt Rhetores, Poëtas, Hiſtoricos, etiam atq; etiam euoluerem; nec euoluerem ſolùm, verùm etiam diurnis nocturniſq. vigiliis, ſi quo modo poſſem, dilucidarem & illuſtratem? fore enim ſpetabam, vt hinc percommodè liceret florentiſſimam hanc Patauini Gymnaſii Iuuentutem ad haſce artes ac facultates altiùs informare, ac ſuſceptam prouinciam tueri pro dignitate. Atque hinc factum eſt, Auditores, vt quindecim hiſce annis quibus principem hanc eloquẽtiæ ſedem obtinui, Ariſtotelis Rhetoricam non modò ſemel, ſed iterum ac tertiò explanauerim, ſimúlq. varias Ciceronis Orationes cum publicè tum priuatim enarrauerim, vt cum ex Ariſtotele, hoc eſt ex grauiſſimo intelligendi dicendíq. magiſtro, benè dicendi præcepta commonſtraſſem interim, Tullianæ orationis flumen aperirem. Atq; eâdem planè de cauſa Atiſtotelis Poëticam in hoc temporis curriculo eodem planè modo ſemel, iterum ac tertiò explicaui, continentérq. bonam Aeneidis partem interpretatus ſum, vt quæ in magno Poëtarũ Magiſtro præcepta obſeruaſſem, hæc in Poëtarum Principe agnoſcerem, ac vobis ante oculos ponerem. Quid plura? Eò rem perduxi, vt ipſam Ariſtotelis Poëticam, hoc eſt opus longè arduum & per quam difficillimum, Commentarijs dilucidarem: quibus centum Poëticas controuerſias interpoſui; vt quicquid tandem in ea quæri poterat ac dubitari, pro tenuitate mea enodarem: breui etiam in ſex priores Aeneidis libros editurus commẽtarios, quibus egregius Poëta explicetur, & cum Homero longè ac latè comparetur. quod vbi perfecero Ariſtotelis quoque Rhetoricem, Ciceronis Manilianam inſuper, benè iuuãte Deo, non diſſimili induſtria publicis literis conſignabo, vt Ariſtotelis præcepta præclaris Ciceronis exemplis confirmem altiùs. Ex quo fiet vt ſummus Latinæ eloquentiæ Author pleniùs adhuc veſtras autes ſua ille aurea oratione perſundat. Quæ cum ita ſint poſtulat ſanè ratio vt parem quoque aut maiorem ad hiſtoriam laborem reſeram; niſi inertis inſtar actoris in terrio actu turpiter labi velim, atque anteactam induſtriã dedecorare. Et ſanè, cum aliquando Epopœiam Ariſtoteles, etſi breuiter, conferret cum hiſtoria, nos etiam pauca quædam ex hoc loco præcepimus de hiſtoria: paulò poſt etiam integrum librum emiſimus, in quo de eius vi & natura diſſeruimus copio-

sè,

ſè, Problemata & Cõtrouerſias quæ de illa agitari poſſe viderẽtur, explicãtes: Quãquã neq; his finibus rẽ concluſimus; ſiquidẽ qua rõne pro dignitate euolui aut dijudicari, maximè verò ſcribi poſſit, oſtendimus: eius leges ex ordine proferentes, & Authores inſuper veluti in aciẽ educentes, qui ſiue in Græca, ſiue in Romana, ſiue in Barbara, Hiſtoria legendi eſſent. Quid multa? hiſtoriæ cognitio quales & quãtas vtilitates habeat, ídq; ſiue publicè ſiue priuatim vitã traducas, docuimus accuratè. Sed tamẽ neſcio quo pacto vnũ interim prætermiſi, quod cũ veſtra vtilitate magis coniunctũ, & verò auribus veſtris digniſſimũ, cenſeri põt. At enim quid hoc tandem? Illud, Auditores optimi, qđ pertinet ad Hiſtorici explicatũ. Etſi enim multa ſæpè ex hoc loco de hiſtoria cõmemoraui, priuatim ẽt Curtiũ ac bonam Taciti partẽ explanaui, ac tandẽ libros quatuor de Hiſtoria emiſi, quibus ad eã vos informarẽ; publicè tamen nullũ adhuc Hiſtoricum enarrare aggreſſus ſum: ita vt Poëtæ florere Oratores, quæ dominari propemodum viſi ſint in noſtro hoc Regno: Hiſtorici iacêre, & in ſqualore verſari. Et tamen operæpretium erat Hiſtoricos etiam in hoc Thearrum educere & contemplandos proponere; vt nimirum de hiſtoriæ præceptis & ratione vniuerſa vos perinde inſtituerem, atque in Poëſi & eloquentia factitatum a nobis eſt. Nam pręterquã quod viua Doctoris vox maiorẽ vim quandam hẽt ad docendũ quàm muta ſcripturę oratio, ſanè dici vix põt quas & quãtas tenebras hac in re diſpellere, quàm præclaram veluti facem præferre, boni Hiſtorici tractatio poſſit & explanatio.

Id igitur, fauente Numine, aggrediar hoc tempore: ídque Salluſtio propoſito, qui Romanæ hiſtoriæ coryphęus haberi ſolet ac Princeps. Ita quidem enitar vt in poſtremo quoque actu noſtra vobis induſtria aut ſaltem voluntas ſtudiúmque probetur. Nam ſi quis interim clamet nec Salluſtianum dicendi genus cum Tulliano conferri poſſe; itaut interim eloquentiæ fons intercludatur; nec ſatis ad perfectam hiſtoriam aperiri aditum, cum Salluſtius in Catilinaria (quicquid in cęteris effecerit) non magnopere laudari ſoleat, tantum abeſt vt hiſtoricorum Coryphęus habendus ſit; equidem ſic ſtatuo. Quantum in hiſtoria, atque in Catilinaria in primis, Salluſtio ſit tribuendum, oſtendam alio loco: atque ita oſtendam Auditores, vt cur ei aut verã laudem detraham, aut falſam affingam, non habeam. Denique tum vitia, ſi quæ in illo occurrent, tum virtutes, ingenuè aperiam: ídque eo conſilio vt vtrinque vobis ad hiſtoriam intelligẽter cautéq. legendam ſcribendámq. ampliſſimus ſternatur aditus. Quod ſi adhuc vberrimum illud ac perbeatũ orationis genus quod in Cicerone ſeſe offert, vobis in Salluſtio erit requirẽdũ, haud equidẽ ſinam, Auditores optimi, vt eloquentiæ ſileant ſtudia, ac Rhetorũ exercitationes conquieſcant. Etenim hiſtoria eſt illa, quidẽ pleniſſima vtilitatis ac iucunditatis, præſertim verò quã aggredimur hoc tẽpore, Romana inquã. Nullum eſt enim flumen ingenij, nulla dicendi ſcribendíve copia atque facultas, quæ pro dignitate res a Romanis geſtas non dicã ornare ſed enarrare ſatis poſſit. Quid plura? cũ alias vtilitates ad eloquentiã affert hiſtoria, tũ propter rerum geſtarum exempla ingentem argumẽtorũ veluti ſyluam offert in qua magno cum quæſtu verſetur Orator. Sed tamen quoniã Hiſtorici (vt verè fatear) preſſum dicendi genus atq; adeò breuiloquentiã ſectantur ferè, itaut, ſi cum Oratoribus conferantur, exareſcere illorũ videatur oratio, omnino mihi faciendum putaui, vt vobis ad eloquentiã properantibus viam adhuc cõmonſtrarem. Ergo vt hac quoque in re veſtrę vtilitati cõſulam ac dignitati qua nihil mihi optatius & charius eſſe aut poteſt aut debet, omnino decreui vos ſucciſiuis tẽporibus ad eloquentiã informare. Ita quidem dum publicè vos ad hiſtoriã ac preſſum dicendi genus inſtituo, priuatim inter domeſticos parietes Ciceronis Manilianã explanabo, in qua perbeatũ illud dicendi effloreſcit genus, & admirabilis eloquentiæ vis & copia ſita eſt & collocata. Etſi enim noſter Cicero vbique elegans & perpolitus videri debet, vbiq; aureũ orationis flumẽ effundit, nuſquam non aures atque animos implet ac mira ſuauitate perfundit, veruntamẽ in Maniliana viſus eſt omnes eloquentiæ copias profudiſſe, ſéq. ipſum lõgo interuallo ſuperaſſe, itaut admirabilẽ quandam orationis ideam ac formã inde nobis oſtenderit. Dum igitur ijs diebus omnibus in quibus publico docendi labore ac munere ſuperſedebo, intra priuatos lares præclariſſimam hanc Ciceronis orationem explanabo, vos, Auditores optimi, frequentes adeſſe non grauemini: ſpero enim fore vt vos ſuſcepti laboris ac ſtudij non pœniteat: præterrim verò ſi auditioni exer-

M cita-

promanarint. Itaque M. Tullius, hoc eſt Latinorum Oratorum ac Philoſophorum Princeps, quanta pectus compleuit eloquentia & ſapientia (compleuit autem maxima) totam ex Platonis, Xenophontis, Ariſtotelis aliorúmque Græcorum fontibus deriuauit ac monumentis: hæc enim dies noctéſque peruolutabat adoleſcens, ad hęc conformabat ſtylum, hinc præcepta hauriebat, Græcè etiam ſcribens, Græcè declamans apud Latinos. Sed quid dico apud Latinos? etenim Athenis etiam apud viros doctiſſimos & diſertiſſimos ſic declamauit, vt non modò ingentem doctrinæ & eloquentiæ laudem adeptus ſit, verùm etiam admirationem apud omnes excitauerit maximam. Et quamquam hoc tempore Græci quoque Authores multorum induſtria Latinè audiuntur, itaut Plato ac cæteri illi eloquentiæ ingeniíque parentes Latinis auribus ſeſe offerãt quas imbuant & oblectent; veruntamen dici vix poteſt quantopere a natiuo illo decore abſint & nitore. Denique quemadmodum aqua, vbi a fonte paulò progreſſa ſit longiùs, perſpicuitatis ac ſuauitatis non parum amittit, interdum etiam turbida euadit & cœnum contrahit: ſic Græcorum Authorum præcepta peregrinis linguis inficiuntur, aut certè a priſtino nitore nonnihil recedunt. Quocirca domi item hoc anno poſt Manilianam ſcholam continenter ad Græcam aggrediar, ac Platonis Axiochum (ſi tamen Platonis eſt) qui de morte contemnenda rurſus inſcribitur, explanabo: atque inde ad Platonis Rempublicam me conferam, vt ſummum Græcæ linguæ Magiſtrum Græcè audiamus. Ita fiet vt qui grammaticis ſaltem Græcorum rudimentis inſtructi fuerint, facilè in Græcis proficere, & peruulgatam illam, de qua paulò ante dicebam, famam rumorémque compeſcere, vel potiùs delere, magna cum dignitate valeant.

ORATIO LIII.

Pro N.N. Repetitionem a Vicetino Iuriſconſultorum Collegio poſtulante.

Virtutem primò, tum Iuſtitiam, inde Vicetinum Collegium Vicetinámque Vrbem laudat: & ad extremùm Repetitionem poſtulat, vt in Collegio cooptetur.

TAnta eſt pulchritudinis dignitas, Patres Conſcripti, tale decus, talis ac tanta maieſtas, vt hominum oculos ac mentes ad ſe non tam allicere quàm omnino rapere videatur. Itaque neminem inuenias inter mortales, cuius animus non alicuius rei ſpecie ac pulchritudine capiatur: qui non huc omnem curam, induſtriam, cogitationémq. defigat: qui denique non ſe fortunatum exiſtimet ac perbeatum, ſi illa frui aliquando poſſit, atq; ardentẽ explere cupiditatẽ. Atq; hinc eſt, Patres ampliſſimi, vt plerique hominũ. quod forma excellat ac pulchritudine, id ſummum bonum eſſe, ac propterea maximè omniũ expetendũ arbitrentur. Neq; enim fieri poſſe exiſtimãt, vt quæ ſummũ illud referat pulchritudinis decus, atq; eximiam præſeferat dignitatẽ, non optimũ ſit ac dignũ quod ab omnib. cupidiſſimè ametur, expetatur, requiratur.

Verùm enimuerò ſi quid eſt inter res pulcherrimas quod maximè omnium ad ſe mortaliũ animos cõuertere poſſit ac rapere, illud ſanè Virtus eſt, cuius decus ac ſpecies, ſi oculis cerni poſſet, incredibiles ſui amores excitaret. Nihil enim eſt virtute formoſius, nihil pulchrius nihil amabilius. cætera omnia vel falſa sũt, vel incerta & fluxa: vna Virtus vera res eſt ac ſolida, quaéq. nulla vnquã vi labefactari poteſt; ſed altis defixa radicibus immutabilis perſeuerat. Hæc in tẽpeſtate quieta eſt: in luctu ac mœrore conſolationẽ affert, ac pulſa loco, effloreſcit ſemper ac viget, hæc lucet in tenebris, nec alienis vnquã ſordibus obſoleſcit: hæc ſola libera eſt: quæ, tametſi corpora proſtrata ſint armis & cõſtricta vinculis, ius tamen ſuũ retinet ac libertatẽ. Itaque virtus eſt maximè laudabilis, ac ſine qua laudari nihil põt: hæc veræ gloriæ mater, nec quiſquã gloria excellat niſi præſtet virtute: hæc ſeipſa cõtẽta eſt atq; perfecta. deniq; beatæ vitæ Dux ac fons eſt Virtus, itaut vnis eius ſubſidijs veluti quibuſdã gradibus aſcendamus in Cœlũ, ac beata fruamur vita. Ac iurè quidẽ. Etenim ſi quis æſtimet diligẽter

intelliget ſanè eam eſſe virtutem, quæ hinc doctrinas rerúmq. pulcherrimarũ cognitionem, ſapientiámq. ipſam offert mortalibus: illinc temperantiã obiicit, fortitudinẽ cæteráq. huiuſmodi bona. Ita ſit vt eius ope tum intelligentiã ac mentem exornare, tum mores atque affectus excolere quiſque poſſit ac ſummatim ijs præſidiis munire animum, quibus ad benè beateq. viuendum contendat. Quapropter ea planè cogitatione viri probi ac ſapientes ad doctrinas capeſſendas ac mores excolendos incũbunt, quòd beata vita, niſi hominis conatus ſuperare omnino putes ac temerè exoptari, his vnis ſubſidijs, diuino tamen aſpirante Numine; parari poſſit & retineri. Cum enim beatitudo aliud cenſeatur nihil niſi perfecta bonorum poſſeſſio, quídni is eam aſſequatur qui tot tantíſq. virtutibus quæ vnæ vera bona ſunt; ac ſapientia in primis, animum imbuerit & cumulauerit?

At enim quis hinc rerum omnium cognitionem, illinc virtutum quæ ad mores pertinent poſſeſſionem, adipiſci interim valeat? quis pectus tanta & virtutum & doctrinarum varietate complere? maior, maior inquam, eſt earum moles ac magnitudo quàm vt in tanta hac imbecillitate ingenij, aut vitæ huius breuitate, non dicam eam capeſſere penitúſq. complecti, ſed extremis: vt aiũt, digitis attingere, aut primoribus labris deguſtare liceat. fateor, Patres ſapientiſſimi, ſed tñ inter tot ſiue humanæ vitæ anguſtias, ſiue adipiſcendæ beatitudinis difficultates, tale nobis perfugium obtulit bonorum author Deus, vſque adeò tutum nobis præſto eſſe voluit adiumentũ, vt adhuc difficultates omnes ſuperare, & ad Virtutis ac ſapientiæ culmen peruenire mortales queant. Vt quod vel virtutis ac ſapientiæ magnitudo, vel noſtra imbecillitas prohibeat, id incredibili ſummi Opificis beneficentia largiatur. At quod tandem admirabile perſugium dicis? quod tutiſſimum atque adeò diuinum præſidium cõmemoras? Illud, illud inquam, Patres optimi, quod in Iuſtitia collocauit Deus. Hæc enim ea eſt quæ miro quodam modo virtutum omnium decus continet ac ſapientiæ; quæque cæterorum bonorum ſemen eſt ac procreatrix. Quapropter hæc erga Deum Religionem præcipit, pietatem refert erga Parentes, fidem inter homines tuetur: hæc in Iure dicundo æquitas in puniẽdo lenitas, in iuuando beneuolẽtia, in Mundi ipſius, mole regenda & gubernanda prouidentia nominatur. Denique ius ſuum cũ vnicuique tribuat, atque omnia in officio ac perfecto ſtatu contineat, humanæ pietatis ſedes eſt ac fundamentũ. Ita vt in hac virtus quoquomodo eniteat omnis, ac beatę vitæ adipiſcendæ ratio ſeſe offerat ac via. vt minimè mirum videri debeat olim apud Indos fuiſſe in more poſitum, vt in publicis ſacris aliud nihil a Deo peterent quàm Iuſtitiam. Intelligebant enim fore vt ſi hanc aſſequerentur, nullo virtutis ac Sapientiæ genere magnopere carerent.

Quæ cum ita ſint, mihi quidem veſtrum hoc Iuſtitiæ quaſi templum iamdiu obuerſatur ante oculos: in hoc eximiam Iuſtitiæ ſpeciem ac formam ſemper mihi requirendam exiſtimaui: hinc eius pulchritudine oculos atque animum mihi dies noctéſque oblectandum cenſui. Quid plura? tum demum me perbeatum fore iudicaui, cũ huius Collegii aditus atq; ſacrarium veſtra mihi beneficẽtia reſeraret. Ita quidẽ cũ quinquennio toto in Patauina Academia Iuriſprudẽtiæ operam dederim, ac poſt diurnas nocturnáſq. vigilias laureã, benè iuuante Deo, inde retulerim; nunc tandẽ cũ per ętatẽ liceat, nihil mihi potius eſſe poteſt, nihil antiquius quàm repetitionẽ a vobis impetrare. fore enim ſpero, vt mihi pro veſtra incredibili benignitate in hunc ordinẽ cooptari, ac pulcherrimũ Iuſtitię decus propius intueri fas ſit, atq; illius aſpectu frui. Ex quo ſanè fiet, Cõſeſſus ornatiſſime, vt veſtra mihi præſentia ipſo lucis aſpectu gratior accidat atq; iucundior. Veriſſimè enim affirmauerim me in præſens vix ornatiſſimum hunc dignitatis locum attigiſſe, ac præclarum hoc Sapientiæ Iuſtitiæque Theatrum aſpexiſſe, cum incredibilis quædam in veſtrum ordinem veneratio meum ſubiit animum: ita ut quos antea diligerem & colerem, nunc vnicè amare mihi videar ac venerari: vſque adeò Collegii veſtri amplitudo atque Maieſtas oblectauit. ac nobili admiratione compleuit animum meum. Memoriæ proditum eſt Alexandrũ Macedonem è ſuis quoſdam miſiſſe Romam vt de Romanæ Reipublicæ potentia & ſtatu certior efficeretur. hi igitur incredibili Senatus illius dignitate perſpecta quot Romæ Senatores ſiue in Curia Patres inueniſſent, tot ſe Alexandros vidiſſe retulerunt. Ego verò florentiſſimum & Auguſtiſſimum hoc Collegium ingreſſus tot Iuriſ-

pruden-

Digitized by Google

prudentiæ Proceres atque acertimos Legum & Iuſtitię propugnatores intueri mihi videor quot Patres ac Iuriſconſultos aſpicio. Ac profectò cum noſtra hæc Vrbs tum Naturæ tum fortunæ bonis mirificè floreat, quidni animi quoque bonis ac Iuſtitiæ in primis dignitate excellat? ſanè illa eſt. Vicetina Vrbs, quæ Cœli clementia ac fœlicitate ſummopere gaudet: frugum inſuper copia ac fructuum varietate & ſuauitate ab omnibus laudatur: nobilitate præterea, opibus, belli artibus, magnanimitate multis Ciuitatibus præſtat; cur igitur Sapiẽtiæ laude ac Iuſtitiæ ſplendore haud vigeat & efforeſcat? Denique præclarum huiuſce Vrbis Theatrum exteratum gentium oculos ſic delectat & capit, vt inde Vicetinæ nobilitates magnificentiam æſtiment ac probẽt non mediocriter. Quidni igitur viuum hoc Patrum Theatrum domi foriſq. clareat, ac Iuſtitiæ, in qua præter multarum Ciuitatum morem egregiè verſari vobis licet, ac magna cum dignitate illam adminiſtrate; non eniteat, ac gloria ſplendeat? Sedne veſtras aures diſertiſſimotum virorum cõcionibus aſſuetas mea longiùs obtũdat Oratio, ad Repetitionis, quam a vobis Iuriſconſulti ornatiſſimi ſupplex depoſco, mẽtionem redeo, vt eam mihi præſcribere, quæ veſtra eſt humanitas, ac pręfinire ne grauemini. Ita demum proſperè vobis omnia ac fortunata ab immortali Deo & precor & flagito, ac finem dicendi facio.

ORATIO LIV.

Pataųij habita, cum Virgilij Aeneis explananda eſſet rurſus.

COgitanti mihi, Auditores ornatiſſimi, qua tandem ratione Latini Poëtæ, atque adeò Poëtarnm Coryphæi ac Principis, Aeneidem explicarem, vt ſeu veſtras aures oblectarem, ſeu animos (vt par eſt) ad virtutem incenderem; illud ſanè veniebat in mẽtem, quod tum Aeneæ nomen tacitè indicat, tum pulcherrima Herois Idea quã nobis effingit Maro, apertè ſatis admonet atque teſtatur. Et ſanè ſtatim ac noſter Vates eum nobis Virum indicat ac profert: quem ſibi decantandum proponit, coniectare ſatis licet, hunc ad laudem ac nominis celebritatẽ, proindeq. ad virtutem vnde vera oritur laus, informari ac fingi: ſiue illum ſibi ornandũ ac celebrandum eſſe, quem ad ſummam laudem ac diuinum prope decus inſtituit. Quamquam illud multò illuſtrius & clarius, eum ſcilicet Heroem ac Ducẽ proferri, qui ad tolerantiam, ad pietatem, ad gloriam natus eſſet, ac nobis velut Ideam pulcherrimam offerri, qua ad virtutem excitemur, & ad benè beatéque viuendum contendamus.

Quę cum ita ſint, equidem haud fore dubitabã, quin mihi talis Vatis monumentum, ac tanti Herois virtutem, enarranti, attẽtas aures atque alacres animos præberetis, ac mirum ſimul voluptatem & vtilitatem ex huiuſmodi auditione caperetis. Tametſi illa interim meum animum ſubijt cogitatio; nimirum fore vt multi nobili hac Herois Idea delectentur illi quidem, ſed tamen Heroici quoque Poëmatis præcepta requirant ac flagitent. Quid eſt enim cur Poëtæ optimo operam demus, tibiq. heroicum illius carmen euoluenti aures præbeamus, nec tamen hinc artem atq; rationem exigamus, vnde Heroicum Poëma condi poſſit pro dignitate? Egregiè ſanè, Auditores, ac ſcitè. Cum enim fertiliſſimus ſeſe nobis ac lætiſſimus ager obijciat, ex quo varios eósq. pulcherrimos fructus capere liceat; quidni omnigenos inde fructus atque omnes, quotquot percipi poſſunt, vtilitates referamus? Ergo vt honeſtiſſimis optatis veſtris pro virili parte mea ſatisfaciam, accipite iam cõſilij mei rationem vniuerſam: & quid tandem in Aeneidis explicatione præſtare decreuerim, diligenter attendite.

Principiò igitur Carminum quæ ſeſe nobis indies offerent, ſententiam non indiligenter explanabo. Sed tamen ea lege vt mihi quidem grauiſſimi huius Conſeſſus ac loci ratio habenda ſit. Itaque faciliora diſſimulans, ea omnino perſequar quæ talium Auditorum ingenio digna videri poſſint. Veriſſimè enim dici poteſt, Auditores ornatiſſimi, Virgilianum hoc monumentum ſedati inſtar amnis interdum fluere, itaut facilè & commodè tranari poſſit: ſæpè tamen altiùs aſſurgere, ac Delio natatore in-

gere. Denique is eſt noſter Vates, qui, quoniam varijs inſtitutis atq; doctrinis imbuerat pectus, multiplicem in Interprete eruditionem ac variam rerum cognitionẽ induſtriá'nq. requirit. Quapropter nõ Poëtæ ſolùm terendi nobis erunt hoc tempore, ſed Oratores etiam atque Hiſtorici peruolutandi. Sed quid dico Hiſtorici? imò verò ſæpè cum Geographis, quos appellant, Coſmographiſq. verſandum: ſæpiùs ad Aſtrologos confugiendum: ſæpiſſimè ad morales naturaléſve Philoſophos diuertendum; denique (vt me ſemel explicem) nullum eruditionis ac diſciplinæ genus non attingendum: vniuerſo Muſarum choro, idque numeris frequenter mutatis ac modis, concinendum.

Iam verò ſententiæ explicatum mox illud conſequetur, vt heroici Poëmatis præcepta ex Ariſtotele recolamus, & in nobili hoc Poëmate diligenter agnoſcamus. Ita fiet vt præcepta cum vſu, vſum cum præceptis, coniungentes; vniuerſum Epicæ fabulæ, atque heroici carminis artificium penitus exploremus, ac toto pectore complectamur. Atque hinc etiã continget fòrſitan, vt qui mihi attentas dederint aures, ij rationem ac viam perdiſcant, vnde heroicum Poëma vno eodémq. tempore tum intelligenter peruolutare, tum acutè ac ſcitè diiudicare & explicare, tum denique (ſi acceſſerit exercitatio) pro dignitate condere valeant. Ad extremùm ſummo ſtudio enitar, Auditores optimi, ac remis veliſq. contendam vt Aeneidem cũ Odyſſea & Iliade paſſim conferam: ac Latinum Poëtam cum Græco, quaſi in congreſſum venerint, & ad certamen deſcenderint, comparem: vt quantum quiſque excellat, quid inter ſe differant, cui denique Epici Poëmatis palma deferenda ſit, decernatis.

Hæc ea ſunt in quibus hoc anno, Deo bene iuuãte & aſpirante noſtra deſudabit induſtria. Quæ ſanè eò erit maior, Auditores nobiliſſimi, eò vberior, quò vos bonarum literarum amantiores cupidioréſq. perſpexero. Etenim præſentia veſtra (vt ingenuè fatear) atque frequentia pergrata eſt mihi quidem atque adeò Solis aſpectu iucundior: ſed tamẽ veſtra vtilitas ac dignitas multò optatior atque iucundior fuit ſemper eritq. dum viuam; itaut mihi perpetuò ante animum obuerſetur atque in viſceribus penitus hæreat. Quocirca tum demum omnibus lætitijs inceſſam, ac ſublimi, vt eſt apud Lyricum, feriam ſydera vertice, cũ perſenſero vos tum Poëticis inſtitutis ac documentis, tum Latinitate & eloquentia, proficere altiùs. Quæ ſanè omnia parantur quidem bonorum Authorum lectione, ſcriptione, imitatione: ediſcendo etiam, diſſerendo, declamando: ſed tamen auditione comparantur vel maximè. Viua enim Doctoris vox energiam quandam ac vim habet admirabilem, itaut hinc ne cogitantibus quidem nobis, quin etiam nolentibus, aures atque animi latinitate & eloquentia imbuantur. Quapropter periucunda mihi erit (id quod dicere cœperam) præſentia veſtra atque frequentia: ſed multò iucundior erit attentio: recreabor aſpectu veſtro iucundiſſimo, & crebritate mirificè delectabor: ſed diligentia ac ſtudio ſi acceſſerit (quod & cupio & ſpero) incredibili voluptate perfundar. Itaque veſtrum erit faciles aures atque auidas afferre, cupidos animos ac vacuos præſtare, vt altiùs imbuantur & excolantur. Quod vt faciliùs adhuc. fœliciúſq. contingat, & è ſententia magis ac magis ſuccedat, omnino ſtatui, Auditores humaniſſimi, publicis laboribus priuatos adiungere: ac domi pomeridiano tempore Marcellianam Ciceronis orationem interpretari; atque argumento aliquo inde arrepto & propoſito, vos ad ſcriptionẽ & declamationem prouehere & erudire. Quod ſi qui erunt, qui Græcè inſtitui cupiant, horum quoque vtilitati ſucceſſiuis horis aliquam temporis partem tranſmittam: dummodo enim è Grammaticorum tricis euaſerint, atque idonei ſint quibus grauis Author ac nobilis explicetur, cuiuſmodi eſt Plato & Ariſtoteles, aut etiam Xenophõ vel Demoſthenes; horum ego ſtudijs optatíſque deero nunquam. Nam ſi quis requirat interim quem planè ex Authoribus iſtis maximè probem, & quod tandem ex eo monumentum ſeligendnm exiſtimem, hand equidem auſim hac in re meum iudicium interponere: malim enim vobis morem gerere, atque Authorem illum interpretari de quo inter vos fuerit conſtitutum, quàm certum aliquem vobis Græci ſermonis Coryphæum atque Magiſtrum proponere ac præfinire. Quod ſi quis vrgeat adhuc, omninóque iubeat vt iudicium interponere ne recuſem, proferam tandem ingenuè quod ſentio. Ego ſanè cum adamarim Authorem, illud elegerim monumentum vnde vno eodémque tempore tum elegantia tum doctrina commodè parari.

rari poſſit ac percepi. Talis eſt Ariſtoteles: tales eius libri de moribus. Nam præterquam quod purè in ijs ſcribit & candidè, nec caret venuſtate, In primis verò ad Atticam illam ſiccitatem accedit, quæ a M. Tullio tantopere commẽdatur; mirũ eſt quales & quantas ad mores ac vitam inſtituẽdam vtilitates habeat: quàm vberes ad moralem Philoſophiam hauriendam fontes aperiat. Hos igitur magno cum bono nec ſine iucunditate explanari poſſe exiſtimo. Id quod eò etiam libentiùs fecerim, quòd cum in hoſce libros commentationem meditemur, faciliùs ea explicare liceat quæ interdum ab hoc Authore grauiſſimo paulò ſubtiliùs ſcriberentur. Rem tamen iudicio veſtro & decreto integram adhuc reliquerim. Neque enim ignoramus multa in Platone mirari non modò Eloquentiam, verùm etiam eruditionem doctrinámque, referre. Iſocratem verò ac Xenophontem elegantia, ſuauitate, ciuilibus etiam documentis, eſſe pleniſſimos, ita ut nemo non vberrimos nobis obijciat fructus, nullus nõ opportunè cadere poſſit. Quid plura? Atticæ Syrenes cenſentur iſti: melle dulcior ijs fluit oratio: horum ore Muſis, horum ſermone Ioui, loquendum cenſuit antiquitas ſi Græcè loqui voluiſſent. Quapropter quiſquis vobis arrideat, huic ipſe operam ac tempus non inuitus tranſmittam vt vobis obtemperem: peruelim tamen vt hac in re veſtrum ſit imperare, meum obtemperare. Ac propterea etiam mea domus honeſtiſſimis ſtudijs veſtris quotidie patebit: ac ſi quid in me erit vel ingenij vel doctrinæ, quæ quàm exigua ſint & ſentio & doleo; ea ad vtilitatem dignitatémque veſtram referre nunquam grauabor.

ORATIO LV.

Hanc habuit ſtudioſus Iuriſprudentiæ Adoleſcens dum in Academia tueretur Theſes.

NON equidem haſce Iuriſprudentiæ Theſes eo conſilio diſceptandas propoſui mihíq. tuẽdas, ornatiſſimi Iuuenes, quòd meo ingenio aut doctrinæ, quæ in me nulla ſunt aut perexigua, conſiderem. Sed ea me impulit cogitatio ac volũtas, quòd cuperem ingenij mei tarditatem exercitatione ac ſtudio excitare. quam cogitationem eò ſuſcepi libentiùs & alacriùs, atq; ea ſpe meliore, quòd is mihi præſto ſit Dux optimus, cuius præſidio me tutiſſimum fore ſentiam. Quin eius voci, ſed quid dico voci? vnico eius verbo, tantum tribuam, vt non poſſim non optima ſpe ad diſputationẽ deſcendere, méque, etſi imperitum ac Iuriſprudentiæ in primis rudem, ne dicam planè ignarum, doctiſſimis aduerſariorum argumentis quaſi telis obijcere. Præſertim verò quòd non me lateat eos eſſe antagoriſtas meos qui parem ingenio ac doctrinæ afferant humanitatem. Hinc enim fiet vt communi quoque dignitati conſulant & vtilitati. Ita demum non contentionis, ſed exercitationis gratia inſtituetur pugna; vt ſcilicet vterque maiores colligat vires atque in dies robuſtior euadat & fortior. Nam hoc planè cõſilio & nomine inſtituta eſt Academia; vt nimirum vſu & exercitatione quotidie proficiamus, & paratiores ſemper ad congreſſum diſputationémq. redeamus. Denique vt Athletæ ea lege atque omine ſe in Gymnaſio exercent ac palæſtra, vt vires magis ac magis augeant & dexteritatem; atque ita demum ex vmbra in Solem, legitimúmq. certamen deſcendentes, & plauſum referunt ac palmam; ita faciendum eſt nobis & enitendum vt in hac Iuriſprudentiæ palæſtra diuturnis laboribus ac ſtudijs ingenium ac mentem excolentes, hinc tandem in foro & iudicijs non ſine laude verſemur.

ORATIO LVI.

Patauij habita dum Orationem pro lege Manilia rurſus explicandam ſuſciperet.

MVlta ſunt, Auditores ornatiſſimi, quæ mihi quidem vehementer probantur in M. Tullio: ſed tamen tria ſunt quæ in illo ſine ſatietate mirari & ad miraculum propemodum iuſpicere ſoleo: neminem rerũ humanarum cognitionem, Patriæ charitatem. denique dicendi virtutem ac facultatem, quam. Eloquentiam appellamus. Et ſanè, vt de excellenti illius & admirabili rerum cognitione aliquid dicam; is fuit M. Tullius qui antequam forum attingeret ac iudicia, aut Rempublicam, adminiſtraret, priuatæ vitæ officia explorauit, expenditq. ac coluit diligentet. Itaque præclaros de Officiis edidit libros, quibus ſiue tecum agas ſiue cum aliis contrahas, nihil aut honeſtius aut opportunius aut perfectius fingi & excogitari poteſt. Quapropter ſi quando cogitationem ac mentem ad eos libros refero quos noſtrates quoq; Theologi de vitæ officiis, conſcripſerunt, vt mortalium conſcientiæ proſpicerent ſolutiq. conſulerent, dici vix poteſt qualem ac quantam in iis cum Ciceronis ſententia ſimilitudinem conſenſionémq. deprehendam. Nec diſſimili conſilio elegantes ac nobiles de Amicitia, déque Senectute libros compoſuit. vt nimirum quemadmodum in libris de Officiis probi ac modetati viri ideam ei commonſtrauerat ac formã qui priuatam degeret vitam; ita huic, dum in eodem curriculo verſetur, viam oſtendetet qua tum amicitiam honeſtè coleret, tum ſenectutem placidè & conuenienter traduceret, tum verò vberrimos utriuſque fructus ad extremùm vſque vitæ diem referret.

Cum verò forum ac iudicia frequentare cœpiſſet, illius ſtatim induſtria ac rerum forenſium cognitio vſque adeò probata eſt iudicibus, atque auditoribus vniuerſis, vt non quidem nouitius ac Tyro ſed veteranus, ſed quid dico veteranus? imò verò iudicum auditorúmque omnium magiſter ac Doctor habitus ſit. Ac iurè quidem. Etenim antequam ad dicendum veniret, ex Scæuola Iuriſprudentiam diligenter didicerat: ex Catonis atque Attici monumentis Romanam omnem antiquitatẽ perceperat: ex Craſſi, Antonii, ac denique Hortenſii auditione, multò verò magis ex Platonis, Demoſthenis Ariſtotelíſque lectione, maximè autem ex domeſtica dicendi conſuetudine, & exercitatione, vberrimos ſibi eloquentiæ fontes aperuerat, quibus animum compleuerat ac linguam. Quapropter ſuos ille de Oratore libros ita compoſuit & elaborauit, vt Oratorem incredibili quadam rerum cognitione atque vſu inſtruxerit & informarit.

Iam veró cum ob talem ac tantam rerum cognitionem, parémque eloquentiam ac morum honeſtatẽ & moderationem omnibus carus eſſet, ecce tibi a P. R. ad Præturam euehitur, ac centuriis omnibus Prætor Vrbanus renunciatur. In quo ſanè munere Populi R. ſpem & expectationem non modò non feſellit, verùm etiam longo interuallo ſuperauit. Quocirca dignus habitus eſt qui è Prætura ad Conſulatum extolleretur, atque eximiæ fidei & diligentiæ ampliſſimum præmium conſequeretur. Interim tamen noſter Cicero de Prętoris officio in iure dicundo; atque Vrbe ſeu Prouincia gubernanda diſſeruit, ac diſputationem Q. Fratri Aſię Pręturam adminiſtranti accommodauit tranſmiſitque. Quę ſanè diſputatio egregiis rerum ciuilium præceptis conſtat, ac præſtans illius ingenium ſingularémque multarum ac magnarum rerum intelligentiam declarat luculentè.

Neque verò in Conſulatu ſiluit M. Tullius: ſed cum ea diligenter circumſpexiſſet animo ac ſecum ipſe reputaſſet quæ Principem decerent Reipublicæ, ſex de Rep. ſcripſit libros, in quibus vniuerſam illius regendæ rationem ſuis Ciuibus commonſtrauit, atque illam doctrina prudentiáque pleniſſimam. Ac profectò cum munus illud ſumma cura & vigilantia obiiſſet, Rempublicámque ipſam, atque adeò Orbis terræ Imperium, coniuratorum Ciuium flammis eripuiſſet, quidni Reipublicæ tuendæ

formam

formam Ideámque ſuis item libris oſtenderet, ac tanquam Venerem Coam nobis ſpectandam proponeret?

Et quamquam ætatem ſic peregiſſet vt priuatæ publicaéque vitæ officia atq; præcepta explicaſſet, proindéq. admirabilem (idquod ab initio affirmabam) humanarũ rerum cognitionem, atque ſcientiam quaſi pulcherrimam facem ac ſalutarem nobis prætenderet, alia tamen excogitauit, éaque longè præclariſſima, in quibus eximium ac propediuinum ingenium exerceret.

Ergo cum Ciliciæ tandem cum exercitu præfuiſſet, atque Imperatoris perſonam ſuſtinuiſſet, Parthos etiam fortiter ſuperaſſet, ſummum quoq; Ducem ſiue optimũ Imperatorem ſibi effingendum, ac militaribus & Imperatoriis quas animo cõplexus fuerat, virtutibus omnibus inſtruendum ornãdúmq. exiſtimauit: id quod in Pompeio, quippè qui ſummi Ducis laude excelleret, deſcribendo expreſſit. Itaut omnem quoque ciuilis ſcientiæ partem, ac propterea priuatæ publicæq. vitæ notitiam, complexus ſit: præſertim verò quia illam quoque notitiæ ac ſapientiæ partem quæ in contemplatione verſatur, peragrauit animo ac literis illuſtrauit: de quibus tamen quoniam longum eſſet ad omnia, & verò aliò noſtra feſtinat oratio, mihi ſilendũ eſt hoc tempore. Illud tamen non prætermittam, ſic ea omnia mente & cogitatione perluſtraſſe, quæ a maximis Philoſophis, præcipuè verò ab Academicis, Peripateticis Stoiciſque de Deo ac Natura tradita eſſent, vt vel ex hoc Latini Philoſophi nomen ſibi iure optimo vindicarit.

Iam verò quàm eximia beneuolentia & charitate Patriam complexus ſit Cicero, nihil attinet dicere, cũ Pater Patriæ a Catone primùm, hoc eſt a Senatore integerrimo ac ſapientiſſimo, tũ a Senatu reliqua fuerit conſalutatus. Tantùm dicam Ciceronem ab ineunte ætate exercitationes omnes ac ſtudia ad Patriæ vſum retuliſſe, huic inſtituta, huic eloquentiam, huic labores omnes dicaſſe: in huius cuſtodia dies noctéſque vigilaſſe, excitatas in illam ſeditiones & coniurationes non ſine capitis diſcrimine reſtinxiſſe: pro hac denique extremum ſpiritum vitámq. ipſam profudiſſe. Quid multa? quamdiu aſpirauit M. Tullius, tamdiu Patria ſuperſtes fuit: illo extincto, ea etiam cum parente optimo extincta eſt.

Atque idem dixerim de Eloquentia: quæ ſanè cũ M. Tullio adoleuit, floruit, ac longè & latè omnium aures animoſq. ſuauitate atque admiratione compleuit: quæ tamen, demortuo illo, deſloreſcere cœpit è veſtigio, vel potiùs cum illo non modò florem ac venuſtatem amiſit; verùm etiam interiit prope funditus. Sed ſatius ſit de hac re ſilere, quàm talem ac tantam iacturam; ſed quid dico iacturam? grauiſſimum ac lachrymabile vulnus reſricare; veriſſimè enim dici poteſt cum ſummo hoc Viro dicendi virtutem eloquentiámque ipſam cecidiſſe; itaut quemadmodum Patria cum M. Tullio, ita cum eodem eloquentia penitus occubuerit.

Habetis, Auditores nobiliſſimi, tripartitam illam quam in M. Tullio ſuſpicere ſoleo rerum varietatem. Sed quorſum? dicat aliquis. Quorſum? vt intelligatis me non temerè Manilianam Orationem ex tanta orationum varietate delegiſſe quam in grauiſſimo hoc loco clariſſimis Auditoribus ac nauis explanarẽ. Etenim licebit multarum ac magnarum rerum quæ ſiue ad prudentiam pertinent ac vitæ vſum, ſiue ad Patriæ charitatem cui nati ſumus, ſiue ad eloquentiam quam hoc tempore profitemur, campum excurrere, ac magna cum vtilitate, ſpero etiam iucunditate, in propoſito curriculo verſari.

Quamquam haud ſcio Auditores num quod attinet ad Eloquentiã, aptè ſatis cauſas indicarim quibus adducor vt Manilianam Orationem præ cæteris explicandam ſuſcipiam. Huc igitur me referam, vt pro virili parte mea vobis, Adoleſcentes optimi, conſilii noſtri conſtet ratio. Quod dum facio vos quæſo pro ſingulari humanitate veſtra etiam atque etiam diligenter attendite.

Ergo duo ſunt quibus dicendi virtutem contineri atque parari cõpertum eſt; præcepta nimirum & vſus. Vt enim præcepta benè dicendi ſine vſu & exercitatione ocioſa ſunt ac fructu carent; ſic vſus contra ſine præceptis haud ſatis per polire valet ingenium ac ſtylum; itaut præcepta cum vſu illi omnino ſint coniungenda qui ad Eloquentiæ aſpiret laudem. Id quod Maniliana ſuppeditabit nobis egregiè. Etenim ſic conflata eſt Oratio hæc nobilis, vt in ea dicendi præcepta veluti in pulcherrimo

ORATIO LVII.

Hanc habuit Patauij Anno 1615. Dum Iohanni Georgio Kydio, Salſpurgenſis Eccleſiæ Decano Theologiæ lauream imponeret.

TAlę ac tantum virtutis tuæ ſpecimen præbuiſti, Decane optime & ornatiſſime, ampliſſimo huic Theologorum Collegio, vſque adeò & ingenium & memoriam & doctrinam, modeſtiam inſuper ac pietatem, probaſti Patribus vniuerſis, vt pari voluntate & conſenſione omnes te digniſſimum iudicarint, quem ſacrę Theologiæ laurea decorarent. Et ſanè cum adoleſcens adhuc, pro tua virtute Philoſophiæ lauream adeptus eſſes, quidni ætate ac doctrina auctus, ad ſacræ Theologiæ Lauream contenderes ac fœliciter peruenires? præſertim verò cum iam & Sacerdotium ſuſcepiſſes, & in Salſpurgenſi Eccleſia Decani perſonam ſuſtineres: par enim erat vt grauiſſimis hiſce ſiue oneribus ſiue muneribus non modò Philoſophiæ, verùm etiam Theologiæ præſidijs vel maximè, occurreres ac ſatisfaceres. Denique tum demum ancillæ (id quod ſapientiſſimus indicat Salomon) vocantur ad arcem, cum humana doctrina ad Theologiæ, quæ totius Sapientiæ arx eſt ac vertex, miniſterium aſciſcitur & euocatur. Ita fit vt Moabitidem, alienigenam inquam exulantémque mulierem, non repudiemus, ſed libenter excipiamus, ac piam prudentémque agnoſcamus, cum Philoſophia atque Ethnicorum Sapientia ad Dei populum, hoc eſt ad Theologiam, regreditur, & cum illa intimè copulatur. Age dum igitur ſurge Excellentiſſime Decane, ac mihi adeſto. Ego enim, quod fœlix fauſtúmque ſit, authoritate Dei Omnipotentis, Pauli V. ſummi Pontificis, Illuſtriſſimi ac Reuerendiſſimi Marci Cornelij Patauini Epiſcopi, annuente etiam eius nomine Religioſiſſimo qui nunc adeſt Proepiſcopo, Patribus denique omnibus volentibus ac iubentibus, te ſacræ Theologiæ Doctorem atque Magiſtrum conſtituo, declaro, pronuncio, idque ijs prærogatiuis omnibus, quibus cæteri Chriſtianæ Reipublicæ Theologi quocũque modo legitimè fruuntur & gaudent. Huius rei primum ſit Symbolum ſacer hic, quem tibi defero, Theologiæ liber: vt nimirum intelligas tibi diuinam legem diu noctúque meditandam & recolendam, vt mortales ad Dei amorem & cultum incendas. Alterum Symbolum ſit aureus hic circulus, qui te de aurea immortalitate atque æternitate admoneat, ad quam nobis ex hac mortalitate perpetuò aſpirandum ac ſuſpirandum eſt. Poſtremum ſit hic pileus in Crucis formam fictus & figuratus; vt tecum ipſe conſtituas non delicijs ac voluptatibus, ſed ſudoribus & cruciatibus, vno verbo, Chriſti cruce, ad beatam vitam contendendum & properandum. Quapropter qui hactenus pro Chriſti fide & Catholica Religione bonorum rapinam & exilium paſſus es, perge porrò ac pro eâdem ſanguinem, ſi opus fuerit, vitámque ipſam profundere ne graueris. ſic enim pro terrenis bonis cœleſtia, pro caducis ſempiterna, pro humanis diuina conſequeris. Ita demum præclariſſima Iuſtitiæ corona decoraberis, quæ ijs maximè repoſita eſt atque decreta qui pro Catholica veritate legitimè ſtatuerint, aut pro Chriſti nomine contumeliam experti ſint. Iam verò oſculum pacis accipias, & mihi contiuenter aſſideas, & Reuerendiſſimus Proantiſtes diuinam tibi benedictionem impertiat.

ORA-

ORATIO LVIII.

Patauij habita a N. N. dum Iuriſprudentiæ theſes publicè in Gymnaſio tueretur.

ETSI nulla ſeu doctrina ſeu virtus non magnopere a mortalibus æſtimanda eſt atque colenda, Præſides Illuſtriſſimi, Decuriones præſtantiſſimi, excellentiſsimique Patres ac cæteri Auditores ornatiſsimi; Iuriſprudentiam tamen atque Iuſtitiam inter doctrinas ac virtutes reliquas maximè omnium eſſe colendam ac toto pectore amplectēdam, nemo, vt opinor, qui rectè ſentiat, dubitauerit. Atque hinc ſanè eſt vt Iuriſprudentiæ ſtudium tum Europa ferè tota, Chtiſtianóque orbe vniuerſo ſtrenuè retineatur, tum in primis in Vrbe hac noſtra a priſcis vſque temporibus excolatur. Itaque hanc forum excipit, hanc tuentur Iudicia, hanc Præſides optimi ac Magiſtratus ampliſsimi complectuntur, hanc celeberrimum Iuriſconſultorum Collegium illuſtrat & colit, hanc denique almi huius Gymnaſij Doctores enarrant, ac non ſine ingenti Auditorum & frequentia & plauſu interpretantut. Ex quo fit vt dum Sapientiſsimi quique Iuſtitiæ ac Iuriſprndentiæ ſuam illi operam accuratè nauant, ac diligenter inſeruiunt, indocti etiam ac rudes illi obtemperent, atque illius decus ſuſpiciant & venerentur. Ita quidem homines paſsim in Iuriſconſultorum ſinū tanquam in portum confugiunt: eorum domos quaſi Aſylum frequentant: illorū dicta veluti oracula excipiunt: denique eum qui egregiè de Iure reſpondeat, inter Heroas propemodum enumerant vno ferè Ioue illum minorem exiſtimantes. Quid plura? eò prouecta eſt Iuſtitiæ ac Iuriſprudentiæ exiſtimatio, vt clariſsimus Iureconſultus ægrè ſummis Imperatoribus ſubmittat faſces: quin pacatis temporibus non modò faſces non ſubmittat, verùm etiam pari cum dignitate, interdum etiam maiore, in foro, in Curia atque in Vrbe verſetur. Sed quid dico in Vrbe verſetur? imò verò militiæ, militiæ inquam ſi vera ac legitima ſit, leges ſtatuat, quibus tanquam frenis bellatores ipſos Imperatoréſque cohibeat ac moderetur. Denique Iuſtitia (vt multa paucis complectar) ac Iuriſprudentia cæteris artibus atque doctrinis fines officiáq. præſcribit: leges mortalibus cunctis imponit: præmia, & honores probis, improbis ſupplicia ignominiáſq. decernit: connubia, liberos, penates, aras Religionémque ipſam, qua nihil in Terris præſtantius repetitur, propugnat atque tuetur. Quamquam ne illud quidem prætermittendum eſt, quo maximè Iuſtitiæ ac Iuriſprudentię ſplendor enitet ac fulget. Hinc enim non rarò ad ſummos Magiſtratus paratur aditus: hinc ad Vrbium Regnorúmq. gubernacula deuenitur: hinc ad tiaram, ad purpuram, ad ipſam Petri ſedem, aſcenditur: & quod caput eſt, ad Dei, quoniam Iuſtitiæ & æquitatis fons eſt; ſimilitudinem ac maieſtatem quodammodo acceditur. Quapropter qui vel Iuſtitiam tutantur, vel ad Iuſtitiam inſtituūt populos, ij ſanè Dij quodammodo reputantur; præſertim verò quia Iuriſconſulti poſterioribus ſeculis Ius Pontificium cum Cæſareo coniungentes, atque humana cum diuinis copulantes, diuina humanáque omnia ad benè beatéque viuēdum retulerunt. Vt minimè mirum videri debeat legum ſtudia ac Iuriſprudentiæ decus non modò Hebræorum Græcorúmque Sapientiſsimos, vnde Legiſlatores ſummi extiterunt, vehementer excitaſſe, atque inter Latinos, Scæuolas, Sulpitios, Labeones, Martianos, Papinianos mirificè incendiſſe, verùm etiam Auguſtum, Neruam, Adrianum, Seuerum, Mammæā Alexandrum, Conſtantinum, Theodoſium Iuſtinianúmque ad ſui amorem ac tutelam veluti rapuiſſe: Clementes etiam, Gregorios, Innocentios, Bonifacios ac ſummos Pontifices multos ad ſui patrocinium ac defenſionem inflammaſſe. Ita quidē hinc Romani Antiſtites, illinc Romani Imperatores, pro legibus veluti in ſtatione aciéve conſiſtunt, ac Sapientiſsimis quique ſtipati aſſeclis illarum decus protegūt augéntq. mirificè. Quæ cum ita ſint, nemo, vt arbitror, non eorum conatus laudauerit, qui Iuriſprudentię operam nauant, atque illius decus adamantes ac ſuſpicientes, inde lauream referre contendunt. Id quod ſi mihi euenire negent, mentiar ſanè, Auditores

præſtan-

præſtantiſſimi,ac turpiſſimè mentiar. Cum enim ex ephebis exceſſiſſem,atque honeſtiſſimum hoc Doctrinarum theatrum optimarúmque Artium domicilium,ingredi cœpiſſem, dici vix poteſt tantopere illius dignitas ac ſplendor caperet oculos meos: quantum ſapientiſſimorum virorum oratio atq; maieſtas meum oblectaret animũ, & ad optimas diſciplinas capeſſendas,ac Iuriſprudentiam inprimis perdiſcendam,alliceret & inflammaret. Itaque Doctorum conſortio atque colloquijs ſic delectabar, vt publicis priuatíſque illorum diſputationibus nihil mihi antiquius contingere poſſet aut dulcius: nihil ad mores ac vitam inſtituendam, & ad benè beatéq. viuendum optatius & opportunius.

Quapropter cum quinquennio toto illis operam dederim, omnino mihi faciendũ putaui,vt tandem in hanc arenam deſcenderem. Etſi enim ſatis intelligerem me nullum aut ingenij aut doctrinæ ſpecimen,præſertim doctiſſimæ huic Auditorum coronæ,præbere poſſe, veruntamen haud cunctandum fuit Patauini Collegij decretis obtemperare,ac literarium hoc certamen ſubire. Agedum igitur, Commilitones optimi, in medium prodire ne grauemini. Fore enim ſpero,vt cum vos doctiſſimis hiſce Auditoribus tum ingenium veſtrum ac memoriam,tum maximè Iuriſprudentiæ ſtudium doctrinámq. probaueritis, illud mihi ſaltem laudi tribuatur, quòd cum fortiſſimis Athletis congredi ac decertare non dubitauerim.

ORATIO LIX.

AVDITORVM ROGATV

Habita in Patauino Gymnaſio, dum Ariſtotelis de Gloria ſententiam explicaſſet.

HAud equidem committam, Auditores ornatiſſimi,vt diutius officium meum requiratis: ſed,prout debeo, parebo libens, atque optatis veſtris pro virili parte mea ſatisfaciam. Cum enim ſemel, iterum,ac tertiò ex me flagitetis, vt de Gloria verba faciam, atque adeò exponam NVM eam omnino dignam exiſtimem,pro qua deſudetis;an verò (quod contenderunt aliqui ac literis prodiderunt) contemnendam eſſe iudicem,perplacet ſanè rem hãc vniuerſam Academicorum propè more ac modo in vtranque partem rationum momentis expendere, ac tandem (ſi per tempus liceat) docere quæ ad veritatem procliuior videri poſſit opinio. Res enim cum per ſe grauis eſt,& hoc loco,veſtriſq. auribus, veſtráque nobilitate digniſſima,tum verò ad vitam inſtituendam mirificè accommodata. Vt mihi quidem his etiam de cauſis iucũdiſſimum ſit vobis morem gerere,ac ſtudijs veſtris & poſtulatis obſecũdare. Quod dum facio,& in nobilem hanc dimicationem rogatu veſtro deſcendo,vos quæſo,Au- Auditores nobiliſſimi,pro veſtra in me beneuolẽtia diligenter,qđ cœpiſtis,attẽdite.

Principiò igitur minùs digna videri poſſit Gloria quam expectamus, & cui, quod multi faciunt; magnopere tribuamus. Cum enim ſupra quàm dici poſſit,caduca ſit ac fluxa, quid eſt quod prudentem virum allicere poſſit, aut ingenuos adoleſcentes ad ſui cupiditatem incendere? Et quidem fragilem eſſe & fluxam cum gentium omnium quótquot vnquam extitere declarat euentus, cum eas iam obliuio ac puluis obruat,tum in Macedone Alexandro ac Cn. Pompeio obſeruare licet, quibus rerum geſtarum magnitudo peperit cognomentum. Etenim prior, cum Orientis Imperium occupaſſet,ac maximam ſibi famam ac Nominis gloriam comparaſſet, ecce tibi repentè, atque in ipſo ætatis flore. Imperio ac vita ſpoliatus eſt. alter inglorià & pugna & morte quidquid gloriæ adeptus eſſet amiſit momento temporis. Ac ſanè caduca & fluxa eſt Iuuẽtus,cum breui diffluat,obrepátq. ſenectus: fluxa eſt pulchritudo quæ vel leuiſſima defloreſcit ægritudine: ſed gloria campeſtris inſtar eſt floris, qui breui aut ferro ſucciditur,vel æſtu areſcit aut frigore, vel marceſcit imbre.

Huc accedit quòd Gloria veluti ceſias nubes, inuidiam, & ex inuidia infamiam, contrahit facilè; itaut Camæleontis inſtar aſpectum mutet, vel geminam præſeferat

Digitized by Google

faciem, ex quo fit vt verſipellis aut bilinguis dici poſſit Gloria. Antenor & Aeneas exemplo ſint, ex quibus ille a multis prudentiæ, hic pietatis ac fortitudinis, laude celebratur: & tamen a quibuſdam Patriæ proditores promulgantur. Idem dixerim de Penelope & Didone, quas pudicas multi, aliqui contra impudicas diſtitant & canũt. Quid plura? Ilium a Græcis expugnatum at Troianos victos canunt ſcribũtq. plurimi: & tamen haud deſunt qui Græcos victos affirment ac profligatos. quis igitur eã ſectetur, ac ſibi in finis conſtituat loco, quæ non modò inconſtans ſit ac fragilis, verũ etiam cum dedecore copulatur? Id quod nos ipſius gloriæ nomen, ſi Græcos conſulamus, non obſcurè admonere videtur; illis enim cum opinione imò verò cum fama ac rumore commune eſt. quorum autem eiuſmodi nomen quòd ſæpè malè audit, & in deteriorem partem vſurpatur, ad gloriam referre, ſeu gloriæ aptare, niſi vt intelligamus tum fluxam eſſe & inconſtantem, tum ſæpè malam, ac proinde gloriam non quidem ſectandam ſed fugiendam eſſe? Quamquam, vt de re ipſa agamus, cauendum in primis eſt ac prouidendum ne vitæ officia perturbemus, ac præpoſtero ordine vitam actionéſq. inſtituamus. Sanè gloria inde inter mortales videri debet comparata, vt eos ad virtutem excitet. quòd ſi quis fortitudinem aut temperantiam exerat, ac ſummatim virtutem præſeferat, vt ſibi comparet gloriam, is officia perturbet vitæ neceſſe eſt. Quid quod expetentem & conſectantem fallit ac fugit Gloria? fugienti ſpernentíque vni præſto eſſe ſolet? fac etenim aliquis in Orientem Solem oculos vultúmque conuertat, fac iter ad Orientem Solem inſtituat, hunc ſine dubio vmbra ſtatim cõſequetur, & quò celeriùs erga Solem properabit, eò magis illum comitabitur & complectetur. Quod ſi Soli terga dederit, ſéque ad vmbram conuerterit, atque hanc conſectari cœperit, eum effugiet, ac tãto maiore celeritate quò maior fuerit celeritas inſectantis. Sic ſanè qui Gloriæ terga dederit, atque vnam virtutem ſpectarít ad quam veluti ad orientem Solem contendat, hunc conſequetur Gloria & comitabitur: quòd ſi a virtute ad Gloriam perſequendam ſeſe conuerterit, hæc quaſi vmbra diffugiet ac dilabetur. Veriſsimè enim dici poteſt quam habet ad humanum corpus proportionem vmbra, hanc habere ad hominem Gloriam; itaut is eam amittat qui expetit & conſectatur. atque hinc eſt vt ij Gloriæ cupidi atque adeò ambitioſi & vani dicantur, eadémque de cauſa philodoxi malè audiant apud Græcos. Neque verò illud eſt reticendum Gloriam inter externa bona numerari, ac Fortunæ acceptã referri perinde ac diuitiæ. Quis igitur non ſentiat eſſe Fortunæ ludibrium atque indignam quæ tantopere expetatur? quis non turpe ducat noſtrorum laborum ac ſtudiorum atq; adeò virtutis ipſius metam conſtitui? vt propterea iure optimo viri ſapientes etſi Ethnici de Gloria contemnenda integros conſcripſerint libros. atq; vtinam illorum monumenta, ſi non omnia, at certè aliqua, extarẽt hoc tempore: liceret enim ex iis animaduertere quàm turpiter capiantur homines illecebris gloriæ, cum eam toto pectore amplectantur quam par eſſet tãquam Syrenem declinare, ac remis veliſque defugere. Quin illud quoque optandum eſſet vt quem de Gloria librum ſcripſit M. Tullius, is ad nos perueniſſet: etſi enim ea diſputatio, vt author Gloriæ fuit cupidiſsimus ac ſectator acerrimus, fortaſſe fauebat gloriæ, haud tamen verendũ eſſet ne non multa aduerſus Gloriam contineret: is enim fuit M. Tullius, qui quicquid ferè literis commendaret, id in vtramque partem diſertiſſimè & copioſiſsimè diſputaret; vt nimirum non tam ſubtiliter res ſtatueret, & ad punctum collinearet, quàm vt Eloquentiæ vela commodiùs panderet, ſéque inſuper in Græcorum ſcriptis egregiè verſatum oſtenderet, dum eorum more vtrinque decertaret. Tametſi quod vel Cicero vel Græcorum Sapientes nobis præſtitiſſent, niſi temporum iniuria intercidiſſent, id ſarcire liceat noſtrorum Doctorum iudicio & ſapientia: præſertim verò cum diuinas literas habeant quas hac in re ſequantur, ac ſine errore ſequantur. Et ſanè tantum abeſt vt ij gloriæ quidquam tribuendum exiſtiment, vt eam Chriſtiano viro fugiendam, contra verò Chriſtianam humilitatem toto pectore amplectendam profiteantur ac doceant. Quod ſi ita eſt, vt certè eſt, nihil magis pugnat cum Chriſtianæ vitæ officijs ac ſtudijs quàm cupiditas gloriæ: in eo enim poſita eſt Chriſtianæ vitæ humilitas vt neſciri amemus ac pro nihilo reputari, quod ſanè cum Gloria, cui nominis fama & celebritas propoſita eſt, vſque adeò pugnat, vt conſociari nullo modo poſſint. Neque verò illud obtendat quiſpiam, poſſe, & Chriſtianam humilitatem retine-

ri,& gloriam inſuper, quoniam ad Deum referri poteſt,exoptari. Nam vt eam aduentantem moderato ſuſtineas animo,nec efferaris, fieri poteſt : etſi ne id quidem facile eſt; ſed vt vno eodémque tempore talem ac tantam animi demiſſionem atque humilitatem colas, vt neſciri cupias,& tamen gloriam expetas, quocunque conſilio expetas,fieri nullo modo pōt. Vt propterea deſpicienda ſit Gloria, & non modò è pectore euellenda, ſed cogitatione ipſa arcenda longiùs.Hæc in præſens contra Gloriā. Nunc veluti remigationem conuertentes ac velum, pro Gloria velis remíſq. decertemus.

Ac primum illud mirificè fauet Gloriæ quò Naturæ ſit conſentanea illius cupiditas atque adeò cum humana natura coniunctiſſima: nam quemadmodum Natura Duce ignominiam declinamus & infamiam exhorreſcimus, ita è contrario Natura Duce Gloriam ac nominis celebritatem expetimus. itaque egregiè, vt ſæpiſſimè ſolet, M.Tullius, *Trahimur* (inquit) *omnes ſtudio laudis, & optimus quiſque Gloria ducitur.* vbi trahimur (inquit) quòd maxima ſit vis laudis & Gloriæ, (has enim interim miſcet quòd affinitate maxima coniunctæ ſint) ac Natura ipſa ad eam nos impellere ac trahere videatur: addit,omnes, quòd nemo non illius vim atque Imperium ſentiat: quaſi verò ad laudem ficti ſimus ac procreati. Sed cur addit,& optimus quiſque Gloria ducitur? an fortè non omnes ſed optimos tantùm gloria duci exiſtimat? minimè verò,ſed ita loquitur vt intelligamus optimum eſſe gloriæ ſtudium, & omnibus enitendum vt quemadmodum probitatem ita gloriam aſſequi ſtudeamus. & hoc eſt quod egregiè docuit Romanus alter Author, atque is nobilis, cum ſcriberet, *Nulla eſt tanta humana humilitas quæ non gloriæ dulcedine capiatur*: quibus verbis ſignificat neminem ita humilem vitam degere & abiectam, quin interdum Gloriæ ſuauitate & cupiditate tangatur & capiatur. atque hinc ſanè oritur æmulatio, quæ in iis maximè cernitur qui in eodem verſantur curriculo. Ita fit vt Rex florentem ac laudatum Regem,cuius ciuem, faber fabrum, agricola agricolam æmulatur. Sed quæſo Gloriæ triumphum iam inſpectemus & Gloriam. Occurrit enim egregius Poëta & clarus qui illius nobis ſimulacrū obijcit ante oculos,illúdq. præclariſſimū & gloriæ pleniſſimum: Etenim collocauit Gloriā veluti Reginam pulcherrimā in ſplendidiſſimo ſolio, quod in currū impoſuit, vnde homines veluti conſtricti deuehantur: itaq; canit

Sed fulgente trahit conſcriptos gloria curru

Non minùs ignotos generoſis ——— vbi ſic nobis obiicit Gloriæ ſplendorē ac maieſtatem,& illud ēt confirmet,neminem nō Gloriæ cupiditate excitari: nā ignotos etiam,quique in obſcuro poſiti ſint, perinde ac nobiles & generoſos. Gloriæ curru deuincit. Atque id profectò eſt quod nobis in memoriā reuocauit alter Poëta dum caneret. *Tu ſola animos mentémque peruris Gloria*

Viſus eſt enim Gloriam tāti facere & vſque adeò extollere vt vni Gloriæ vim tribuerit inflāmandi animos. quod miretur facilè quiſpiā, fortaſſe etiam reprehēdat. nónne ſcientię doctrinarúmq. pulchritudo ac dignitas omniū animos mentésq. perurit? nōne virtutis ſpecies ac forma noſtros inflammat animos & capit? quid? nónne honoris quoq; cupiditas aut ēt nobilitatis decus excitat mortales? atq; idem dixerim de diuitijs: nam diuitiarū cupiditate paſſim homines æſtuare cōpertum eſt. Denique Cupidini nulla alia de cauſa faces tribuūtur quàm quòd homines amoris illecebris ſummopere incendantur. Nā de beata vita nihil attinet dicere· hanc enim ab hominibus expeti,& cupidiſſimè,nemo non experitur. Rectè. Sed acutè tamen adhuc ac ſcitè canit Lyricus dum ſolam Gloriā ait noſtras mentes perurere. nam quemadmodum interdiu nō ſecus ac ſub noctē ſtellis variatur Cœlū & exornatur, cum tū præſente Sole lucē amittere vel ēt diffugere videantur, ita ut per diē Sol vnus noſtros oblectet aut illuſtret oculos; ſic præſente Gloriæ face, aliarū rerum cupiditates ac faces veluti extinguūtur. itaq; videas paſſim hoīes laboris ac vigiliarū, quibus doctrinæ ac virtutes indigeat, tædio,animi & corporis contentionem remittere, ac ſapientiæ ſtudia cogitationésq. abiicere: nautas ac mercatores quantūuis auidos, merces præcioſiſſimas proijcere vt ſint incolumes, Reges etiam Vrbes ac Regna deſerere vt vitam tueantur, amoris quoque Imperium detrectare multos vbi pericliterur ſalus, vitam deniq; honoribus ac nobilitatis ſplendori mortales paſſim anteponere; & tū talis ac tanta eſt vis Gloriæ, vt ſanguinē pro illa effundere ac vitā cū Gloria cōmutare nō vereantur ita vt iure canere videatur *Tu ſola animos mentémq. peruris Gloria* Nā de beata vita quid at-

N 2 tinet

Pro Gloria

tinet dicere,cui homines corporis ipſius voluptates facilè anteponunt,quàm ve in voluptatibus ijs collocant,quas paulò poſt faſtidiunt, tãtum abeſt vt pro illa (quod pro gloria facimus) mortem contemnant? Sed quoniam tum diuitiarum tum nobilitatis,mentionem feci,quidni hinc gloriæ celebrandæ quod ſeſe offert argumentũ deſumam? Ergo cum diuitiæ noſtros excitent animos, quin, ſi non malis parentur artibus, ac moderato ſplendeant vſu,laudabiles reputentur, cur non laudetur gloriæ ſtudium atque cupiditas,cum in virtute nitatur, & ex virtute eáque excellenti proficiſcatur? Atque idem affirmauerim de Gloria ſi cum nobilitate conferatur. Cum enim nobilitas,etſi ex ſanguine ducitur potiùs quàm ex virtute, non modò non ſit contemnenda, ſed laudanda & appetenda, cur non multò maximè appetenda erit gloria quæ ex præclaris factis oritur & excellenti aque adeò admirabili virtute continetur? Atque huc pertinet quod a Platone appellatur laboris ac Virtutis filia: huc quòd ab Ariſtotele dicitur præmiorum maximum: huc quod a Plutarcho cenſetur rerum præclarè geſtarum immortalis teſtes: huc denique quòd veteres ad Gloriæ Templum niſi ex Laboris ac Virtutis Templo,patêre aditum voluere. Sed & inde Gloriæ decus mirificè elucet,quod ea ſublata rebus ſtrenuè gerendis præcipuus intercluditur aditus, ſiue incitamentum adimitur nobiliſſimum; contra verò retenta, ac gerẽdis rebus propoſita,ad præclara facta via aperitur ampliſſima ſiue incitamentum adiungitur maximum. Quod ſi honos alit artes,atque ob id etiam dignus eſt qui cõmendetur; cur non eximia gloriæ tribuatur commendatio, quæ bonorum omnium eſt maxima, ac maximè omnium ingenia atque optimas artes ac diſciplinas non modò non modo alit, ſed euehit ac perficit? Veriſſime enim affirmari poteſt,artes neceſſitate inuẽtas, quæſtu auctas,gloria ad ſummum euectas. Itaque tum demum ingenia præclaraéq. artes ac doctrinæ magnopere floruerunt,cum mortales non tam neceſſitate aut quæſtu,quàm æmulatione,præcipuè verò laudis cupiditate ac Gloria,ad eas impulſi ſunt. Sic inter Duces tum Milciades, Themiſtocles & Alexander, tum Annibal ac Scipio,tũ Pompeius & Cæſar rem militarem;inter Oratores verò Aeſchines & Demoſthenes, Antonius & Craſſus,Hortenſius & M.Tullius Eloquentiam,ad ſummum gloriæ ſtudio extulere. Quid quod hæc vna in primis ciuium noſtrorum, Reipublicæ ac Patriæ ſaluti ac dignitate conſulimus? Fac enim nobilis ciuis præclarè aliquid pro Patria aut pro amicis geſſerit, vnde nominis celebritatem ac gloriam aſſecutus ſit; quis non videat huius exemplo reliquos ciues admoneri de optimi ciuis officij, & ad res fortiter egregiéque gerendas inflammari? Dies me deficiat, Auditores, ſi Gloriç vel vtilitates vel præconia & dignitates perſequi velim. huius enim ope humanç vitæ fragilitati proſpicimus,ac mortalitatem cum immortalitate commutamus: hinc & locorum & temporum interuallis abſentes præſentes reddimur: hinc ex mortuis viuentes efficimur. An non in mentem venit eos qui fortiter pro Patria cecidere, talẽ hinc gloriam demereri vt a Sapientiſſimo Legiſlatorem ac Principe pro viuis habeantur, & inter viuos numerentur? Sic ſanè: atque ita fit vt qui illum inter viuos numeret pater, hoc nomine a publicis quoque muneribus excuſetur. Atque hinc fit, vt Gloria vnicum mortalitatis ſolatium & columen iurè ac meritò appelletur. Etenim decedentibus magnum ſolatium eſt quidem liberos quos procreauit ſuperſtes relinquere,maius illos diuitijs & honoribus auctos dimittere; ſed Gloriæ theſaurum ac decus illis tranſmittere atque immortale ſuæ familiæ & Patriæ nomen communicare,id verò eſt ſolatium maximum & incomparabile ornamentum. Quid moror? qui cum gloria è viuis decedit,is ad beatas mentes ac Deum ipſum proximè accedit, itaut vno minor Ioue (liceat mihi Poëtarum verbis vti) dicendus ſit. Ac mea quidem ſententia ſi quid eſt vnde diuinum Numen ſuſpicimus maximè & admiramur, id ſanè eſt ſingularis,quaéque nũquam ſatis animo percipi poteſt aut verbis vllis explicari, Gloriæ magnitudo quam de Deo gentes prædicant omnes: quidni igitur is qui cum ingenti Gloria ex hac mortalitate deceſſerit, non ad Deum propter Gloriam proximè quodam modo acceſſiſſe dicendus ſit: Hæc pro Gloria.

Retineat Gloria. Quid igitur in hac controuerſia ſtatuemus, Auditores optimi,cum cõtrariæ omninóque diſſidentes ſeſe de Gloria offerant ſententiæ? Conciliabimus illas ſi quo modo liceat, Gloriam in primis,ſed caſtam tamẽ & verecundam,retinentes; ídque hinc ducto initio. Bona (ſi Peripateticorum Principi credimus) quædam ea ſunt, quibus

niſi

niſi rectè & cum dignitate vti non poſſumus: talis eſt temperantia, æquitas, prudentia, tales reliquæ virtutes omnes, quæ, quoniam ad mores pertinent, morales appellantur: quaſdam ſunt eiuſmodi vt ad malum quoque vſum reuocari poſſint: tale eſt corporis robur & valetudo, talis nobilitas & authoritas, talis forma & pulchritudo, talis Eloquentia & militaris ſcientia, talis medicina, & ne cõſecter omnia, magna pars earum doctrinarum quæ in contemplatione ſeu rerum cognitione verſantur. atque ex horum bonorũ genere eſt Gloria, quæ quantumuis præclara & fulgens, poteſt per improbitatem aut imprudentiam (vt hominum mens inconſtans ſæpè eſt ac varia) ad malum vſum referri. Ex quo fit vt Gloria ſi ad optimum finem, prout ratio poſtulat referatur, hoc eſt ad amicos, Patriam, humanúmque genus tuendum ac iuuandũ, optima cenſenda ſit: atque hoc nomine iurè ac meritò expetatur: quídni enim vehementer probetur dum moderationem interim & æquitatem retineamus, & cũ Gloria coniungamus? Denique qui, quod ſæpè fit, non extollatur Gloria & ad arrogantiam dilabatur, ſed Iuſtitiam honeſtatémque, vno verbo, Virtutem colat (id quod Numine auſpice optimè licet) is Gloriam non ſine Gloria conſectetur & conſequatur.

Diluuntur contraria argumẽta. Atque hæc quidem Gloria, quæ ſcilicet moderatione fulciatur & æquitate; non modo fluxa non modò fluxa nõ eſt & caduca, verũ etiam corpori (hoc enim vnũ caducum eſt) ſuperſtes, ac mortis ipſius victrix vt ita dicam & triumphatrix. Itaque nõ temerè ſiue Iuuentutem ſiue pulchritudinem cum flore conferas, & caducam ac fragilem appelles; Gloriam certè quæ vera ſit & excellenti virtute parta, nullo modo. quod ſi interdum obſcuretur inuidia, pulchrior hinc & clarior emergere ſolet: vt enim meridianus Sol nubes, ſic vera Gloria inuidiam diſijcit, ita fit vt rumoribus atq; mendacijs diſſipatis, inuidiáque ſuperata, ſplendidiùs micet, ac mortalium oculos mirificè oblectet. Vt omittam virtutem ac Gloriam non ideò deſerendam, quòd inuidorum liuore obſcurari videatur aliquando; ſed quia pulchra eſt, adamãdam & amplectendam. Neque verò conceſſerim δόξαν a Græcis appellari vt intelligatur inconſtantem aut malam eſſe; ſed potius quoniam δόξα non rarò pro exiſtimatione atque optimam in partem capitur, nimirum pro honore & Gloria hoc illi obtigit nomen. & hinc eſt vt quam interdum viri Sapientes δόξαν vocant, hanc εὐδοξίαν & bonam famam appellent. Itaque magnus dicendi atque intelligendi author Ariſtoteles in libris de Eloquentia cum bona enumeraſſet vnde beata extitit vita, ac δόξαν inter cætera bona enumeraſſet eandem continenter εὐδοξίαν ſine diſcrimine nuncupauit. Neque idcirco perturbantur vitæ officia, quin propoſita moderatione retenta cõſeruãtur egregiè: quæ enim officiorum ac vitæ perturbatio ex ſolida gloria oriatur, quæ cum fortitudine, Iuſtitia, Prudentia, & (vt ſemel dicam) cum virtute arctiſſimè coniuncta ſit & copulata? At enim fugit conſectantem. fugit illa quidem ſi virtutem interim deſerat: ſed qui hanc tanquam Ducem ſequatur, nec ſe ab ea diuelli patiatur, amplectitur efficitque clariorem. Neque enim cum vmbra ſic conſertur, vt nõ inter eas diſcrimen intercedat magnum; vmbra enim cum Sole coire nequit & copulari, gloria cum virtute iungitur facilè: ita fit vt orientem Solem vmbrámque inſequi vno eodémque tempore nullo modo poſſis, virtutem & Gloriam vtique poſſis. Ex quo fit vt propter virtutem qua cum coniunctiſſimè degit, non tam externũ aut Fortunæ quàm inſitum atque animi bonum dicenda ſit. Ita ſanè non fortunæ ludibrium cenſenda erit ac laboribus noſtris indigna; ſed perinde ac Virtus, cuius & fœtus eſt & comes, ſolida & vigiliis noſtris ſtudiiſque digniſſima. Sed quî tandem cũ Chriſtiana humilitate conciliabitur quæ nobis diuinitus oblata eſt? ea ratione conciliabitur, quia ſui ipſius contemptus ac deſpicientia, ſiue Chriſtiana humilitas, diuinitus nobis oblata & commendata eſt, non quidem ad honeſtam gloriam oppugnandam aut arcendam longiùs, ſed potius ad humanum ſactum reprimẽdum, atque adeò ſuperbiam & arrogantiam cui ſummus obnoxij, profligandam & obterendam. vix enim dici poteſt quantopere hominum genus, etſi mortale & ex terra ſumptum, ambitione exagitetur & arrogantia. Quapropter vt huic morbo mederi liceat, Chriſtiana humilitas oblata nobis eſt qua ambitioni reſiſtamus, ſuperbiámq. frangamus: alioqnin, vbi moderatè proſperitatem feramus & Gloriam, nec a Virtute quicquam diſcedamus, non neceſſe eſt vt gloriã penitus contemnamus: medicamenta enim ęgrotis non iis qui valent ſunt adhibenda. Quaptopter vbi vel noſtris ciuibus exẽpto præ-

lucere, vel Patriæ aut Chriſtianæ Reipublicæ præclaris factis monumentiſve prodeſſe, valeamus vnde extitit Gloria, arripienda occaſio. id quod cum factitandum eſt omnibus tum ijs maximè qui dignitate fulgent, ac cæteris mortalibus gubernãdis iuuandiſq. præponuntur: iis enim virtutis vnde Gloria propagatur, ratio habenda eſt diligenter, omninóque enitendum vt præclaris exemplis cæteros ad Virtutẽ incendant. Quamquam illud quoque enitendum atque enixè diligentérq. curandum, vt quam & ſequimur gloriam & aſſequimur, hanc Deo & acceptam referamus, & quaſi Victoriæ manubias votis omnibus offeramus & conſecremus. nihil enim prohibet quominùs vno eodémq. tempore quam ſectamur Gloriam hanc bonorum omnium Authori ac Gloriæ ipſius largitori referamus.

At enim præclarè tu quidem docuiſti; gloriam, etſi alioquin mortales illa abutantur ſæpè; bonam eſſe ac propterea ad bonum finem referri & poſſe & deberi: quin, ſi vera & conſtans ſit, cum virtute eſſe coniunctiſſimam, & idcirco honeſtè a nobis expeti. Sed quoniam addidiſti non tamen ita ſectandam, vt in ea ſiſtamus, ſed illam ad Dei gloriam diligamus: id verò quale quale ſit explicandum eſſet: quî enim fieri poteſt vt a nobis expetatur & in finis loco habeatur, ſeu laborum noſtrorum ſcopus ac meta conſtituatur, & tamen non nobis a nobis quæratur ſed Deo? profectò Romani, quos maximè omnium Gloriæ laude floruiſſe conſtat, Gloriam ſibi ipſis in finis loco propoſuere, ita ut omnia Gloriæ aſſequendæ cauſa geſſerint. Acutè id quoque. ſed cum & Virtutem & Sanitatem & honeſtas diuitias expetere liceat, quas tamen quippe a Deo acceptas ad ipſius Dei gloriam dirigamus, quid prohibeat quominus idem de Gloria & ſentiamus & factitemus? quod ſi equus propter bellum, bellũ propter victoriam, victoriam propter pacem ac publicam tranquililtatem expetimus, cur non eodem modo gloriam ad noſtram dignitatem, hanc ad amicorum patriaéque cõmoda, omnia denique ad Dei gloriã referamus? Itaque quo conſilio ſic expetimus Gloriã vt ea prælucere ciuibus optemus ac Patriæ Chriſtianaéq. Reipublicę prodeſſe, codẽ numinis Gloriam ſpectare & poſſumus & debemus: dummodo enim vnus ſit finis vltimus ac ſummus, ſubiecti verò fines, certa analogia & proportione ſibi ſuccedant & ad vltimum copulentur, egregie Naturæ ac rationis conſeruatur tenor. Et idcirco reprehendendi quidem eſſent Romani ſi non ad vltimum finem quam ſibi præfixiſſent gloriam prout debebant, retuliſſent; ſed cæteri qui fortè moderatè tuliſſent Gloriam, atque adeò illam mortales quoque iuuandi cauſa expetiſſent, Deóque acceptã retuliſſent, non improbandi ſed laudandi eſſent, Atque hac ſanè de cauſa monebam paulò ante Gloriam eſſe retinendam, ſed caſtam tamen ac pudicam: non præpoſterã & adulterinam, quam fortaſſe Romani amplexi ſint: eò enim ſpectabam, vt intelligeretur expetẽdam quidem honeſtam Gloriam (eſt enim digna quam expetamus quòd in Virtute nitatur & ad Virtutem item incendat) ſed tamen non eſſe committendã vt in ea quaſi vltimus finis ſit ac ſummus, planè ſiſtamus & conquieſcamus; ſed potius illam ad ſummum atque vltimum bonorum omnium finem ac diuinam gloriã referamus. Tametſi num inter Romanos multi id aliqua ex parte fecerint, nõ diſputo: tantùm dicam tot ſeſe ac tanta huius rei exempla in hiſtorijs obiicere, dum Romani ex hoſtibus victoriam referrent ac triumpharent, manubias ſemper Diis offerentes, ac ſupplicationes indicentes, vt pudendum ſit ac lugendum, noſtrates ſæpiſſimè ab Ethnicis illis hac in re pietatis officiis longo interuallo ſuperari; vſque adeò noſtri & rapinis & ſtupris aliiſque ſceleribus fœdant victorias: id quod eò magis eſt reprehendendum quòd non veri Numinis ignoratione labuntur, aut ſuperſtitioſa Religione, quod Ethnicis attigit, implicantur; ſed in meridiana luce, in veri inquam Numinis cognitione, victoriæ deturpant Gloriam.

Atqui ſi ita eſt, præclarè iſthæc. Sed tamen vnum adhuc ſupereſt in quo verendũ ne fortè cum Venuſino Poëta canere fermè liceat

Infœlix operis ſumma qui ponere totum Neſciat.

Non enim, quod tu forſitan opinaris; adhuc effeciſti ne nõ cum Chriſtiana humilitate pugnet Gloria: cum enim Chriſtiani viri humilitas in ſui ipſius deſpicientia & contemptu poſita ſit, quî obſecro ſe ipſum deſpiciat atque contemnat qui Gloriam, quantumuis cum Virtute coniunctam Deóque oblatam, adamet & conſectetur? fierine poteſt vt is neſciri amet ac pro nihilo reputari (in hoc enim ſita eſt noſtra humilitas)

Google

tas) qui Gloriam diligat adhuc, & tanquam laborum ſuorum ac rerum getẽdarum ſcopum aliqua ſaltem ex parte conſtituat? Acutè rurſus, ſed, ſi res paulo acutius ac ſubtilius expendatur, hac etiam dubitatione liberabimur. Itaque ego contra ex re illud requiro, cur & naturalis ratio dictet, & Dei Sapientia doceat, eos qui Virtute fulgeant, & aliqua in re exemplo eſſe poſſint humano generi non debere virtutę occultare ſuam (bonum enim communicatione dignum eſt) nec lumen ſub modiũ abſcõdere, ſed contra ſuper candelabrum extollere, ac tanquam facem præferre omnibus? hoc ſanè aliud denunciaret nihil niſi oportere virum bonum ac ſapientem virturem aut exempla virtutis tanquam lumen exerere, vt prælucear cæteris. Ex quo fit vt hoc tempore non modo non ſit latendum, ac neſciri amandum, ſed virtus proindéq. etiã authoritas, fama, nomen exerendum (quamquam ad Dei Gloriam) & virtutis celebritate dilatandum: præſertim verò quia hinc fit vt Dei gloria celebretur, vnde & talis virtus hominibus communicata eſt, & per quos (id quod amabilius eſt) Gloria in Gloriæ largitorem refunditur.

Fateamur igitur id quod eſt, quódque viri pii ſapientéſque non modò fatentur ſed docent ac profitentur: nimirum Gloriæ cupiditatem, ſi ordinata ſit (ordinata eſt autem cum & de re bona gloriamur, & gloriam ipſam ad debitum finem, hoc eſt ad verum hominis bonum Deíque Gloriam dirigimus) non malam eſſe, ſed honeſtam ac bonam, ac tantò meliorem & honeſtiorem, quantò maior atque præſtantior eſt virtus vnde oritur ac deriuatur: ſi enim præclaris & dictis & factis Patriam aut Chriſtianam Rempublicam a teterrimis hoſtibus liberaueris, haud dubiè ob excellentem eiuſmodi Virtutem gloriam maximam promerearis. neque enim cum honeſta & ordinata Gloria pugnat Chriſtiana humilitas, ſed cum inordinata & vana, cuiuſmodi eſſet ſi quis aut de non bono opere, aut bono quidem, ſed quod falsò ſibi arroget; gloriam aucupetur, nec eam in Numen retulerit.

Licebit igitur ſolidam quoque Gloriam atque honeſtam nominis celebritatẽ amplecti & adamare vbi cum mortalium vtilitate ac bono cõiungi poſſit, & ad Dei Gloriam redundare. Id quod in Sanctiſſimis Dei famulis ac fortiſſimis athletis multis cernere licet, qui cum Doctrina & Sanctitate florerent, miraculis etiam clareſcerent; vnde Gloriam apud mortales, ac nominis immortalitatem adepti eſſent, non hæremum ac ſolitariam vitam ſibi delegere qua laudem effugerent ac celebritatem, ſed publicam lucem quæſiere vt populos erudirent, & ad Iuſtitiam pietatémq. instituerent nominis celebritate & exiſtimatione quippe authoritatis & dignitatis plenam, & rei benè gerendæ accommodatam, tuentes, & ad Dei Gloriam publicè próferentes. Sic planè Doctor Sanctiſſimus qui ab admirabili Eloquentiæ copia atque aureo orationis flumine nomen inuenit Chryſoſtomus auream illam vocem, vnde tantopere ſuſpiciebatur ac plauſibus excipiebatur, exerere indies magis ac magis non dubitauit vt inde populos ad Dei cultum pietatémq. traduceret. Sic magnum illud Eccleſię lumen Auguſtinus rerum diuinarum ſcientiam vnde illum populi admirabantur, efferre non dubitauit, vt Dei famulos altiùs erudiret ad Iuſtitiam: Sic Iohannes ille, qui ob rerum admirabilium effectionem Thaumaturgus dictus eſt, miraculorũ ſplendore quibus prælucebat omnibus, tanquam facem Ethnicis obiiciebat vt illos ad veram fidem conuerteret. Sic Chriſti Athletæ ac Martyres multi conſtantiæ ac fortitudinis decus & gloriam Tyrannis obiicere ac propemodum oſtentare non dubitarunt vt Diuinæ ſeruirent Gloriæ. Nam Virtutis Authorem ac vitæ humanæ exemplar, Deíque Verbum & Sapientiam, non priuatim ſed publicè populos docuiſſe & miracula edidiſſe, atque hinc Gloriam apud mortales, etſi meritis meritis imparem adeptum eſſe, eamdémque Patri acceptam retuliſſe, atque illos qui Gloriam illi pro benefactis reſponderent, probaſſe compertum eſt. Vt propterea iure ac meritò illud ſuis præceperit, lucem vt quiſque ſuam præferret mortalibus, qua excitati Gloriam Gloriæ Authori ac bonorum omnium largitori retribuerent.

ORATIO LX.

Pro N. N. Nobili Veneto cum Iuriſprudentia peteret Lauream.

FVit olim in more poſitum, ac non ita pridem etiam vſitatum atque receptum, vt Maiores noſtri Iuriſprudentiæ Lauream ac Doctoris laudem & expeterent & adamarent. Itaque in noſtrorum Annaliũ monumentis non rarò deprehendas, Patres ampliſſimos ac Senatores grauiſſimos Doctoris non ſecus atque Equitis inſignia nomenque libenter vſurpaſſe, & Laureæ decus cum Procuratoria Dignitate coniunxiſſe. Ac iurè quidem. Cum enim Iuriſprudentiæ cognitio ciuili adminiſtrationi plurimum conducat; ſed quid dico conducat? imò verò apprimè ſit neceſſaria, ac propterea non defuerint qui terrarum Imperio cum potirentur, eius ſtudio ac tractatione mirificè delectarentur; quidni eorum quoque incenderet animos, qui in noſtra Republica verſarentur ac grauiſſimis illius negocijs domi foriſque non modò intereſſent, verùm etiam præeſſent? Cum igitur iuuenum ſit maiores natu uereri & imitari, atque illorum virtutes & Gloriam, quoad eius fieri poſſet, æmulari; cur non ipſe ad Doctoris Lauream ac laudem aſpirem? cur eius decus ac dignitatem non cupidiſſimo amplectar animo? Equidem, cum triennio toto in hac Vrbe nobiliſſima humanioribus literis operam dederim, tum quinquennio ad Iuriſprudentiæ ſtudium incubuerim, itaut bonam ætatis meæ partem in præclaro hoc Doctrinarũ domicilio ac bonarum artium Gymnaſio conſumpſerim, cur obſecro ita diſcedam, vt nullos meorum laborum & ſtudiorum fructus percipiam ac referam? Sanè qui Patriam deſerentes, ad nobilem mercatum confluunt, ægrè inde diſcedant, quin aliquid ſibi ad vitam vel tuendam vel oblectandam parent. An igitur ipſe ad hanc Vrbem eiúſque Gymnaſium, tanquam ad optimarum artium mercaturam diuerterim, atque in ea diutiſſimè commoratus ſim, ac vacuus in Patriam remeabo? Quid? nec amænum Viridarium ingreditur, aut floridos campos peragrat, iuuenis, quin flores aliquos colligat, interdum etiam fructus decerpat. Et ego ex florentiſſimo hoc Muſarum Viridario ac frugifero Doctrinarum campo nullos fructus floreſve decerpam atque percipiam? Minimè verò. Quin etiam, quoniam ita placet Ampliſſimis Patribus, te, te inquam, appello Galle ornatiſſime, vt qui eximium Iuriſprudentiæ columen ac ſplendidiſſimum Patauinæ Academiæ decus haberis & prædicaris, ex ijs ipſis quos percepi, floſculis ſertum mihi texere, & coronam meo capiti imponere, ne graueris. Ita quidem mirificè lætabor, te, qui iuuenis matutino cantu, quaſi orientem Solem ſpectans, Parthenopæas Syrenas delectaſti; vir apud Trinacrios cantum ingeminans, meridianum Solem conſalutaſti, nunc verò veſpertinum edens cantum, Medoaci oras Septentrionalémque plagam magna cum Auditorum vtilitate ac voluptate perſonas: te inquam, mihi ornando præclatam iſtam vocem, quam diu fœlicem ac fauſtam Patauinæ atque adeò Terrarum Orbis Academiæ precor, adhibuiſſe. Denique quantum Patauij tot annos ingenuis diſciplinis operam nauaſſe, tantum me abs te Lauream accepiſſe, ac tua manu inſignia percepiſſe, iuuabit ac delectabit.

ORATIO LXI.

Hanc habuit Iuriſprudentiæ ſtudioſus Adoleſcens dum Aemulum, nec ſine aliquo æmulationis ſenſu, oppugnaret.

NON equidem victoriæ ſpe in hanc arenam deſcendo, miles fortiſſime, aut certaminis campum ingredior ad palmam aſpirans, quod te facere certo ſcio; nec rurſus ea me ſuſtentat cogitatio, aut deludit opinio, quòd parem ſaltem me tibi lacertis ac viribus futurum exiſtimem, ac proinde æquo certamine pariq. virtute ac laude pugnaturum: imò verò dum in te intueor, de victoria deſpero facilè, ac me victum iri & conijcio & doleo. Sed tamen illud interim ſolatij capio, ea meum animum recreat voluptas, quòd, vt ſpero, non terga dedero, nec fugam, etſi vulneribus affectus, arripiam, aut quicquam detrectabo pugnam: quin in pectore ac vultu excipiam vulnera, ac cicatrices in ore ac facie in poſterum oſtentabo. Denique illud gloriabor, me non a Tyrone aut gregario milite, ſed a fortiſſimo bellatore ac triario ſuperatum.

Illud tamen antequam cominus accedamus, te oratum velim, Pugnator ſtrenue, vt ſi victor diſceſſeris, mea vel arma vel inſignia, vno verbo, ſpolia, honeſto in loco ſtatuas ac nobili; vt ſcilicet declares te non cum formidoloſo milite decertaſſe, ſed duro & audaci, quin etiam forti & perpugnaci. Neque enim niſi decus tibi conciliet ac laudem, ſi fatearis atque adeò profitearis te ſpolia illa ex robuſto ac forti vel ſaltem non ex imbelli & ignauo milite retuliſſe. Sed iam gladios ſtringentes certamen ineamus: & quoniam ſpectatores æquos habemus ac nobiles, alacriter etiam ad finem vſq; laborem diſcriménq. omne ac periculum ſubeamus.

ORATIO LXII.

Habita Patauij in B. Thomæ Aquinatis Natali die.

SOlemnis ac ſacer recurrit dies, quo Thomas Aquinates Eccleſiæ Doctor Sanctiſſimus, ac Gymnaſij Patauini Patronus eximius, corporis ſolutus ergaſtulo migrauit in Cœlum. Itaque præclarè eſt in more poſitum, ac laudabili conſuetudine receptum, vt qui eo auſpice ac duce ad ſacras humanáſq. doctrinas incumbunt, natalem eius diē præcipua veneratione celebrare, atque illius nomen pia laudatione ornare, nitantur ac ſtudeant. Vtinam igitur mihi, cui huiuſce laudationis impoſitū eſt munus, liceret admirabiles Sanctiſſimi Doctoris virtutes referre, atque illius vitā veluti tabulam benè pictam ante veſtros oculos collocare: fore enim ſperarem vt ardentes pietatis, caſtimoniæ virtutúmque omnium amores in auditorum pectore excitarem, & ad ſanctè mores inſtituendos ac benè beatéque viuendum, incenderem. Verùm enimuero quominus valeam Patroni huius noſtri virtutes, non dico pro dignitate exornare ac celebrare, ſed dicendo breuiter attingere ac percenſere, prohibent multa. Siue enim incredibilem earum multitudinem ſpectem ac varietatem, ſiue admirabilem earum ſplendorem intuear ac magnitudinem, ſiue ingenii mei tarditatem atque Orationis prope infantiam mecum ipſe reputem, ſiue temporis anguſtias æſtimem ac breuitatem qua mea eſt concludenda oratio, ſatis intelligo me huic muneri longè imparem eſſe. Denique facilè illud quidem eſt commodum talis ac tanti Doctoris laudationi principium inuenire, exitum certè nullo modo. Cum igitur mihi non tam rerum copia quàm modus in dicendo quærendus ſit, dabitis mihi hanc veniam, Auditores præclariſſimi, vt quam vnam offenderim primò & obſeruarim in Doctore hoc noſtro virtutem, hanc vnam, cæteris ferè interim, quoniam ſunt propemodum innumerabiles, prætermiſſis, pro virili parte mea perſequar ac celebrem.

At

Digitized by Google

At enim qualis qualis obſecro prima ſe ſe tibi in Beati Thomæ vita in conſpectum dat virtus? Quid primò in eo admiraris, & conſeſſu hoc religioſiſſimo dignum arbitraris? Illud, illud inquam, Auditores, quod de infantulo literis proditum eſt, dum nutricis dextera geſtaretur ac ſinu. cum enim chartulam quam puer manu, vt fit, arripuerat, ac brachiolo ſuſtulerat, nutricè pueri manu eo reluctante euellere niteretur, dixi vix poteſt, quàm ingentem ille vim effunderet lachrymarum. Tum nutrix, eius commota lacrymis ac fletu, deſtitit ab incepto, hic viciſſim abſtinuit a fletu. Sed cum paulò poſt Theodora mater chartula è pueri manu erepta animaduerteret Angelicā in ea ſalutationem contineri, hanc infanti fletu illam adhuc repetenti non ægrè reſtituit: tum puer fletu ſtatim abiecto chartulam illam (rem miram dicam, ſed teſtatiſſimam ac veritatis pleniſſimam) in os coniectam deglutiuit alacriter. Hoc igitur, in Aquinatis pueri vita, cum non ita pridem in lucem editus eſſet, admirabile contigit facinus: in quo ſanè vt ingenuè fatear futuræ illius vitæ ideam mihi videor intueri; quaſi verò primo hoc vitæ ingreſſu, inaudito, ſed fauſto tamen, prodigio nobis præmonſtraretur qualis qualis futura eſſet pueri ſanctitas, qualis doctrinas, qualis denique vita vniuerſa. Sed rem totam, obſecro, attentiùs expendamus & agnoſcamus. Ac primùm haud equidem affirmatè ſtatuerim Angelicam ſalutationem diuinitus oblatam puero, piè tamen id crediderim, cum cætera mirificè conſentire videantur. Illud affirmatè dixerim Angelicam, quæ in ſchedula exarata eſſet, ſalutationem, Angelicū fore puerum indicaſſe, atque adeo Angelicum Doctorem (id quod declarauit euentus) habendum atque appellandum. vt vel ex hoc vno illud piè recolere ac lætis plauſibus ingeminare liceret, quis putas puer iſte erit? quem in Dei Eccleſia Doctorem futurum exiſtimas? Quanquam illud maius, illud præſtantius, ac ſine vlla dubitatione ſtatuendum ac prædicandum, hinc pueri caſtimoniam virgineóſque mores mirificè deſignati. Cum enim Virginis ſalutationem illico deglutiſſet, quis non animaduertat Virginalem quæ in Aquinate noſtro perpetua eluxit, pudicitiam caſtitatémque prænunciatam? Dies me deficiat, Auditores, ſi præclarum hoc caſtitatis decus ex Beati Thomæ vita referre velim. Veſtitus atque habitus, quem tantopere expetiuit conſtantérque retinuit & coluit, ſignificauit hoc primùm. Quorſum enim candidam veſtem indueret quam nigra contegeret, ac mordicus (vt ita dixerim) ab ereptoribus dilaniantibúsque defenderet, niſi carnis munditiam & caſtimoniam ſibi colendam, ac mortificationis, quam appellant, virtute fouendam, augendam, conſeruandam proponeret? Itaque cum aliquando pudicus adoleſcens impudicæ fœminæ blanditijs pertentaretur, Chriſtiana indignatione permotus, titione arrepto eam confeſtim depellere ac fugare properauit. Quod cum è ſententia ſucceſſiſſet, nihil antiquius habuit, nihil optatius, quàm vt ſtatim etiam ſe ſe ſalutari Crucis ſigno ſupplicem deijceret atque proſterneret. Ac præclarè quidem & propè diuinè. Cum enim intelligeret non tam humanis viribus quàm diuino præſidio carnis illecebras comprimi ac ſuperari, omnino faciendum putauit, vt ad Crucem confugeret, ſiue gratias præpotenti Deo vt ageret, ſiue vt diuinam opem ſibi impudicitia tuenda perpetuam imploraret. Nec ſanè orantem fefellit ſpes. Cum enim ſomno dum in precatione perſeueraret correptus eſſet; per quietem ſentire viſus eſt ſibi ab Angelis conſtringi lumbos; quo ex tempore omni poſtea libidinis ſenſu caruit, omni carnis moleſtia ſolutus eſt. Quid plura? Ita iuuenis animum peruaſit caſtitatis amor, ita diuinitus virginitatis ardore incenſus eſt, vt ad eum aduentantes ſorores pari virginitatis amore incenderit, & ad virginalem, hoc eſt ad Cœleſtem Angelicámque vitam amplectendam prouocarit. Sed quoniam eò diſputando peruenimus, vt Virginis quam noſter Thomas vorauit, ſalutatio ad præclaram eius caſtitatem declarandam nos traduxerit, agedum cætera quæ ad eiuſdem commendationem diuinitus item protenduntur, breuiter attingamus. Et ſanè cum Sacroſanctum Altaris Sacrificium Angelicam ſanctimoniam & caſtitatem requirat, cur obſecro arbitremur Aquinatem noſtrum diuino huic myſterio ac ſacrificio præcipua quadam pietate incredibilíque veneratione fuiſſe addictum, niſi quòd diuino caſtitatis excelleret præſidio ac munimento? Itaque cum Vrbanus Quartus ſtatum diem ac ſolennē huic Myſterio recolendo, ac præcipuo quodam cultu celebrando, deſtinaſſet, omnino ſibi faciendum putauit vt Aquinati noſtro rem totam demandaret qui pro ſua pietate hymnos ac cæteras canonicas recitationes com-

nes componeret. Quod ſanè ita perfecit, vt Eccleſiæ perpetuum virginalis amoris, ac pietatis reliquerit monumentum. Quid? Vſque adeò intimis ſenſibus ac medullis Sacroſancti corporis æſtuabat amore Sanctus Doctor, ita diuinum hoc myſterium pro virginali ſenſu complectebatur animo, vt non ſatis haberet quotidie ſacrum obire, ac quanta poſſet maxima veneratione peragere, verùm quotidie rurſus celebranti Sacerdoti miniſtraret, & Chriſtiana humilitate inſeruiret. Quapropter minimè mirum videri debet Doctorem noſtrum ægrotantem, ac iam ferè extremum ſpiritum exhalantem, Canticorum Canticis vel explanandis vel perfruẽdis ſeſe retuliſſe, totúmque dediſſe. Intelligebat enim vir Sanctiſſimus in Canticis illis Cœleſtis Sponſi, qui Eccleſiã, hoc eſt Virginem caſtam vnicè dilexiſſet ac ſibi ſpõſam delegiſſet, myſteria deliteſcere: quin ea miram caſtitatem quam tantopere coleret & adamaret, ſpirare; denique ibi diuinas, quæ pios animos poſt huius vitæ curriculum manarent, voluptates miſticis ſymbolis contineri. Quo tempore cum Canticorum illorum explicatũ per vim morbi atque aduentantem mortem abſoluere haud poſſet, ac proptereà quæ in illis ſeſe obijcerent de caſtiſſimi Sponſi in Eccleſiam amore, quem maximè in altaris Sacramento declaraſſet, prætermittere cogeretur, illud ſaltem curauit ac præſtitit vt ſuã de Euchariſtia fidem atque intimum ſenſum iis qui aderant (aderant autem plurimi) aperiret ac teſtaretur. Itaque humi proſtratus quam pro viatico interim ſumebat Euchariſtiam eſſe Chriſtum Ieſum, atq; hunc verum Deum & Hominem, æterniq. Patris & Virginis matris filium, affirmatè atque perſpicuè profeſſus eſt. Vt propterea non temerè futuram Beati Thomæ pietatem ac religionem, ſed Angelicam caſtimoniam in primis ac pudicitiam, ſymbolo illo in infante nobis præmonſtratam affirmauerim.

Iam verò ſingularem eius admirabilémque diuinarum rerum cognitionẽ Euangelicámque prædicationem, & Eccleſiæ (vt ita dixerim) dilectionem, portento item illo admirabili fuiſſe prænunciata, nihil eſt quod dubitemus. Cum enim Angelica Salutatio tum ex Euangelij myſterijs, tum ex Eccleſiæ verbis conſtet, nemo eſt qui non facilè animaduertere poſſit, ac ſecum ipſe ſtatuere, reuera prodigio illo nobili nobis indicatum ac denunciatum fore vt Thomas tum diuinis doctrinis excelleret, tum Chriſti Euangelio & Eccleſiæ inſeruiret. Sed quid dico inſeruiret? imò verò ſeipſum manciparet, atque omne ſuum ſtudium, cogitationem, induſtriam, amorem, diurnas denique nocturnásq. vigilias voueret ac dedicaret. Quapropter priùs me deficiat vox, Auditores, quàm præclara Beati Thomæ monumenta percenſere valeam, quæ ſiue ad ſacras literas illuſtrandas, ſiue ad Eccleſiæ hoſtes profligãdos, ſiue ad fidelem Dei populum in Dei lege erudiendum, ſiue (vt me planiùs explicem) ad Angelici Doctoris officium ac munus obeundum explendúmq. liquet poſteritati.

Tantùm dicam hinc noſtrum Patronum Chriſti Vicario digniſſimum viſum eſſe, qui inter Sanctiſſimos Eccleſiæ Doctores numeraretur, ac difficillimis Chriſtianæ fidei quæſtionibus explicandis ac dilucidandis vel maximè adhiberetur. Quo ſanè factũ eſt vt in Theologorum ſcholis, vt in Eccleſiis, vt in Oecumenicis Concilijs, Doctoris noſtri ſententia ſummo ſtudio, ac tanquam Oraculum exquiratur, atque illius ratio maxima habeatur. Quid plura? eò perſuaſit Sanctiſſimi Doctoris exiſtimatio, vt ſummus Pontifex pronunciare non dubitauerit tot ferè miracula edidiſſe Beatum Thomam quot quæſtiones explicaſſet. Quapropter quem ex eius cadauere odorem iucundiſſimum, quam fragrantiam ſuauiſſimam, toties manaſſe legimus, vt eorũ qui aderant ſenſum ac veſtes compleret, domiciliáq. ipſa perfunderet, atque ita perfunderet vt diutiſſimè ſeruaretur; hæc equidem non minùs Angelicæ illius doctrinæ, quàm virginali caſtimoniæ accepta retulerim: cum enim tum ob doctrinam, tum ob caſtimoniam bonus Chriſti eſſet odor, atque hic in Dei Eccleſia magno cum fideliũ bono perſeueraturus eſſet; quidni ex eius quoque cadauere ſupra omnem naturæ vim ſeſe odor effunderet, quò gratiſſima Deo Doctoris noſtri & doctrina & carnis munditia integritáſque declararetur?

Quæ cum ita ſint, noua cogitatio, ſed pia tamen ſubiit animum meum, Patronum ſcilicet noſtrum Thomam cum diſcipulo quem dilexit Ieſus, non dicam æquare, ſed per omnem ferè vitam conferre & comparare. Ergo Iohannes per viſum deuorat librum ab Angelo ſibi delatum; Thomas Angelicæ ſalutationis tabellam deuorat

ſibi

Digitized by Google

ſibi diuina ſorte oblatam. ille virginali pudicitia & caſtitate ad miraculum enitet ac floret; hic virginea item caſtimonia & integritate mirificè excellit ac viget. ille pietatem ac ſanctimoniam arctiſsimè amplectitur atque tuetur, hic ſanctitudinem pietatémque toto pectore amplexatur & colit. ille rerum Cœleſtium cognitione ſic imbuitur vt Theologi nomen præcipuo nomine atque præconio in Eccleſia ſit conſequutus; hic Theologi laude ſic præſtat vt Theologorum Coryphæus atque Magiſter nō immeritò habeatur. ille Euangelica doctrina atq; ſapientia Aſiæ Eccleſias omnes inſtituit; hic Angelica doctrina Europæ vniuerſæ ſcholas Eccleſiáſque erudiuit. ille vocem ſic extulit dum Euangelium perſonaret, vt Boanerges, hoc eſt tonitrui filius appellaretur: hic in Dei Eccleſia talem clamorem edidit, vt, quod Magnus eius præceptor futurum edixerat, ingenti quaſi mugitu terrarum orbem compleuerit. ille Cerinthos, Ebionitáſque & Hæreticos multos perculit ac profligauit: hic impia Manichæorum & aliorum multorū dogmata ſcriptis fregit & expugnauit. ille diuina extaſi raptus, atque extra ſe poſitus cœleſtia didicit myſteria: hic inter orandum aut meditandum ſæpè abalienatus a ſenſibus atque adeò corpore è terra elatus multa diuinitus edoctus eſt. ille cum deceſsiſſet mira odoris fragrantia loculum atque eos qui adſtabant, perfudit omnes: hic mira odoris ſuauitate Eccleſiam in qua decumberet ſæpè compleuit vndique. Vt propterea eximia quadam & admirabili vitæ conſenſione Patronus noſter Thomas beatiſsimi Iohānis vitam attigerit, in primis verò morum caſtimonia, ſanctitate, pudicitia virginaliſque decore illum expreſſerit. Verùm quid ſi eundem, ne præcipua quadam laude fraudetur, cum Iohāne quoque altero, cum Baptiſta inquam nonnihil comparetur? An non Baptiſta cœlitus ab Angelo Zachariæ prænunciatur? nónne eximia pueri ſanctitas Parentibus præmonſtratur? Sic ſanè. At Thomas etiam cum materno vtero geſtaretur, a viro ſancto Dei inſtinctu Theodoræ matri denunciatur, cui etiam ſanctiſsimum fore prædicitur. Ille adhuc puer in eremum ſecedit, & ſolitariam vitam traducit: hic puer adhuc in Caſsinatem concedit ſolitudinem, vbi diu commoratur ac degit. ille, cum ætate pauló prouectus eſſet, confluentem ad ſe populum inſtituit, & ad Chriſti obſequium præparauit: hic, cum ex adoleſcentia exceſsiſſet, confluentes ad ſe auditores docuit, & ad Dei ſapientiam informauit. ille ab Herodis ſatellitibus comprehenditur & in carcerem conijcitur: hic ab Imperatoris militibus capitur, & arctiſsima cuſtodia detinetur. ille Propheta Altiſsimi vocatur, cui etiam præit, vt eius plebi ſalutis ſcientia tribuatur: hic Doctor Altiſsimi efficitur vt Dei populus in viam ſalutis dirigatur. Denique, ne conſectet omnia, aut certè paucis complectar multa; ille ardenti Dei zelo ac ſanctitate, virgineáq. ſanctitate præſtitit, itaut Angelus Dei ſit nuncupatus: hic diuino item zelo, incredibiliq. ſanctitate & caſtitate floruit itaut Angelici Doctoris, vnde etiam Patauino præeſt Gymnaſio, nomen adeptus ſit.

Sed o me miſerum & ærumnoſum, o perditum & calamitoſum! Nos, nos inquā, Auditores, tali ac tanto patrono gloriamur; & tamen ne tantillum quidem præclara illius veſtigia conſectamur: nihil minùs quàm eius pudicitiam, pietatem, caſtimoniā imitamur: ne ſuſpicione quidem aut cogitatione honeſtiſsimos illius mores, ſanctiſſimam vitam æmulamur? Quas ille virtutes ardenter coluit & adamauit, nos miſeri reiicimus ac ſpernimus; quæ ille vitia quaſi colubros deuitauit, nos toto pectore amplectimur. Ita quidem cum ſanctiſsimus iuuenis quotidie magis ac magis virtute ac ſanctitate proficeret, cæteros etiam verbo & exemplo inſtrueret, & ad Dei amorē incenderet; ipſi contra nos ipſos in vitiis fœdamus turpiter, & cæteros exemplis a virtutum ſemitis auocamus. Quis igitur det oculis meis fontem lacrymarum, vt die ac nocte plorem, vt genas, vt pectus, vt ſtratum lachrymis irrigem, vt panem cum fletu miſceam, vt lachrymæ ſint mihi panes die ac nocte, vt potum ſumam cum lachrymis in menſuram, vt gemitu ac fletu perſundar, & luctu in hac lachrymarum valle conficiar?

Sed iam lachrymis ac dolore impedior; & qui ſanctiſsimum puerum pro tenuitate mea laudare ac celebrare decreueram, quòd Angelicam ſalutationem cum deglutiſſet, futuræ vitæ nobis imago diuinitus commonſtraretur, ac inuicem doctrina, pietate, omnibus denique virtutibus eximium futurum portenderetur; ſentio me dolore ac mœrore occupari, & quominùs Doctoris eximij Natalem diem pia laudatione

& gra-

& gratulatione longiùs proſequar prohiberi, Illud tamen inter lachrymas non prætermittam, diligenter nobis reputandum, etiam atque etiam æſtimandum, non alio conſilio a maioribus noſtris eſſe inſtitutum vt diem hunc pia laudatione recoleremus, quàm vt ad Doctoris optimi ſanctiſſimiq. exemplar mores componere ac vitam inſtituere, denique ad benè beateq. viuendum contendere, diſceremus.

DIXI.

ORATIO LXIII.

Habita Patauij Anno 1618. 3. Non. Nouembr. Cum ad Salluſtium explanandum aggrederetur.

C. Criſpi Salluſtij Catillnariam, quod fœlix fauſtúmq. ſit, explicandam aggredior: idque eo cõſilio ac lege, Auditores præclariſsimi, vt præcipiam de Hiſtoria. Quapropter Catilinæ Coniurationem ſic explanabo, vt vno eodémque tẽmpore viam rationémque oſtendam, qua liceat Hiſtoricos tum intelligenter euoluere, tum ſcitè dijudicare, tum in noſtram vtilitatem (id quod caput eſt ac vertex) publicè priuatimque conuertere. Etenim tum demum lætandum erit rerum geſtarum monumenta euoluiſſe, ac diu noctúque hiſtorias peruolutaſſe, cum a nobis ad vitam inſtituendam, ac benè beatéque viuendum referantur.

Quod ſi quis interim artem quoque perdiſcere cupiat, qua commodè item ac pro dignitate ſcribi poſsit hiſtoria monumentíſque mandari, huic etiam pro virili parte mea præſto ero, ac non grauatè operam rempúſque tranſmittam. Itaque vitia indicabo quæ tanquam ſcopulos in hiſtoria prætexenda deuitare oporteat: virtutes commonſtrabo quas colere præſtet ac conſectari: denique præcepta ac leges ex probatiſsimis Authoribus proferam, quibus ſine errore atque adeò magna cum laude in ea conſcribenda vtatur. Quæ ſanè omnia, vt nihil in re tali ac tanta requiri poſsit, optimorum Hiſtoricorum exemplis illuſtrabo paſsim & confirmabo.

Arduum ſanè ac magnum opus, fateor: ac neſcio etiam an maximum & quam difficillimum. Sed tamen dignitate, commodis, vtilitate, addo etiam delectatione ac voluptate pleniſsimum. Siue enim vitam inſtituas adoleſcens, ac mores componas, ſiue nuptias adadames atq; vxorem, liberos, familiam deniq; vniuerſam regas & modereris, ſiue Rempublicam ac Dominatum adminiſtres ac temperes; ſiue militiam ſecteris, ac bellicas artes tractes, ſiue peregrineris, ac gẽtium Vrbes, mores, leges perquiras: quicquid demum vel tecum agas, vel cum alijs contrahas, id hiſtoriarum lectione ac rerum geſtarum exemplis cautiùs ac maiore cum laude & dignitate, addo etiam iucunditate, peragas. Quid plura? Hiſtoria (vt ſuauiſſimo Ciceronis præconio commendetur) adoleſcentiam alit, ſenectutem oblectat, res ſecundas ornat, aduerſis perfugium ac ſolatium præbet, delectat domi, non impedit foris, pernoctat nobiſcum, peregrinatur, ruſticatur.

Ex quo ſanè fit, vt cæteræ artes ac diſciplinæ per partes nos inſtruant: Hiſtoria ad omnem vitæ partem, ad omnia vitæ officia, nos infirmet, atque ad benè beatéq. viuendum Comitẽ ſeſe præbeat ac Ducem. Atque hinc etiam efficitur vt iure vita memoriæ ac nuncia vetuſtatis dicatur: rectè teſtis temporũ ac lux veritatis appelletur: meritò vitæ Speculum aut norma cenſeatur, iuſtiſſimè optima vitæ Dux atq; Magiſtra nuncupetur. Dies me deficiat, Auditores, ſi hiſtoriæ præſtantiam, commoda, vtilitates, non dicam pro dignitate referre ac percenſere, ſed curſim ac veluti per tranſennã indicare velim. Siue enim ad Poëſim te conferas, hanc humanæ vitæ quaſi Theatrum ac Scenam, adumbratámve rerum geſtarum narrationem aut imitationem eſſe animaduertas: ſiue Iuriſprudentiam ſpectes, hanc ſentias ad hominum dicta & facta ſæpiſſimè deriuari: ſiue Diuinas literas ac Theologiam tecum ipſe reputes, hanc cũ hiſtoria inſpicias arctiſſimè copulatam. Denique, vt de cæteris doctrinis taceã, quæ pleraéq. omnes hiſtoriæ gaudent conſortio, Pictura ipſa & ſtatuaria inter artes ſic in re-

bus geſtis hærent vndique, ſic hiſtoriæ veſtigia conſectantur, vt ab illa penitus oriri ac propagari videantur. Vt propterea hiſtoriæ vtilitates & opportunitates longiorẽ ſcriptionem veriùs quàm perbreuem Orationem a nobis requirant & poſtulent.

Quamquam illud interim non prætermittam, quod cum noſtro hoc munere eſt coniunctiſſimũ, & verò ingenuis adoleſcentibus, qui ad eloquentiam contendũt, diligenter eſt reputandum. Ea enim eſt rerũ geſtarum cognitio, illud hiſtoriæ ſtudiũ, vt ſine eo eloquentia vel exareſcat, vel conſiſtere nullo modo poſſit. Etenim Orator, quippe qui exẽplis paſſim vtitur ad perſuadendũ, ſic indiget hiſtoriæ ſtudio & cognitione, vt hac poſthabita nõ modò boni Oratoris laudem aſſequi nequeat, ſed ne ſubſellia quidẽ ac roſtra ſine dedecore attingere valeat. Itaque magnus dicendi Artifex M. Tullius Oratorem ſuũ ſic inſtituit ac fingit, vt doceat monumenta rerum geſtarũ ac totius antiquitatis notitiam accuratè illi eſſe perdiſcenda: omninóq; ſtatuat, inde exempla eſſe haurienda quibus fidem facere ſtudeat, ac muneri ſatisfaciat ſuo.

Quin etiam eò prouectus eſt M. Tullius, vt non ſolùm iudicauerit ob exemplorum copiam Oratori tractandã eſſe Hiſtoriã, verùm ẽt inde alia multa orationis adiumenta atq; ornamenta petenda eſſe docuerit. Id quod ſummus ille Græcorum Oratorũ Princeps Demoſthenes multò ante declarauerat luculẽtè. ea enim de cauſa quotidie ferè aliquã Thucydidis partẽ lectitare ac deſcribere ſolebat, quod diceret ſe interim eius ornamenta orationis & elegantiam imbibere, ac ſenſim ad eloquentiam inſtitui & informari. Quid multa? quantus fuit Demoſthenes (fuit autem maximus ſine dubio & admirabilis) totus ferè ex Thucididis ſpatijs extitit. Vt minimè mirum videri debeat a M. Tullio eidẽ Oratori hiſtoriæ ſcribẽdæ munus iniungi. Ita quidẽ tũ humanæ vitæ documẽta tũ eloquentiæ pſidia & ornamẽta mortalibus ſuppeditat hiſtoria.

Atque hæc ſanè laus Romanæ in primis tribuenda eſt, in qua noſter Salluſtius floruiſſe, atq; adeò principẽ ſibi locum inter Latinos Hiſtoricos vindicaſſe, fertur. Quocirca quæ de Cn. Põpeio & C. Cæſare pronunciare nõ dubitauit magnus dicendi atq; intelligendi Author M. Tullius, ea quidẽ ad Romanæ hiſtoriæ tum dignitatẽ atq; præſtantiam, tum vtilitatẽ, quam maximè quærimus hoc tempore, & elegantiã, iurè ac meritò vſurpaueris; nimirum nullus eſſe aut tantum flumen ingenij, aut talẽ dicendi aut ſcribendi vim & copiam, quæ non dicam exornare ſed enarrare poſsit Romanæ hiſtoriæ vtilitatis ac dignitatem. Itaque ſi quis ſibi ante oculos ponat Athenienſium aut Lacedæmonum hiſtorias quæ ex rebus præclarè geſtis refertas & mira ſtyli elegantia exaratas didicimus, facilè intelligat Orationis nitore & venuſtate cum Romanis fortaſſe æquari poſſe, vtilitate certè ac præſtantia conferri nullo modo poſſe. etſi enim Herodotum ac Thucydidem, nobiles illos Græcæ hiſtoriæ Principes elegantia & documentis inſtructos ſentias, Cæſarem tamen ac Salluſtium tum elegantia ac documentis, tum maximè rerum geſtarum magnitudine ac præſtantia, adde etiam perſpicuitate (quæ ſanè in Cæſare ſumma eſt & admirabilis) ac nitore mirificè excellere animaduertes. Quocirca maximè mirum videri debeat Dionyſium Halicarnaſſeum, hoc eſt Græcum hominem, ſic Romanæ hiſtoriæ cupiditate flagraſſe, vt triginta integros annos Romæ verſatus ſit, quibus nõ modò Latinam linguam didicerit, verùm etiam Latinos Hiſtoricos oẽs peruolutarit, & ad Romanam hiſtoriã, ad quam tum Græcorum tum Latinorum adiumentis inſtructus acceſsit, retulerit conſcribendã. In qua etiam tantum profecit, vt ex vna Romana hiſtoria ſibi nominis immortalitatem, fortaſſe etiam Principem locũ inter Hiſtoricos omnes quotquot vel Græcè vel Latinè ſcripſerint, compararit. Id quod de Polybio Græco item viro libenter cõmemorarem, quem ẽt Romanæ hiſtoriæ Maieſtas & amplitudo ad eam Græcis promulgandam mirificè excitauit. Romanorum quoq; Scriptorũ quos diu noctũq. euoluebat, induſtria plurimũ iuuit, niſi id in Halicarnaſſeo clariùs eniteret. Deniq;, vt de Romanæ hiſtoriæ præſtãtia & vtilitate me planiùs explicẽ, qui non eã demiretur atq; ſuſpiciat, is lippis eã ſpectare oculis dicendus eſt. inde enim ſcientiã rei militaris haurias, ibi fortitudinẽ, celeritatem ac bellicas virtutes oẽs ſine ſatietate mereris, ſimulq. perſpicias, ſæpiùs ex hoſte victorias tetuliſſe Romanos, quàm cæteræ nationes ac gentes cũ hoſte cõflixerint: plura bella geſsiſſe quàm quiſquã mortaliũ legerit. Neq; enim vllum belli genus extitit in quo Romanos vel fortuna non exercuerit, vel bellica virtus ac gloria non magnopere nobilitarit. Itaque Italiam armis ac victorijs peragrauit:

Sici-

Siciliam, Africam, Hiſpaniam, Gallias, Græciam Aſiámque vniuerſam edomuit. Denique de tribus Orbis Terrarum partibus illiúsque Prouincijs ſumma cum gloria toties triumphauit, vt facilius ſit ſtellas quàm Romanorum Triumphos percenſere. Vt proinde ſocios toto Terrarum Orbe illi obtemperaſſe, hoſtes obſediſſe, ventos ipſos ac tempeſtates obſecundaſſe, ac propterea Imperium non Terræ, ſed Cœli propemodum regionibus terminaſſe, atque inuidiam fama, famam gloria, gloriam virtute, ſuperaſſe fatendum ſit. Ita factum eſt vt omnem rerum humanarum conſuetudinem ac fortunam, fœlicitatiſque ipſius auram præteruecta, quaſi ſolis æmula omnes terras ſplendore compleuerit, ac proximum Cœlo caput extulerit. Haud igitur cunctandum eſt fateri Romanam hiſtoriam ſiue præſtantia & dignitate, ſiue ſplendore & pulchritudine, ſiue vtilitate ac iucunditate humanas hiſtorias reliquas quam longiſſimo interuallo ſuperare.

Quæ cũ ita ſint, Auditores ornatiſſimi, vos pro veſtra nobilitate ingeniiq. præſtãtia rei benè gerendæ occaſionẽ quæſo ne amittatis: ſed in hiſtoriã ſic incumbite, vt vberrimos inde tũ rerum geſtarũ, tum Latinitatis & eloquẽtiæ fructus reportetis. In quã ſanè rem eò magis omnes ingenij vires ac neruos intẽdatis oportet, Iuuenes optimi, quòd labes quædã ac macula vobis eluenda ſit, quæ in Italico nomine inueterauit. At enim quam obſecro maculam dicis ac labẽ? Exponam equidẽ, Auditores, etſi inuitus & dolens. Ergo apud exteras nationes, quotquot doctrinas colunt ac ſapientiã ea percrebuit fama, ea peruaſit opinio, Italicam gentẽ Grammatica vix ac ne vix quidẽ primoribus labris deguſtata, ad difficiliores doctrinas proſilire, atq; illotis (vt aiũt) manibus ſapientiæ myſteria pertractare: ita fieri, vt quoniã tum hiſtoricos & Poëtas, tũ Oratores, vno verbo, latinitatẽ & eloquentiã ſpernit, quæ intelligendi benéque dicẽdi initia ſunt & fundamẽta; ingenuas diſciplinas, nec ſatis vnquã addiſcat, nec ſi addiſcat, cæteros illas edocere, & cum aliis mortalibus, vt par eſt, communicare poſſit.

Eluenda igitur eſt vobis, Auditores, hæc macula, quæ neſcio quo pacto in noſtro nomine iamdiu inſedit turpiter: omninóque efficiendum, vt cæteræ quoque nationes ſentiant, eos, qui Patauinum frequentant Gymnaſium, haud contemnere præclara doctrinarum initia & fundamenta: quin ijs egregiè iactis, ad Iuriſprudentiæ optimarúmque artium culmen percommodè aſcendere, ac Doctoris lauream ſibi fœliciter comparare.

Mihi igitur cum propter ingraueſcentem ætatem, eámque in hoc doctrinarũ curriculo penè contritam, tum ob ſingularem beneuolentiam, qua hanc Vrbem, quaſi Patriam alteram, hoc Gymnaſium, quaſi pãternum Domicilium, complector; mihi, inquam, credite Auditores, vobis qui ad Patauinam Academiam, tanquam ad optimarum artium mercaturam confluxiſtis, & in doctrinis altiùs proficere cupitis, ſummis conatibus enitendum vt linguam priùs ac mentem latinitate ac dicendi virtute excolatis. Vt enim amplam domũ temerè exædificare atque extollere moliatur quiſpiam, niſi perampla fundamenta iecerit priùs & conſtituerit; ſic ad ſublimiores Philoſophiæ ac Iuriſprudentiæ diſciplinas & facultates temerè cõtendat ac properet, qui non antea latinitate pectus imbuerit, ac linguam exercuerit diligenter. Vtque idem rurſus domum ſignis ac tabulis aut etiam auro pretioſiſve periſtromatis cõpleuerit imprudenter, niſi lumen præſto ſit vnde ſuum illa decus oſtendere poſſit ac mortaliũ oculos delectore, ſic pulcherrimis Iuriſprudentiæ aliarúmque doctrinarũ ornamẽtis incaſſum ferè inſtruxerit animum, vbi dicendi facultate careat atq; virtute, qua intimos animi ſenſus declarare commodè valeat & in apertũ proferre. Veriſſimè enim dici poteſt, quod floribus ac viridarijs, aut etiam purpuræ & coloribus lux eſt ac Sol, id fermè doctrinis eſſe latinitatis decus & orationis ſplendorem & elegantiam.

Age dum igitur, Auditores optimi ac nobiliſſimi, quam de vobis ſpem excitaſtis, quámve ſuſtinetis expectationẽ, in memoriam reuocate: præclarũ ingeniũ quo a Natura, vel potius ab optimo Naturæ Authore ac parente Deo, ornati eſtis, exerite: quã Spartam aut nacti ſitis aut ornandum ſuſceperitis, reputate, omninóq. efficite, vt hoc anno hiſtoriæ & eloquentiæ fructus vberrimos referentes, ac mentem, ſtylum, linguã ad ſolutam orationem egregiè fingentes, ampliſſima & firmiſſima diſciplinarũ fundamenta, quibus ad benè beatéq. viuendum contenditur, iaciatis.

Iam verò quod attinet ad Græcum Authorem, piget me pudétque, Auditores, ali-

quid commemorare. Etſi enim veriſſimè dici poteſt Græcas literas eſſe multarum ac magnarum doctrinarum fontem aut ſeminarium, itaut ad Diuinam vſque Sapientiã, quam Theologiam appellamus, pertineant; veruntamen dici vix poteſt qualem & quantam Auditorum paucitatem, ſed quid dico paucitatem? immo verò ſolitudinem ac viduitatem, offendat. Ipſe tamen, ne meo muneri deeſſe videar, pomeridianis horis priuatim intra domeſticos parietes Platonis de Republica libros explicabo. qua in re tripartita vobis, vt ſpero, extabit vtilitas. etenim primo Græcam linguã ex Attico & proinde optimo Authore perdiſcetis, itaut nihil hac in re perfectius requiri aut expeti poſſit: deinde Latinitatem vno eodémque tempore licebit haurire. neque enim committam vt quæ de Græcis vertemus niſi purè candidéque, nimirum ex M. Tullio haurientes, vertamus. poſtremò dabimus operam vt vitæ quoque præcepta, quibus libri illi referti ſunt, in apertum proferamus. Ita quidem tripartita vobis extabit vtilitas. Ex quo fiet vt ſiue ad Philoſophiam, ſiue ad Medicinam, ſiue ad Theologiam vobis ſit incumbendum, optima vobis præſidia ex Græcę linguæ notitia comparetis. Nam quod attinet ad Iuriſprudentiam res deplorata videri poteſt. Etſi enim ex Græcis Authoribus deriuatæ fermè ſint quas terimus leges, itaut non ſine magno compendio Græci Codices conſuli potuiſſent, ea tamen illorum iactura eſt conſequuta, vt hoc tempore Latinis Codicibus omnino hærendum videatur. Atque hoc ſanè eo conſilio dixiſſe velim, Auditores præſtantiſſimi, vt intelligatis mihi quidem nihil aut veſtra vtilitate optatius, aut honore veſtro ac dignitate antiquius, poſſe contingere. quin etiam tum demum meas vigilias omnes ætatémque ipſam in hoc docendi munere iam penè fractam optimè collocaſſe atq; contriuiſſe iudicauero, cum vos & ingenuis diſciplinis florentes, & Patriæ chariſſimos, & Reipublicæ ſalutares, eſſe perſpexero.

ORATIO LXIV.

Ad Ampliſſimum ac Reuerendiſſimum Patrem, ac Generalem Regularium Canonicorum Magiſtrum.

Habita Patauij a N. N. Anno CIↃ. IↃ C. XVI.

QVI nobis dies ob tuum aduentum, Pater ampliſſime, illuxit periucundus; is quidem Religioſæ huic familiæ ob tuum aſpectum in hoc conſeſſus multò iucundiſſimus lætitiáq. pleniſſimus recurrit in præſens. Si enim Rex probus Regnum, munificus Princeps Populum, ſtrenuus Dux aut Imperator exercitum, peritus gubernator nauim, doctus Coryphæus Muſicum Chorum aut Theatrum, ſuauis parẽs liberos, bonus paſtor gregem ipſum, gaudio complet ac voluptate; quídni tu etiam Præſul Reuerendiſsime Religioſam hanc familiam & Academiam gaudio voluptatéque perfundas? præſertim verò cum tu, quæ tua eſt ſiue authoritas & ſapientia, ſiue probitas atque erga nos beneuolentia, idem apud nos eſt Paſtoris & Parentis optimi, idem Coryphæi & gubernatoris, idem Ducis & Principis, denique, cum nos regas, Regis quoque munus ſubeas partéſque ſuſtineas. Vt propterea iurè, mea quidem ſententia, optimíſque auſpiciis pro inſignibus generoſum Leonem explices ac referas, qui vultum atq; oculos in Cœlum intendat. Hinc enim te fortiſsimi illius LEONIS aſſeclam, prout debes, imitatorémq. oſtendis, qui victor ac triumphãs ſupra Aethereas ſedes conſcendit. Ex quo ẽt fit, vt nobis, quaſi tuis catulis, Cœli commonſtres, iter, atque illuc diurnis nocturníſque laboribus, piis religioſíſque vigiliis, contendendum, nos exẽplo doctas & cohorteris. Quod ſanè in laborioſa hac exercitationum palæſtra, in difficili hoc laborum ſtudio, non poteſt nõ magnopere noſtros animos erigere ac recreare. Quãquã in præſentia inde plenior & cumulatior redditur lętitia noſtra, ꝙ in hac corona cõſediſti, vel potiùs huic cõſeſſui pręſides, vt eos qui ad literas incũbunt, ac dies noctéſq. religioſis doctrinis inuigilant, aliquod etiã ſuorum

laborum

Digitized by Google

laborum dederunt ſpecimen, tua præſentia atque iudicio ornares & comprobares. Quæ ſanè res cum me, tum meos commilitones vniuerſos ſic affecit, vt lætitia exultare ac veluti triumphare videamur. Scio quidem, Antiſtes religioſiſſime, vitæ huius lætitiam caducam eſſe & fluxam, ſcio mortalibus in mortali hoc domicilio vel potiùs exilio terrenum gaudium eſſe contemnendum, atque vnas cœleſtes voluptates expetendas: ſcio deniq; Mundi huius præmia, titulos, dignitates, voluptates eſſe ſpernendas, & ad ſupremam Patriam vigilijs, lachrymis, gemitibus perpetuò aſpirandū, itaut riſum hac de cauſa inſanite ſapientiſſimus Rex Salomon iudicauerit: ſed tamen illud quoque veriſſimè affirmare poteſt, quæ voluptates & gaudia in religioſo curriculo atque adeò in via Dei capiuntur & ad Chriſti gloriam ac laudem referuntur, ea ſolida eſſe; ac mortalibus etiam amplectenda. Quæ cum ita ſint, ne illud quidem a te flagitare dubitamus, Pater optime ac ſapientiſſime, vt quorum labores interim vigiliáſque probaueris, iiſdem Theſes promulgandi atque tuendi poteſtatem facias. Hinc enim fiet vt quam quiſque in noſtra familia ſtudiorum ſuorum ac Philoſophiæ in primis Theologiæque induſtriæ ſignificationem dare ſolet, hanc nos ſub fœliciſſimi tui nominis auſpiciis præbentes, etiam atque etiam gratulemur. Ita quidem vbi poſtulatis noſtris benignè annueris, non dubitabimus lectiſſimum hunc diem lætiſſimum appellare, ac fœlicem nobis & fauſtum reputare. Præſertim verò quia quoties nobis in mentem venerit diei huius ſuauitas atque voluptas, toties tuus nobis aduentus, Pater ampliſſime, tuus conſpectus, tua erga nos beneuolentia honorificūque iudicium, in primis verò tua pietas, prudentia ac ſapientia nobis in mentem veniet. Interim igitur immortales tibi gratias agimus, quas etiam dum ſpiritus hos reget artus, memori voluntate atque gratiſſimo animo recolemus ac proſequemur. Denique

In freta dum fluuij current, dum montibus vmbra
Luſtrabunt conuexa, polus dum ſydera p ſcat;
Semper honos noménque tuum laudéſq. manebunt.

Sed quid dico laudes tuæ manebunt? imò verò quoniam omnes tuos labores, vigilias, cogitationes, te denique ipſum ad vnam Dei gloriam refers, apud Deum ipſum manebunt, qui poſt fragilis huiuſce vitę curſum æternis illa præmiis ac ſui ipſius pręſentia compenſabit.

ORATIO LXV.

Pro N.N. *dum Iuriſprudentiæ Theſes oppugnaret.*

Mihi verò concluſiones tuæ vſque adeo probantur, ornatiſſime Leoni, vt eas non poſsim non magnopere laudare, ac præclaro ingenio tuo egregióq. iudicio dignas exiſtimare. Itaque ſi illas improbare velim, atque argumentis laceſſere, equidem & mecum ipſe pugnare cogar, & a mea ſententia penitus diſſentire. Quò igitur me vertam? aut quid conſilij capiam? ſanè honorificentiſsimum quod mihi certamen obtuliſti ſi recuſem, honori meo defuiſſe videar, quod eſt turpiſsimum: Si amplectar, veritatem prodere, quod peræquè nefarium videri poſsit, ac Gygantum more cum Dijs bellum gerere, iudicabor. Ergo ad tuam humanitatem confugio, mi Leoni, atque illud cum tibi profiteor, tum cæteris omnibus teſtatum eſſe volo, quæ aduer ſus Concluſiones ſuas afferam argumenta fore non diſſentientis animi, ſed honoris ac beneuolentiæ argumenta. Ita quidem mihi licebit ſine temeritatis nota tecum certare, tibi verò campus aperietur vnde excellentem illam tuam & ingenii & memoriæ & eloquentiæ vim declarare, atque honorificam hanc Auditorum coronam oblectare, valeas.

ORATIO LXVI.

De Chriſti Charitate & Humilitate.

Habita in Cœna Domini a religioſo viro Generali Magiſtri iuſſu.

TAmetſi Liberatoris noſtri & dicta & facta ſummis virtutibus coruſcant ac fulgent vndique, atque ita fulgent vt eius vita pulcherrimis virtutum ideis ac formis, perinde ac cœlum ſtellis, eniteat, duæ tamen ſeſe nobis virtutes offerunt hodierna die quas ſine ſatietate miremur ac toto pectore amplectamur: nimirum charitas & humilitas. Quapropter is qui ipſius Chriſti gremio ſuauiter conquieuit, ac rerum diuinarum myſteria miro quodam modo percepit animo & comprehendit Apoſtolus, vt nos de charitate quam Chriſtus hodierna luce tanquam ſplendidiſſimam facem oſtenderat, admoneret, & ad eam intuendam ac ſuſpiciendam conuerteret, illud pronunciare non dubitauit, Cum dilexiſſet ſuos, in finem dilexit eos. Animaduertebat enim Sapientiſſimus Chriſti aſſecla & comes cum in vita reliqua liberaliter ac munificè ſuæ charitatis opes in ſuos, maximè verò in Apoſtolos, erogaſſe quidem, ſed in ipſo mortalis huiuſce vitæ fine, atque illo, quo ad mortem accederet, die, prodigi more illas in ſuos veluti profudiſſe atque inauditum in morem effusè ac largiter effudiſſe. De humilitate verò ſic verba fecit, vt ſignificauerit Petrum, cum tam ingentem Magiſtri ac Domini humilitatem & animi demiſſionem abiectionémque obſtupeſceret, ab illa, vt nondum ſatis huiuſce animaduerterat virtutis decus, eum retardare ac remouere pugnaciter pertentaſſe. De vtráque igitur hac virtute, quoniam id poſtulat hodierni diei myſterium ac celebritas, pauca quædam breuiter commemorabo, Patres Religioſiſſimi: atque illarum decus & amplitudinem, quantum mea tulerit imbecillitas, exprimam aut adumbrabo. Id quod eò etiam libentiùs faciam, quòd ſat ſciam Chriſtianam Rempub. maximè verò religioſas familias, his duabus virtutibus tanquam firmiſſimis præſidijs ſuſtineri. Vt enim Cœli ac Mundi moles duobus cardinibus fulcitur tota, ita Religioſorum vita charitate & humilitate, ne ruat, fulciatur ac ſuſtineatur neceſſe eſt.

Atque vt inde mea proficiſcatur oratio, vnde ſingularis ac diuina Liberatoris noſtri humilitas coruſcare interim cœpit & elucere, quis non miretur atque intimis ſenſibus commoueatur, cum audit hominum Regem & Angelorum ſeruilem in modum veſtimentis depoſitis aquam in Peluim inieciſſe, & mortalium pedes, ſed quid dico pedes? immo ſordes, lauiſſe & deterſiſſe, ſimúlque eorumdem pedes (id quod piè omnino crediderim) deoſculatum eſſe? etenim & Patres ſæpè monent, & res ipſa clamat, reuera Euangelij præcones ſic res a Chriſto geſtas vitámque deſcripſiſſe, vt pleraque ſummatim & breuiter complexi ſint: ita nimirum diuino ſpiritu iuſtituente, vt nos in Chriſti factis intimè ac pleniùs meditandis exerceret, ac virtutum & myſteriorum, quæ ibi tanquam deliteſcerent, inuentione alliceret & in ſpiritus vita enutriret. & ſanè qui rem paulò attentiùs æſtimet, intelliget duodecim Apoſtolorum pedes haud ita lauiſſe Chriſtum Dominum, quin iterum ac tertiò, imò verò ſæpiùs, immundam è pelui aquam abiecerit, mundam iniecerit ſuffecerítque; ac propterea dum hoc humilitatis officium iteraret, ſæpè & aſſurrexerit & procubuerit, fortaſſe etiam laborarit, deſudarit, laſſitudinem aliquam contraxerit, demúmque ſingulorum pedes peramanter complexus, eos, (quod dicere cœperam) ore illo ſanctiſſimo exoſculatus ſit. Quæ cum mecum ipſe recolo, Patres Religioſiſſimi, non magnopere commoueor aut miror quòd videam Petrum, quippe qui Magiſtrum mirificè diligebat, nec ignorabat æternum Dei filium eſſe qui ſibi ad pedes, vt eos ablueret, accidiſſet, continuò repugnare ac tantam humilitatis vim(vt myſteriũ nondum perceperat) proferre ac ſuſtinere non potuiſſe. Illud potiùs demiror, cur Angeli, qui naſcenti Domino cantibus adfuerant, eius Natiuitatem Paſtoribus declarantes, & ijdem poſtea præ diuturno ieiunio eſurienti miniſtrauerant, nunc non è cœlo

coacer-

coacervati præſto fuerint vt pro ſuo Domino miniſterium illud certatim obirēt, aut ſaltem eidem Domino laboranti ſubſidio tandem eſſent & inſeruirent. Sed facilè illis abeſſe placuit, vel certè, cum adeſſent, miniſterium illud Regi ſuo integrum permittere libuit, quod ſatis animaduerterent ad profundam illam humilitatem deſcendiſſe Chriſtum, vt nos de Chriſtianæ vitæ, hoc eſt cæleſtis ac Diuinæ, fundamento admoneret, & ad humilitatem ſectandam ac toto pectore amplectendam adduceret. Vt nō poſſim interea non erubeſcere, ac meam, meíque, ſi qui ſunt, ſimilium vicem dolere, & cordis ſaltem lachrymis gemitúque deflere, qui Chriſto nomen dederim, Religionis quoque caſtra ingreſſus ſim, in quibus humilitate maximè muniendū eſt pectus, & tamen pro humilitate ſuperbiam, pro animi demiſſione ſpiritus inflationem ac tumorem, conſectari audeam. Me miſerum & ærumnoſum; cum cæleſtis Magiſtri ac Ducis exemplo prouocatus, ac ſæpè admonitus & excitatus, humilitatis officia vltro amplecti debui, ac diuinæ huius virtutis veluti radices altiùs egiſſe cæteríſque demiſſi animi exemplum præferre, adhuc, ſiue ad ſtudia doctrinarum incumbam, ſiue cætera Religioſorum munera obeam, ſuperbiæ æſtu percellor, adhuc arrogantia tumeo, adhuc ambitionis ſpiritu efferor & abducor. Ita quidem, cum quotidie magis ac magis mihi eſſet reputandum me cinerem ac puluerem eſſe, nec tam hominem quàm vermem habendum, quin etiam ne huius vitæ vſura & luce præ mortalibus cæteris eſſe indignum, meæ vilitatis obliuiſcor, & cæteris præferri cupio.

Sed a meo faſtu & procacitate redeo ad Chriſti manſuetudinem & humilitatem; quæ ſanè etiam inde mihi admirabilis & immortali præconio digna videri ſolet, quòd tum planè nouo hoc exemplo teſtatam eſſe voluit magnus humilitatis Magiſter, cū diros cruciatus morémque ipſam eſſet ſubiturus. Etenim Verbum carnem aſſumpſiſſe, & in ſtabulo beluarúmque præſepio naſci atque hominibus ſubijci voluiſſe ſummæ fuit humilitatis: verùm in præſens, cum ſupplicia imminerent, éaque acerbiſſima ſe propemodum obliuioni tradidiſſe, ac de nobis ad humilitatem informādis adhuc cogitationem ſuſcepiſſe atque huc mentem omnem ſtudiúmque conuertiſſe, id verò diuino præconio eſt celebrandum & a nobis perpetua memoria recolēdum. Quapropter quemadmodum probi filij ſolent parentis optimi dicta & facta omnia libenter atque adeò ſuauiter memorare; ſed illa inprimis quæ ante mortem illis dedit præcepta, & graui oratione commendauit, memori vſurpant animo; ita nos, quippe Dei filij, poſtremum hoc Parentis noſtri optimi & beneficentiſſimi monumentum memori animo complecti & pro virili parte noſtra imitari debemus. Ea enim de cauſa de ſummo hoc humilitatis exemplo illud protulit, Exemplum dedi vobis vt quemadmodum ego feci ita & vos faciatis, quòd morti proximus eſſet ac veluti teſtamento humilitatem nobis relinqueret. Dies me deficiat Religioſiſſimi Auditores, ſi quæ in hoc admirabili humilitatis exemplo elucent diuinæ virtutes, eas proſequi velim & explicare. Nam & Sapientiæ elucet virtus, dum humilitatis commēdandæ captat opportunitatem; & tolerantiæ, dum ſuos dolores in hoc humilitatis officio veluti negligit, & paternæ pietatis, dum filiis ſuæ beneuolentiæ ſpecimen præbet ſingulare, &, ne conſecter omnia, immēſi amoris & charitatis ignem oſtendit qui in fine maximè eos diligit quos dilexerat antea. Atque hîc quidem poſtularet ratio vt iam ad alteram inſtituti mei partem, ad Chriſti inquam charitatem, quæ iam ſe ſe poſt humilitatem offert, mea progrederetur oratio. Sed oneri ſuccumbit animus & cogitatio, lingua ipſa hæret, méque longiùs prouehere vetat ſermonem. Itaque tuæ humanitatis erit ac benignitatis, Pater optime, id mihi ſiue indulgere ſiue largiri, vt Chriſti charitatem ſilentio complecti liceat: ſatiùs enim eſt eam demirari atque ſuſpicere, aut tacita cogitatione venerari, quàm ieiunè nimis & exiliter attingere. Præſertim verò quia ita ſe ſe illa piis mentibus obiicit in hoc myſterio, vt facilius ſit Solis iubar non intueri, quàm ſplendidiſſimam Liberatoris noſtri charitatem, quæ meridianum Solem ſplendore vincit, non animaduertere. Ita ſanè & admirabilem diuinæ Sapientiæ in nos amorem, quóque nullis explicari verbis aut adumbrari, ac ne ab Angelorum lingua pro dignitate commendari, poſſit, vnà cum eius Authore venerabundi adorabimus, & humilitatem toto pectore, humilitatis Authore auſpice complectemur.

Hæc habui Pater Reuerendiſsime, quibus tibi morem gererem. malui enim indiſertus ac ferè infans videri, quàm non tibi protinus obtemperare. Etenim ſat ſcio te

non

non eo conſilio id mihi muneris ininnxiſſe, quòd quidquam tuis dignum auribus expectares; ſed vt obediendi ſtudium in re non facili de me requireres. Denique cœnam ſi non erudito ac ſplendido, at certè pio ac ſacroſancto huic diei accommodato, ſermone tranſigendam pro tua pietate iudicaſti.

ORATIO LXVII.

Pro Franciſco Miſichio dum Philoſophiæ ac Medicinæ Lauream peteret.

MVlta ſunt, Patres Ampliſſimi, vóſq. cæteri Auditores ornatiſſimi, quibus Mortales premuntur, incommoda: variæ quibus hominum genus afflictatur, moleſtiæ. Denique, vt ſuos quiſque patitur manes, ſic ſua quique inſortunia excipiunt & conſectantur.

Lugens oritur infans, ac vitam a gemitu & lachrymis auſpicatur, quibus etiam primæuam ætatem ſic tranſigit, vt quotidie in luctus recidat; quotidie ploratu ſe ſuósq. conficiat. Ita quidem antequam loqui poſſit, nõ modò lachrymis obruitur paſſim; ſed & variis indies vrgetur malis, quæ nõ dicam a ſe depellere ſed ne effari quidem poteſt aut indicare; frigore, inedia, calore, vigiliis, plagis etiam, ærumnis, acerbitatibus plurimis

Quod ſi infantiæ expleuerit curriculum maiores adhuc ſuſtinendi labores ſexcentæ exhauriendæ moleſtiæ: præſertim verò ingenti moderatorum, ſed quid dico moderatorum? imò verò Dominorum multitudine accedente, qua domi foriſq. obſidetur, torquetur, excruciatur.

Sed ſac iis procedente tempore liberemur; iam nouæ ſuccedunt curæ, noua emergunt Incommoda, quæ plerunque etiam ſic noſtrum afficiunt animum, vt præ iis puerorum territamenta videri poſſint priora illa; vſque adeò ætatem reliquam libidines, odia, lites, inimicitiæ, bella, vulnera, morbi, carceres, exilia calumniæ inuadunt exercéntque perpetuò.

Sic ſanè inter ingentes malorum cateruas ad ſenectutem rapimur, in quam quicquid infirmum eſt confluit, quicquid ærumnoſum & calamitoſum effunditur; donec in pituitam & bilem, ſeu mauis in humum, vnde originem ac nomen habemus, noſtrum hoc domicilium ſoluitur ac diſsipatur.

Nam quid ego moleſtias commemorem quas haurimus ad Doctoris laureã aſpirantes? Patriam, qua nihil charius, deſerimus, atque in ipſo ætatis flore deſerimus: a ſuauiſsimo Parentum affiniúmq. complexu diuellimur: ab amicis quibúſcũ coniunctiſsimè viuimus, diſtrahimur: magnos terræ, maris etiam interdum, tractus peragramus: nouis nos quotidie periculis obiicimus: diurnis nocturniſq. vigiliis frangimur: ac demum vt ſumptus impenſáſq, prætercam; poſt multorũ annorum labores, quibus corpus mirificè labefactatur, ſæpè etiam valetudo ipſa proſternitur; literaria ſuccedunt experimenta, quibus honor, honor inquam, qui vitæ ipſi anteponendus eſt, in diſcrimen adducitur; vt ſatius ſit tot tantaque diſcrimina ac detrimenta defugiſſe, quàm ad duram ac laborioſam lauream aſpiraſſe.

At enim quid tu ſiue laureæ ſiue honoris diſcrimen offenſionéſq. commemoras, cum tibi hodierna die ſumma Patrum omnium voluntate & conſenſione præclara Philoſophiæ Medicinaéque inſignia & ornamenta decreta fuerint? Me miſerum & ærumnoſum; quaſi verò hiſce moleſtiarum fluctibus non maius ſolicitudinum angorúmque ſuccedat pelagus. Quotus enim quiſque eſt, qui cum animaduertat ſibi veluti ex vmbra in Solem, ex palæſtra in certamen eſſe deſcendendum, ac laborioſa & periculoſa Medicorum curricula obeunda, non exhorreſcat metu, non totis artubus contremiſcat? non enim diſſidentium fines expectandi aut requirendi, non emptionis venditioniſque iura examinanda, non denique litigatorum querelæ audiendæ, ſed hominum ſalus, ciuium, amicorum propinquorúmque vita pertractanda, in quo ſanè munere, ſi quid deerres, huius lucis vſura illum priues, qui tuæ fidei ſeſe committit totum.

Itaque

Itaque amplector ego quidem optimam excellentiſſimorum Patrum erga me voluntatem: ac dum viuam illorum benignitatem, immortaléque hoc beneficium in oculis feram: eâdémque de cauſa nunc a te peto, Cæſar optime, vt tua dextera, quam Naturæ iudicem dixerim, mihi lauream imponas. Sed eo tamen homine, ea cõditione ac lege, vt non mihi quidem lætandum ſed multò magis mærendum, atque humanę vitæ incommoda, fluctus, calamitates, pertimeſcendas exiſtimem.

ORATIO LXVIII.

Pro N. N. De Religionis Virtute colenda & Humanis Diuiniſque doctrinis; quæ interim laudantur, ipſius Religionis gratia retinendis & amplectendis.

Habita in generalibus Comitijs.

SI quis eſt qui præclaram Virtutis Ideam ac ſpeciẽ intueri cupiat & contemplari; hic, mea quidem ſentẽtia, rem arduam ac perdifficilem, ſed quid arduam dico ac perdifficilem? imò verò quæ fieri nequeat, expetat & cupiat. Etenim ea eſt Virtus quæ non modò inter hominum cœtus verſatur; verùm etiam beatarum mentium atque adeo Dei ipſius conſortio gaudet ac delectatur. Ex quo fit vt non liceat mortalibus in ſplendidiſſima illam virtutis ſpeciem ac formam mentem cogitationémque defigere, ac ſingulare illius decus admirabilémque pulchritudinem cõtemplari. Qui enim terrenus homo mentis aciem tantopere attollat, & in Dei veluti ſinum defigat? maior, maior eſt cœleſtis illius ac Diuinæ Virtutis ſplendor atque maieſtas, maior eſt eius dignitas & amplitudo, quàm vt tantum nobis ſiue audere ſiue ſperare liceat aut exoptare.

At enim ſint iſthæc, ſi beatarum mentium Deíque ipſius Virtus ſpectanda ſit. Sed quid ſi quis vnius humanæ Virtutis ſpeciem pulchritudinémque requirat? Ego verò ne huic quidem crediderim parem eſſe humanæ intelligentiæ vim & facultatem. Ea eſt enim humana Virtus vt ampliſſimum Virtutum chorum cõprehendat, quarum ſingulæ intuentis ingenium fatigare, ac veluti obtuere, & poſſunt & ſolent. An non vna è Virtutum choro eſt Prudentia? & tamen ita decus illa ſuum publicè priuatímque exerit dum rebus gerendis omnibus præeſt, ac mortalium dictis factíſque moderatur vt humana mens cogitatióque ſuccumbat. Quid de Iuſtitia? an non illius iubar ſplendidius eſt quàm vt ab humanis oculis ferri poſſit ac ſuſtineri? Sic ſanè. Nam idcirco magnus ille intelligendi Author atque Magiſter Ariſtoteles cum oriente Heſpero, cuius lux pulcherrima ad Solis pulchritudinem accedit proximè, eam conferre non dubitauit. Dies me deficiat ſi ſingularum Virtutum amplitudinem aut dignitatem, non dico pro dignitate referre velim, ſed adumbrare. Itaut temerè omnino ſperet homo ſe aut vllis vel doctrinæ, vel eloquentiæ coloribus & pigmentis exprimere poſſe admirabilem Virtutis ſpeciem, aut auguſtiſſimam illius faciem ac maieſtatem intueri. Itaque conceſſerim ego quidem, Pater Ampliſſime, eò ſapientiſſimorum ac diſertiſſimorum hominum induſtriam referri poſſe, vt Virtus laudetur, ac multis nominibus celebretur, vt enixè colatur & ad miraculum propemodum ſuſpiciatur; ſed vt ſplendida ac germana illius imago hominis oratione aut induſtria exprimi poſſit, aut etiam deſignari, nunquam conceſſerim. Affirmant igitur mortales Virtutem ad ſe hominum oculos mentéſque conuertere ac rapere, & incredibilem ſui amorem excitare: ſtatuant nihil illa formoſius, nihil amabilius reperiri; contendant, cætera humana omnia vel falſa eſſe ſi cum Virtute conferantur, vel caduca & fluxa; vnam Virtutem ſolidam eſſe ac firmam, quaéque altis defixa radicibus, immutabilis perſeueret. Denique ea ſit Virtus quæ in luctu ac mœrore conſolationem afferat, quaéque effloreſcat ſemper ac vigeat, in tenebris etiam luceat, nec ſqualore vnquã vllo obſoleſcat: ad extremum ſit Gloriæ mater ac beatæ vitæ; itaut per eam è terrena humilitate in

Cęlum ipſum efferamur. Iſthæc inquam ſint omnia: ſed vt admirabilem Virtutis ſpeciem ac maieſtatem nobis cernere liceat, id verò nunquam conceſſero.

Quæ cum ita ſint, minimè mirum videri debet, Pater Religioſiſſime, ſi tuis imperatis ſit impar, vel potiùs ſuccumbat, animus meus. Etenim poſſim ego quidem Virtutem ſine ſatietate mirari, at pro dignitate illam laudare, & auguſtiſſimam illius imaginem ac formam, quod tu optare viſus es, commilitonibus meis ante oculos ponere, nullo modo poſſim.

Niſi tamen, quoniam Relgio humanarum diuinarúmque Virtutum penè omniũ amplectitur chorum, illud tantùm iubeas, Pater Reuerendiſſime, vt huiuſce Virtutes pro virili parte mea Religioſæ huic familiæ ante oculos ponam. Id quod per ſe minùs difficile ſit atque arduum: cum Relgio ipſa, vt è cœlo nobis conceſſa eſt, mortalium oculis ſuum illa iubar, ſuámque pulchritudinem, vel me tacente, explicet atque declaret ſatis. Ita ſanè dum germanam ſui imaginem ac formam offert ſodalibus meis, atque hinc ingenij mei ſubleuat tarditatem, & linguæ ſuccurrit infantiæ, aditum mihi & campum patere video, in quem noſtra excurrat oratio. Ea enim eſt Chriſtiana Religio, quæ nos hinc ad pietatem, Iuſtitiam, Sanctitatem informat, atque ardentem in Deum charitatem in noſtris excitat animis: illinc Sapientiæ fontes aperit ac doctrinarum m:itaut quæ ad Deum pro humana imbecillitate vel cognoſcendum vel diligendum, &, vt ſemel dicam, ad benè beatéque viuendum, pertinent ſtudia, horum omnium parens dici poſſit ac procreatrix.

Atque vt de priore ſileam Religionis officio ac munere, quo ſanctimoniam tuemur, ac Deum caſtè ac piè colimus & veneramur, déque poſteriore aliquid dicam, vnde a rebus humanis ac mortalibus ad diuinarum contemplationem attollimur, ea ſanè eſt hac in re vis Religionis & efficacitas, vt humanam Philoſophiam, ſed quid dico Philoſophiam? Ethnicorum diſciplinas omnes & facultates, quæ terrenæ alioquin ac profanæ videri poſſent, in cœleſtes atque diuinas conuertat. ita fit vt quæ doctrinæ vano hominum faſtu inaníque gloria terminari ſolent, hoc Religionis beneficio Chriſtianæ Philoſophiæ conſortio gaudeant ac ſocietate: cœleſtis ſapientiæ aſſeclæ euadant & adminiſtræ: denique ad diuinas virtutes beatitudinémque ipſum aditum habeant ſempiternum.

Hinc viri ſanctiſſimi, ijdémque intelligendi laude clariſſimi, tua munera quæ Liberatori noſtro a Magis oblata ſunt, ad tres Philoſophiæ partes, quibus ij excellerent, retulere: ídque ea de cauſa quòd Chriſtianæ ſapientiæ ac Religionis Antiſtite orto, Philoſophia quoque diuino huic Regi offerenda ſit. Hinc aurum etiam & argẽtum quibus expoliari Aegyptios iuſſit Deus, eleganter referunt ad humanam Eloquentiam & Sapientiam, quæ a fidelibus Chriſtianæ pietatis ſectatoribus vſurpanda & in meliorem vſum conuertenda ſit. Quin etiam fermento ac melle, quorum primitias non quidem adolere ſed offerre tantùm iubebantur Hebræi, Ethnicorum diſciplinas deſignari exiſtimant. quas domino offerre deceat. Quid? Acutum quoque gladium ex Goliæ manu a Dauide extortum, Philoſophiæ aptant qua inſultantes Chriſtianæ diſciplinæ hoſtes confodiendi ſint: tres inſuper puteos (viſionis ſcilicet, abundantiæ, iuſiurandíque) triplicem in Patriarchis ſcientiam, quæ Naturæ, morum, d ſſerendíque rationem tradit, deſignare arbitrantur. Hinc etiam & Oſeam ex fornicaria muliere, & Abraham ex Agar priuſquã ex Sara, liberos ſuſcepiſſe, hoc eſt ex profana philoſophia priusquàm ex ſacra, præcepta collegiſſe, monent: hinc Moyſem alienigenam vxorem, hoc eſt humanam eruditionem, accepiſſe dictitant, quæ tum ad liberalem educationem, tum ad Theologiam vtilitatem habet maximam. Quid multa? captiuam mulierem alienigenam quam vxorem duci permittebat Deus, ſed Cæſarie tamen abraſa, vnguibus abſciſſis, mutata denique ueſte, hanc autumant externam eſſe Sapientiam, quam ſuperuacaneis reſecatis, externóque faſtu in Chriſtianam humilitatẽ cõuerſo, a nobis excipi volunt. Dies me deficiat, Auditores Religioſiſſimi, ſi ea percẽſere velim omnia quibus tanquam ſymbolis Eccleſiaſtici Patres Philoſophiam deſcribunt, ac Religioni Theologiaéque veluti aſſeclam & adminiſtram adiungendam ſuadent. hac enim de cauſa Moabitidem mulierem ad Dei populum adductam ſentiunt, vt humana Philoſophia non repudietur, ſed cum diuina intimè copuletur: hac Abimelech duóſque illius ſocios, qui cum Iſaac ineunt fœdus excipiuntúrque conuiuio, in tres

Philo-

Philoſophiæ partes conuertunt quæ cum Theologia coniunctæ cęleſtibus diuinorũ oraculorum dignãtur epulis. Ex quo etiam factum eſt vt Philoſophiam cum admirabili illa cõferant ſcala, quam per viſum aſpexit Iacob, & cui Deus inniteretur: quòd nimirum per Philoſophiam tanquam per gradus ad rerum diuinarum contemplationem Theologia duce aſcendamus. Hinc etiam ancillæ quæ ad arcem vocantur, humanas doctrinas cenſeri iubent quæ tanquam ancillæ accerſendæ ſint vt cœleſti miniſtrent Philoſophiæ. Nam varietate illa qua diuinus Pſaltes ornati vidit deauratũ Reginæ veſtimentum, liberales artes ac diſciplinas quibus Chriſtiana Religio quoque ornanda ſit, indicare, nemo vt opinor inficietur.

Sed imprudens ſim ego, qui ijs vos diutius detineam Patres Sapientiſſimi, quæ vobis pro ſingulari & doctrinarum & Religionis ſtudio facilè perſpecta ſunt & cognita. Pręſertim verò quia ratio ipſa ſatis docet humanas doctrinas per ſe quoque dignas eſſe quas amplectamur & excolamus. Cum enim Natura atque adeò Naturæ ipſius Authore Deo qui ingenium ac rationem tribuit homini, Duce atque Auſpice, illas ſectemur, quis obſecro non intelligat mortalibus frugiferas eſſe totas ac ſalutares? Denique ſiue conditi hominis ſpectemus finem qui a rebus fluxis & caducis ad cœleſtes ac Deum ipſum contemplandum mentem aduocat noſtram, ſiue propenſionem, atque adeò appetitiones æſtimemus quas ad notitias rerum habemus ac diſciplinas, ſiue rerum gerendarum opportunitates reputemus, quæ ſine optimarum artiũ ſtudio captari nequeunt & obſeruari, ſiue ſplendorem intueamur ac decus quod in ijs elucet qui liberalibus doctrinis exculti ſunt, eas ſanè adamemus & expetamus neceſſe eſt. Nam eaſdem momentum habere maximum tum ad verum & ſalſum diſcernendum, tum ad vitia fugienda, virtuteſque ſectandas, tum ad inſtruendos Tyrones ac rudes, Ethnicos quoque, Idololatras denique coarguendos, experientia cõpertum eſt. Quid plura? ea ſunt liberales artes ac diſciplinæ quæ homines barbariæ ipſas exuunt ac veluti ſtupiditate & feritate. Vt enim incultus ager ſqualere ſolet, ac ſylueſtris tandem euadit, cum tamen cultura accedente niteat & efflorescat; ſic noſter animus humanioris expers literaturæ ad barbariem ac feritatem deflectit: liberalibus doctrinis excultus humanitatem induit ſuaueſque mores. Vt interim optimarum eiuſmodi artium iucunditatem prætercam honeſtiſſimâmque voluptatem, quæ ſanè talis eſt ac tanta vt noſtros animos non modò ſuſtentet ac recreet, verùm etiam turpi ocio ac vitæ illecebris nos ſubtrahat magna cum vtilitate ac laude.

Quæ cum ita ſint, quales obſecro quantáſque religioſis viris, ijs inquam qui in cœnobio Deo dederunt: ex doctrinarum ſtudijs vtilitates ſuppeditari dicendum eſt, vbi ab humana Philoſophia ad Theologiam fiat progreſſio? vbi ampliſſimi huius campi longè ac latè peragrentur? vbi variæ illius partes, quæ frugiferæ ſunt ſingulæ, animo perluſtrentur, & ad fideles populos iuuãdos referantur? Itaque tuum, tuum inquam erit, Præſes Reuerendiſſime, omnino efficere, vt dum huic Eremitarum familiæ inuigilas, ac de illa cum probitatis, tum doctrinæ præſidijs, munienda dies noctéſque cogitas, tyrones quoque & candidatos, vno verbo, nouiſſimos filios qui ad doctrinas incumbunt, pro tua ſingulari prudentia & charitate toto pectore complectaris. Cõplecteris autem, ſi omnino effeceris, vt cum pietate liberales diſciplinas coniungere facilè poſſint, atque omnibus quibus egent vel Doctorum, vel librorũ vel ocij, adiumentis quoad eius fieri poſſit ſubleuentur ac muniantur. Id quod mei commilitones, quótquot habet ordo noſter, mecũ vno ore ſi poſſent, enixè a te peterent ac ſupplices poſtularent. Sed quid moror? Etenim videor mihi quodammodo intueri perbeatum illum noſtri huius ordinis Authorem atque Magiſtrum, qui è Cœlo tibi primùm, tum Religioni huic vniuerſæ, hanc dignitatem curámque gratulatur: mox tibi gregem diuinitus commiſſum commendat, cui benedicit etiam ac fœlicia precatur omnia. ad extremum nouitios milites oſtendit ac lectiſſimos, quotquot Italia tota optimę ſpei adoleſcentes alit noſtra Religio; monétque vt hos optimis doctrinis excoli atque imbui altiùs & iubeas & cures. Humaniores (inquit) literæ ſunt tum egregia vitæ ornamenta, tum cęterarum doctrinarum pręſidia & fundamenta. His primùm eos pręſtat imbuere qui tibi nomen in hac familia dedere. Tum optimis hinc fundamentis iactis, ad cæteras, quæ religioſum Deóque dicatum virum decent, diſciplinas veluti per gradus promouẽdi ſunt, itaut cum Philoſophiæ peragrent campos,

tum

tum hiſco adiumentis ad Theologiam, quæ diligenter tractanda eſt, ac diurnis nocturniſque vigilijs excolenda, progrediendum, vt vita reliqua qui ibi deliteſcit, theſaurum côquiramus. Igitur ad hæc ſtudia illos veluti calcaribus admotis incites: ad hæc Virtutis curricula eos ſtrenuè impellas. ea tamen lege atque ratione, vt quoniam doctrinæ pietatis adminiſtræ eſſe debent & comites; pietatem in primis colant & amplectantur, & verò cum cæteris. Religionis officijs coniungant. Ita fiet vt verbo & exemplo inſtituere valeât ac paſcere Chriſti gregem, & illum (quod inter res diuinas eſt diuiniſſimum) ad æternam ſalutem prouehere. Quídni enim hæc omnia obeât perficiántque fœliciter, vbi quicquid meditentur aut agant (id enim eſt ſe Deo mancipaſſe, & Chriſtianam pietatem colere) ſeſe ipſos contemnant, & religioſa humilitate, Chriſtíque ipſius Cruce gaudentes, vnam Dei gloriam requirant? Hæc inquam mihi videor tibi cœlitus a B.Petro noſtri huius ordinis Parente optimo atque ſanctiſſimo denunciare· hæc Patribus Religioſiſſimis in memoriam reuocari: hæc tyronibus in quibus, ſi rectè inſtituantur, Religionis propagandæ ſpes eſt poſita, commendare. Quæ ſanè omnia, quoniam tibi, Pater Reuerendiſſime, in optatis eſſe certo ſcit, & verò a te, quæ tua eſt charitas ac ſapientia, perfecta iri ſummopere ſpero, mihi quidem commilitonibúſque meis mirificè gratulor & gaudeo: ſimúlq. Religioni noſtræ in primíſque Patauino Cœnobio in quo vnà cum candidatis multis verſor, de tali tantóque bono lætor lætabórque dum viuam. Ita quidem BERNARDINE Præſul optime, atque omni veneratione digniſſime,

In freta dum fluuij current, dum montibus vmbra
Luſtrabunt conuexa, polus dum ſydera paſcat;
Semper honos noménque tuum laudéſq. manebunt:

nec manebunt ſolùm, verùm etiam a munificentiſſimo bonorum omnium Authore Deo cœleſti corona, immortalíq. præmio, beata denique vita donabuntur.

ORATIO LXIX.

Habita N.N. In Nobilium Venetorum Academia, dum eorum Coryphaus obijſſet, eidemq. ſuffectus eßet.

QVàm grauiter & moleſtè affecti ſitis, Clariſſimi Adoleſcentes, dum ex Ariſtotele, hoc eſt ex ſummo dicendi Magiſtro, ſuauiſſimę tum Poëſis tum Eloquentiæ præcepta haurientes, atque ad præclariſſimarũ artium metam ſummo ſtudio contendentes, peritiſſimum vobis ducem & Coryphæum in medio curſu ereptũ animaduertitis, equidẽ & ex aliquorum ſermone facilè percipi, & ex vultu oréque ipſo, vel tacentibus vobis, mihi videor intueri. Verùm quo pacto affecti ſitis, quaéq. animos veſtros ſubierit cogitatio, dum me in hoc arduo munere vobis in Doctoris locũ ſuffectum eſſe cernitis, haud ſcio. Ego ſanè dum mecum ipſe reputo ingenij mei tenuitatem, viriúmque imbecillitatem; dum Ariſtotelis decreta arduis difficultatibus impedita concertationibúſq. referta eſſe perpendo; dum me ab ſuauiſſimis diuinorũ oraculorum ſtudiis, in quibus me totum abdideram, auelli, atque ad Rhetorũ Poëtarúmque exercitationes, quas iamdiu valere iuſſeram, nihil minùs cogitantem reuocari video; dum poſtremò grauiſſimum eiuſmodi onus Patauij, ideſt in bonarum artiũ domicilio ac quaſi arce ſapientiæ mihi ſuſtinendum eſſe intelligo, ſic commoueor, Auditores, vt qui antea Doctoris veſtri laboribus debilitati ac pene fracti vicem dolebam; nunc eandem inuidendam ac quodammodo expetendam mihi eſſe cenſeam.

Illud tamen interim mirificè reficit ac recreat animum meum, quòd quemadmodum Academicos nactus ſum egregiè a Natura informatos, præclaris parentibus ortos, ingenuè ac liberaliter inſtitutos, ac propè omnes florentiſſimæ ciuitatis Principes natos, & (vt ſemel dicam) ad Reſpub. regnáq. ipſa gubernanda ab incunabulis quaſi fictos; ita miram in vobis alacritatem, incredibilem animi ardorem ac ſtudium, ad optimas artes arctiùs capeſſendas, atque Eloquentiam in primis comparandam perſpexi.

ſpexi. Vt ſi iucundè vnquã huiuſmodi exercitationes ac ſtudia mihi fuiſſent reperenda, hoc ſanè tempore ſumma cum alacritate admirabiliq. iucunditate ſint repetenda.

Quamquam illud vnũ diſſimulare ac tacitus præterire minimè poſſum, quod hac in re nõ leuiter angit animum meũ: conceptámq. ſpem & alacritatẽ ſi non deponere atq; abijcere, at certè plurimũ remittere cogit. Dum enim nobiles Academiæ veſtræ exercitationes conatuſq. intueor, illud in primis in ea requirendũ animaduerto quod nobilis literaturæ atq; ingenuarum diſciplinarũ caput eſt ac vertex. Sed quid hoc tandem? Illud, illud Auditores, quod in hac diſciplinarũ palæſtra & florentiſſimorũ adoleſcentiũ corona dicere vix audeo: ſed dicã tamen. Etenim cũ pleriq; veſtrum Græcas literas vix primoribus labris deguſtauerint, nõnulli etiã ne extremis quidem digitis, vt dicitur, illas attigerint: ſed vnis Latinis literis contenti, optimarum artiũ ac doctrinarum fontẽ reliquerint, ac riuulos cõſectẽtur, incredibile profectò eſt quàm magnã ſtudiorum iacturam faciant, ac quantopere a regia perfectæ ſapientiæ via deflectant. Nam quid quæſo egregium in Rhetorũ aut Poëtarum ſcholis audiri poteſt, quid a Dialecticis tradi, quid de Medicina diſputari, quid de aſtrorum curſu orbiúmq. cœleſtium conuerſionibus præcipi, quid ex Geometria cæteriſq. Mathematicis diſciplinis afferri, quid de rerum cauſis totiúſq. Naturæ ratione, atq; in primis de humana Natura doceri, quid de vita & moribus ſiue ad priuatos homines excolendos, ſiue ad familiam Rempublicámve informandam ac temperandã perdiſci, quid ex veterũ monumentis, de varijs gentium inſtitutis ac moribus repeti, déq. Regnis, Vrbibus, rebúſq. toto ferè terrarũ orbe geſtis cognoſci, quid deniq; cęlo, terra mariq. (vt cũ M. Tullio loquar) ex humanę ſapientiæ decretis in contẽplationem vocari, quod aliunde quàm ex Græcis fontibus purũ liquidúmve hauriri poſſit ac deriuari? Etenim quemadmodum aquæ ex præruptis manantes ſaccis ſic fluunt, vt ſummus in illis nitor appareat, chryſtalliq. ſpeciem referant: tum verò in riuulos deductæ & ad flumina decurrẽres, ſuum illæ nitorem ac perſpicuitatem amittunt, turbidóq. interdũ cœno fœdãtur; ita quidem humanæ ſapientiæ præcepta ſic primũ ex putiſſimo Græcarum literarũ fonte dimanant, vt egregius in illis nitor atque admirabile decus eluceat: tũ verò in alias ſubinde atque alias linguas veluti in riuulos deducta, fluuióſque deuoluta, priſtinum ſplendorem perſpicuitatémq. deperdunt, ſumma demum obſcuritate ac quaſi cœno obruuntur.

At ſpinoſa ſunt horum ſtudiorũ initia, multiſq. ac magnis difficultatibus plena. fateor. Sed quis vnquã vidit aut agricolã vberes fructus colligere, aut athletam optatã coronã conſequi, aut militẽ ampliſſima ſpolia ex hoſtibus reportare; niſi priùs diuturnos ſuſtineat labores, periculoſum ſubierit certamen, ac ſexcentas denique moleſtias incommodáq. pertulerit. Quamquam quas tandem moleſtiaſ atque difficultates in ijs ſtudiis offendant ij quibus nec tranquillũ ocium, nec florens ingeniũ, nec denique publicæ priuataéq. exercitationes deſint, non ſatis video. Quamobrem ſic ſtatuo, ita poſſe vos in Græcis ſtudiis Academicíſq. concertationibus proficere, vt breui vberrimos ac lætiſſimos fructus mira cũ voluptate & vtilitate referatis. Deniq; omnino fore ſpero vt ſi maius quoddã ſtudiũ atq; ardor acceſſerit, ſręno magis quàm calcaribus, intermiſſione potius quàm adhortationibus, egeatis. Tanta eſt enim (vt verè dicam) huius linguæ ſuauitas atque venuſtas, tantus ſplendor ac decus, tanta vbertas ac copia, vt qui ſemel eam deguſtare cœperit, vix ac ne vix quidem aut ab illius ſtudiis (id quod de Catone accepimus) temperare poſſit, aut Scriptores fermè vllos præter Græcos amplecti.

Sed quoniam non eſt hic locus de Græcarum literarum præſtantia atque vtilitate diſſerendi, atque ipſæ per ſe anguſtiores ſunt atque illuſtriores quàm vt ad clariſſimorum adoleſcentiũ animos in earum ſtudium excitandos atq; adeò inflãmandos, maiore egeant cõmendatione; illud tantùm addam, me, quoniã honeſtiſsimi laboris veſtri conſortẽ ac nobiliſsimæ Academiæ Coryphæum eſſe voluiſtis, de veſtra vtilitate ac dignitate nunquã non cogitaturum, & cupidiſsimũ ſemper ſolicitúmq. futurum. Ita ſanè, quantũ in me erit, non modò Muſarum Suadæq. ſtudia vrgebo ſtrenuè, verũ ẽt, ſi placet, ad florentiſsimos Græcę Orationis cãpos, Platone ac Demoſthene Duce libentiſsimè vos traducã. Vt niſi vobilmet ipſi adeſſe velitis, ſuauiſsimos atq; vberrimos induſtriæ laborúmq. veſtrorũ fructus (quod Deus O.M. faxit) præcepturi ſitis.

ORATIO LXX.

De Virtute, ac doctrinarum ſtudijs; inprimis verò de Eloquentia, in Patauino Gymnaſio retinenda & excolenda, Habita pro ſtudiorum Inſtauratione.

TAmetſi multa ſunt ac varia, Præſides Illuſtriſſimi cæterique Auditores ornatiſſimi, quę Viri prudentiam declarant ac Sapientiã, quæq. illum ita extollunt vt ad Deum proximè quodãmodo accedere videatur; illud tamen inter cætera longè præſtat ac Sapientis propriũ videri ſolet, nihil vt agere malit quàm quæ prudenter incæperit ſapientérq. inſtituerit, conſtanter ad finem vſque perducere. Quamobrem cum ipſi noſtrorum Maiorum, hoc eſt Sapientiſſimorũ Virorum, veſtigia conſectantes, iamdiu morem illum colamus, vt ad bonas artes ingenuáſq. diſciplinas florentiſſimam Patauini Gymnaſij Iuuentutem intermiſſa doctrinarum ſtudia repetentem quotannis cohortemur, eſt ſanè cur hodierna die huc ſeſe noſtra conuertat induſtria. Quamquamcum talis ſit Doctrinarum varietas, Auditores ornatiſſimi, tanta Virtutis ac Sapientiæ dignitas ac magnitudo, vt vel ijs laudãdis, vel auditoribus ad ea cohortandis, planè impar ſit oratio noſtra, præſertim verò dum hiſce temporis premitur anguſtijs, illud a vobis poſtulo, vt ſi Virtutem ac Sapiẽtiam quæ maximè expetenda eſt, breuiſſimè collaudauero, de Eloquentia, quæ copioſè loquens Sapientia cenſenda eſt, retinenda, paulò mihi vberiùs, verba facere, & ad eam excolẽdã nobiliſſimos, qui adſunt, Adoleſcẽtes pro virili parte mea incendere, liceat.

Ergo ſi quid eſt, Patres ſapiẽtiſſimi, quod maximè oĩum ad ſe mortalium animos allicere poſſit ac veluti rapere, illud ſanè Virtus eſt ac Sapientia. Hinc enim & ad rerũ præclariſſimarũ cognitionem ac Dei ipſius contẽplationem erigimur, & ad rerũ humanarũ adminiſtrationẽ inſtituimur, qua Deũ imitantes, de Republica, de Patria, de vniuerſo hominũ cœtu præclarè mereamur. Ex quo fit vt Virtutis ac Sapiẽtiæ decus & pulchritudo, ſi cerni poſſet, ingentes ſui amores excitaret, nóſq. incredibili cupiditate inflãmaret. Nihil eſt enim Sapiẽtia ac Virtute pulchrius, nihil dulcius, nihil optabilius: reliqua omnia vel fucata ſunt ac falſa, vel incerta & caduca: vna Virtus ac Sapiẽtia ſtabilis eſt & cõſtans, quaéq. euelli ac labefactari nunquã poteſt: ſed altis defixa radicibus, perpetua perſeuerat ac ſẽpiterna. Hæc in vitæ huius fluctibus trãquilla eſt ac perturbatione vacua: hæc in mœrore ac luctu animos recreat & cõſolatur: hæc in ſqualore ac tenebris enitet ac ſplendet: hæc in languore & ægritudine viget & effloreſcit. Deniq; inter hoſtes ac vincula libera eſt: quæ, etſi corpora proſtrata ſint armis, ſuũ tamen decus retinet ac libertatẽ. Itaq; hæc maximè digna eſt quam colamus, quã ſuſpiciamus, ac veluti ſurgentẽ heſperum vel potiùs meridianum Solẽ ſine ſatietate miremur. Ac iurè quidẽ cum enim certus apud Cœlites locus ijs ſit conſtitutus qui humanarum diuinatúmq. rerum cognitione mentẽ imbuerint, atq; animũ itidem temperantia, pietate cæteríſq. virtutibus exornauerint, ac mortalibus Sapientia & probitate præluxerint, quidni ijs ſubſidiis ſupra mortalitatẽ efferamur, ac Cœleſtiũ ſimiles effecti, beatam deniq; vitã aſſequamur? Quãquam vt de rerum contẽplatione dicã qua intelligentiã perficimus ac mentẽ, mirum eſt quot quantíſq. difficultatibus obſtructa ſit ſapientia, quàm imbecillis ſenſus, quàm tarda ingenia. Itaque dum Sapientiam ſectamur, ita homines de veritate laborantes ac diſſidentes offendimus, nihil vt certum & ſtabile, nihil conſtans, ſed obſcura omnia & denſis quaſi tenebris tecta inueniantur. Id enim, neſcio quo caſu, ſed duro illo quidem & luctuoſo, factũ videmus vt noſter animus in fictili hoc terrenóque corpore veluti caliget ac cæcutiat. Vt quem ſummus rerum Author Deus ad veritatem contemplandã finxerat & procrearat, is ob corporis caliginẽ omnia, ſi ſibi credat, incerta exiſtimet & obſcura. Quin etiam quemadmodum noſtris oculis remus, dũ nauigamus, inflexus aut præruptus apparet, ita ut nos paſſim rerum fallat imago; ſic humana mens corporatis

for-

Digitized by Google

formis decipitur,ac falſis earum deluditur imaginibus. Nam de formis cæteris quæ à
corpore ſeiugatæ ſunt, nihil attinet dicere, cum in earum contemplatione humanæ
intelligentiæ acies,non ſecus atque in Solis radijs veſpertilionis oculus, perſtringatur
obtundatúrque fœdisſimè. Et ſanè ſi mentē atquè cogitationem ad vtramque Philo-
ſophiæ partem referamus, quàm varias ac disſidentes ibi ſententias deprehendemus?
quot per Deum immortalem in rebus pene omnibus doctisſimorum virorū diſputa-
tiones ſeu potius diſcordias inueniemus? Nā quid obſecro ſenſerunt veteres Philoſo-
phi de rerū principiis aut Mundi origine quod non alii perſtrinxerint, ac nouis indies
opinionibus decretisq; labefactarint? Quid de rebus naturalibus,quid de Cœleſtibus
diuiniſque protulit quiſpiam, quod deinde multorum aut temeritate aut ſuſpicione
in controuerſiam non fuerit reuocatum? Vt nihil cœlo, terra maríque nobis offerat
Natura quod non inuolutis mutuóq; pugnantibus Philoſophorum ſentētiis concer-
tationibúsque non implicetur. Hæc in ea Philoſophiæ parte quæ in contemplatione
poſita eſt. Iam verò quid in ea quæ ad vitam ac mores pertinet, & in actione ſita eſt &
collocata? quid de ſummo bono quod rerum gerendarum caput eſt ac vertex, ij pro-
didere qui ſe Virtutis Magiſtros profesſi ſunt? Nónne illud in corporis alii,alii in for-
tunæ,bonis,in Natura alii, multi in voluptate, quidā in vacuitate doloris, alii denique
in Virtute poſuerunt? Quid de Iuſtitia,quæ ſecundùm Prudētiam omnium Domina
eſt,ac Regina Virtutum? an non eò delati ſunt diſputationis æſtu, & contradicendi li-
bidine, vt vel Iuſtitiam dixerint acerbitatis eſſe plenisſimam, ac planè reſpuēdam. vel
quicquid cuique conducat,id iuſtum eſſe ſtatuerint; vel denique merum nomē eſſe,
ac,ſi Deo placet,vanisſimū,affirmare non dubitarint? Sed quoniā longū eſſet ad om-
nia,illud ſat ſit monuiſſe,ex Philoſophis, vel potiùs ex iis,qui ſe Philoſophos profiterē-
rur ac ſapientes, fuiſſe multos qui a temperantia & moderatione abhorrerent, palatu
ac tactu quid ſit optimum iudicarent: qui corporis illecebras ac voluptates animi vo-
luptatibus anteponerent: qui pro veris falſa ſectarentur, ae rerū vmbras potiùs & ima-
gines,quàm res ipſas amplecterentur. Vt mihi quidē ſapienter Carneades cæterique
Academici feciſſe videantur, qui omnia incerta eſſe dicerent, ab omnibus aſſenſum
conſtantémque approbationem cohiberent.

Quç cum ita ſint, facilè intelligitur, præclarisſimi Auditores,nihil a mortalibus re-
periri vnquam poſſe,aut excogitare,quod vel maiorem vim, quàm veriſimilitudinis
habeat ac probabilitatis, vel aliam quàm plauſibilem quandam veritatis imaginē re-
ferat ac ſpeciem. Vt enim videmus Pictoris Virtutem ac laudem in eo ſitam eſſe, vt
vnam hominis aut alterius rei imaginem effingat ac formam, ita apud mortales nihil
adeò valet, quàm quod veri exprimat ſimilitudinem. Atque hinc ſanè Parrhaſium Pi-
ctorem illum nobilem magnam ſibi gloriam comparaſſe accepimus, qui cum auſus
eſſet de illius artis laude cum Zeuxi contēdere, linteum coloribus expresſit, ac ſtimu-
lauit: quem dum zeuxis picturam potiùs tegere quàm picturam ipſam eſſe iudicat;
ac propterea auferri iubet vt cerneretur imago, egregiè ab æmulo deceptus, victoria
fraudatus eſt. Quæ cum ita ſe ſe habeant, ſatis conſtat, Auditores, vnam Eloquētiam,
vt de qualibet re propoſita probabiliter diſſerir & copioſè; ita ſibi gloriæ palmā inter
cæteras humanas attes ac diſciplinas aſciſcere ac vēdicare. Quotus enim quisque eſſe?
Neque enim fieri poſſet, vt & iuſtos probóſque viros pro dignitate exornaret, impro-
bos vituperaret aſperiùs: nō iniquorum hominum fraudes ad exitium, innocentiā &
integritatem ad ſalutem, reuocatet: nec ciues ſiue languentes excitabit, ſiue modera-
bitur effrenatis. Denique Oratori vna probabilitate, non ſecus atque Herculis claua
pro retinendis ferendíſue, aut antiquandis legibus eſt decertādum, nec niſi veriſimi-
litudine de pace, de bello, déque huiuſmodi aliis ſuam ille ſententiam conſtituet, aut
ciuium mentes & ſtudia ad patriæ ſalutem charitatémque excitabit, & inflammabit.
Atque hinc fit, vt qui Rempublicam adminiſtret Princeps ac gubernator, huic proui-
dendum ſit diligenter, vt oratorijs inſtitutis ac dicendi Virtute animum excolat, qua
explicatè & copioſè ſententiam dicat, & Auditoribus quod optimum iudicet per-
ſuadeat. Quin etiam excellenti quadam rei militaris laude nemo floreat vnquam
aut ſtrenuè Imperatoris partes impleat pro dignitate; qui eloquentia careat. Hanc
enim ad militum tumultus cohibendos, diſcordiáſque ſedandas adhibeat, hac ti-
morem ex eorum pectore depellat, & ad labores, ad pericula, ad mortem ipſam

fortiter ſubeundam eos impellat, neceſſe eſt. Quid? difficillima ac ſpinoſa Doctrinarum præcepta, qui obſecro aut Iureconſultus aut Medicus, aut Philoſophus, aut Theologus commodè explicabit, atque Auditores inter tot ac tantos ſtudiorum labores eriget ac ſuſtentabit, niſi orationem ſuauitate quadam & elegantia temperauerit, ornauerit, illuſtrauerit? Neque verò Priſci illi Sapientiæ Proceres, qui ijdem & Poetæ fuerunt & Philoſophi alio conſilio Calliopis nomine Eloquentiam deſignarunt, quàm vt eloquentiæ excellentiam ac dignitatem, addo etiam neceſſitatem, declararent. Etenim quemadmodum Calliope formæ præſtantia, ac vocis ſuauitate Muſarum omnium nobiliſſima ac ſuauiſſima habita eſt, ac ſine qua præclarus ille Muſarum concentus expleri haud queat; ita Eloquentiam pulchritudine ac ſuauitate humanis artibus ac diſciplinis antecellere, ijſdem etiam decus ac pulchritudinem adiungere, voluerunt. Sed & Palladem Iouis cerebro ſatam eſſe, eandémque auream haſtā tractare commenti ſunt, vt nimirum oſtenderent Eloquentiam quæ reuera copioſè loquens eſt Sapientia, tum ad res diuinitus eſſe delatam, tum quaſi telum (aureum tamen ob aureum orationis flumen) mortalium aures animóſque peruadere. Atque varietas, quàm vt ea breui oratione, præſertim ad exitum properanti, perſequi liceat. Quanquam præclarum illud ac pene diuinum Sanctiſſimi qui ab aurea Eloquentia nomen inuenit Præſulis, Chryſoſtomi inquam, factum non prætenbo. Etenim cum per ſe pulcherrimum eſt & admirabile, tum quod volumus etiam atque etiam confirmabit. Id autem dum facio, vos quæſo, Auditores Nobiliſſimi, pro ſingulari humanitate veſtra ad finem vſque, quod inſtituiſtis, diligenter attendite. Emerſit olim ex abditis Alpium latebris immanis Barbarus ac ferox, Gainas nomine. hic cum impia quæ per idem tempus graſſabantur Arrij labe, ſe ſe polluerat, tum ſexcẽtis erat latrocinijs ac cædibus obnoxius. cúmque inter rapinas ingenti ſicariorũ ac latronum acie auctus eſſet, paulò poſt etiam iuſtum exercitum coegiſſet, ecce ſibi dominandi libidine flagrare, quin, ſi Deo placet, Romani Imperij Tyrannidem affectare, cæpit. Hinc Italiam exercitu, & Macedoniam diripere: multas Vrbes ac Prouincias inuadere & occupare: Byzantium denique properare, vt cum Arcadio dimicaret ac ſibi Imperij ſedem ſubigeret. cúmque interim imo pectore ſpiraret crudelitatem, ſic omnes perterruit, nullus vt in eum arma capere, nemo legationem, ad eum obire, auderet. Cum inter tot tantáſque calamitates, ac pericula præſto fuit aureũ orationis flumen Chryſoſtomus: vir ab armorum ſtrepitu planè abhorrens: qui tametſi Tyranno ob interpoſitas offenſiones quaſdam, primus ad cædem deſignatus videretur, alacer tamen legationem ſuſcepit, atque hoſti ferociter inſultanti occurrit. Quid multa? Barbari animum ſic orationis deliniuit ſuauitate, ſic Eloquentia perculit, vt qui iam iam Imperio potiturus, Catholicis vel maximè ferro flammáque minitaretur, ad Catholici Antiſtitis, acerrimíſque Arrianorum hoſtis pedes occideret: eius dexteram ſupplex oſcularetur: filios iuberet ad eiuſdem pedes prouolui, ac priſtina feritate & cupiditate depoſita cum Imperatore fœdus ſanciuit. O admirabilem ac prope ſingularem Eloquentiæ vim. Tu tu vna inuenta es inter mortales, quæ furentes Barbarorum impetus in medijs ſpatijs cohiberes ac frangeres: atque eorum ferocitatem & ſæuitiam in manſuetudinem pietatémque conuerteres.

Sed quoniam Eloquẽtiæ vim in Græco Antiſtite expreſſimus, agedum, ne Latinos debita laude fraudemus, Latinum quoque Antiſtitem ex hiſtoriarum monumentis proferamus, ac rem maiore adhuc admiratione dignã, fortaſſe etiam inauditam, nouam, ac planè diuinam de huius eloquẽtia commemoremus. Subegerat ſibi magnã Italiæ partem Rachiſius immaniſſimus Longobardorum Rex, atque ita etiam ſubegerat, vt omnia non occuparet ſolùm aut popularetur, ſed vaſtaret etiã atque incenderet. Cum ecce Peruſiam victorijs formidabilis, formidabilior cædibus properat: Vrbem auguſtam atque opulentam magnis viribus obſidet, breuíq; ad extremas anguſtias, deſperationémq; ipſam redigit. Tũ Zacharias qui per idem tẽpus Eccleſiã illã regebat, imminẽtes gregis atq; Vrbis calamitates ruináſq; miſeratus, eius ſalutẽ propriæ ſaluti anteponẽs, in hoſtiũ caſtra cũ paucis proficiſcitur. Atque, vt Eloquẽtia nõ minùs q̃ ſanctitate florebat, omnẽ dicendi vim eò contulit, vt Tyrannũ, ſi quo modo poſſet, ab Vrbis excidio reuocaret. At quid tãdẽ a Barbaro crudeliſſimo obtinet? nũ vt ſaltem Sacris, Virginibus, Templis, aris, rebus diuinis parceret? leuiſſimũ ſanè iſtud.

An vt

An vt ab reliquæ Vrbis incendio, ab mulierum, ſenum innocentiſſimorúmq. infantium nece temperaret? Leuiſſimũ hoc quoque. Num fortaſſe vt Vrbis Imperio nullis iniurijs, clementer etiam potiretur? ne id quidem fuit ſatis. An denique vt ab obſidione diſcederet, caſtra aliò conuerteret, ciuitatem liberam dimitteret? exigua hæc quoque ſunt. Quid igitur? Sic diſertiſſimus ille Pontifex ferociſſimum Tyrannum dicendo affecit, ſic præſentis vitæ vanitatem, futuræ pœnas ac tormẽta in eius animo impreſſit, ſic ad æterna bonorum præmia illius mentem erexit, tantum in eo pudorem, dolorem etiam, ob res crudeliter geſtas excitauit, vt qui rapinis, cædibus, incendijs Italia tota graſſabatur, qui Europæ ſeu potiùs Terrarum Orbis Imperio inhiabat, ſtatim demiſſo exercitu, diuitijs commodíſque omnibus ſpretis, Regno ipſo relicto, ſanctiſſimæ Religionis inſtitutis complexis, monaſticum ordinem profeſſus ſit. O incredibilis igitur, ac pene diuina Eloquentiæ facultas: o ampliſſima omniũ gentium moderatrix atque magiſtra. Tu quidem, tu inquam, vel maximè digna es quam Patauinum Gymnaſium, hoc eſt eruditiſſimum doctrinatũ Theatrum, dies noctéſq. colat, ac poſteritati in omnem commendet æternitatem.

Tum igitur, Iuuenes ornatiſſimi, in hanc diſciplinarum Reginam animum intendite; in hanc omnes curas cogitationéſque defigite, huc nocturnas diurnáſq. vigilias ac labores conuertite, vt ſi Natura miro planè artificio loquendi vim ac poteſtatem nobis impertiens, ac tam egregiè mutis animantibus præſtare hominem voluit, vos ornatæ & copioſæ orationis artem conſecuti, id vobis comparetis quo cæteris hominibus antecellimus. Ita enim fiet vt Patriam tueri, Chriſtianæ Reipublicæ dignitatẽ amplificare, denique de vniuerſo hominum genere benèmereri valeatis. Qua in re haud fore dubito, quin Illuſtriſſimi ac ſapientiſſimi, qui huic coronæ præſunt Præſides, veſtros conatus mirificè iuuent. Etenim ex eorum oculis, vultu, maieſtate percipere ſatis mihi videor egregiam illorum erga nos voluntatem: itaut Patauinæ Vrbis regendæ Prouinciam ſibi delatam ob id vel maximè gratulentur, vt ſuam in noſtram Vniuerſitatem induſtriam ac vigilantiam exercere, beneuolentiámque magis ac magis declarare, &, vt paucis multa complectar, lectiſſimam hanc Iuuentutem ad benè beatéque viuendum dirigere valeant. Nam de Illuſtriſsimis & Excellentiſsimis Patauini Gymnaſij Moderatoribus nihil attinet dicere. Ecquid enim, obſecro, non moliuntur vt ſiue honori veſtro veſtriſque commodis proſpiciant Doctores præclariſsimi, ſiue noſtræ vtilitati ac dignitati conſulant Iuuenes ornatiſsimi? Quid denique prætermittunt vnde nouam hanc Spartam exornari, nouas haſce Athenas illuſtrari, ac Patauini Lycæi gloriam toto Terrarum orbe propagari poſſe arbitrentur? Sed imprudens ſim ego Auditores ſi in nouum hunc campum pedem inferre audeã, & in Sapientiſsimorum Triumuirorum merita ac laudes excurrere. Cohibebo igitur orationem meam: &, vt receptui canam, Deum immortalem, quod enixè facio, precabor, vt quæ nobis bona Moderatorum ac Præſidum humanitas præbet ac beneficentia, ea optimi ac ſapientiſsimi Principis, quo interim orbamur, creatione, lætitiáque cumulentur ac propagentur in æuum.

ORATIO LXXI.

Habita a N. N. cum Philoſophicas clariſſimi iuuenis theſes publicè in B. Antonij templo oppugnaret.

NON equidem inficior, Baduere clariſſime & ornatiſſime, diſputandi ſtudium ac palæſtram multas ac magnas vtilitates habere; quin etiam fateor atq; adeo profiteor ad optimas artes ac diſciplinas omnes conferre plurimum. Quis enim difficillima ſe Theologiæ aut Phyſiologiæ ſpatia peragrare poſſe ſperet, niſi concertationum palæſtræ aſſuetus, hinc ſibi ad res obſtruſas atque arduas intelligendas perruperit aditum? Quis in Iuriſprudentiæ, aut Medicinæ campos tentet excurrere atque inde vberes fructus referre, niſi dubitationum tenebras aſſiduis diſputationum

laboribus diſcuſſerit ac diſijcerit? Dies me deficiat ſi vtilitates & opportunitates percenſere velim, quas inde vel Aſtrologi, vel Geometræ, vel Muſici, vel Arithmetici, vel Oratores, in primis verò Politicæ, ac morales Philoſophiæ ſectatores, capere ſolent. Nam ſi Dialecticis nihil attinet dicere, quorum ſtudium ac vis in diſceptationibus, vnde etiam nomen inuenere, poſita eſt vniuerſa. Maior, maior inquam, eſt vtilitas ac fructus diſputationis, quàm vt breui oratione non dicam ornari ac celebrari poſſit, ſed leuiſsimè declarari atque perſtringi. Quapropter egregiè tu facis, Baduere optime, qui antequam tibi per ætatem grauiſsima quæque Reipublicæ munera attingere liceat, & ad Patriam iuuandam labores omnes vigiliáſq. referre, te in hoc ſapientiæ curriculo diſputando exerces, vt ingenium magis ac magis excolas, ac faciliorem tibi viam aperias ad Politica negocia ſcitè prudentérque conſultanda & procuranda. Macte animo & virtute Adoleſcens, qui quam Maiores noſtri olim certatim obirent Virtutis ſemitam ac tererent, terere, & calcare eorum exemplo decreuiſti, ac priùs te laboribus & ſudoribus frangere ac debilitare quàm non illos imitari, & impreſſa Patrum noſtrorum veſtigia non conſectari. Perge itaque, perge iuuenis præſtantiſsime: ſic enim ad Virtutis palmam, ſic ad Gloriæ metam, contenditur: ſic itur ad aſtra. Etſi enim eſt cur Patriæ maieſtas & amplitudo te magnopere delectet; cur etiam familiæ antiquitas, quæ fermè Vrbis æquat incunabula, tibi accidat periucunda: cur inſuper Maiorum tuorum ornamentis, ſed quid dico ornamentis? immo victorijs ac triumphis, glorieris, iſthæc tamen non tua ſunt propria: ſed partim cum Maioribus, partim cum familia, partim cum reliqua nobilitate, partim cum ciuibus reliquis & Vrbe tota ſunt tibi communia: ſola animi ſui moderatio, ac virtus tua eſt hæc germana planè ac propria: nihil enim ex iſta laude familia, nihil Maiores, nihil Nobilitas, nihil denique Ciues, aut Vrbs ipſa decerpit: tota hæc quantacumque eſt, quæ certè in hac ætate maxima eſt, tota inquam, tua eſt: itaut nemo in iſtius ſocietatem gloriæ ſeſe immiſceat, ſed tuæ induſtriæ ac vigilantiæ, tuis laboribus ac ſudoribus accepta ſit referenda. Interim ego, cui nec per ætatem nec per ingenium ac ſtudium tuam virtutem imitari licet, eam certè admiratione ac beneuolentia perſequar & conſectabor. Atque hac de cauſa non dubitabo argumentis quibuſdam te laceſſere & prouocare, quibus tibi ad tuum ingenium ac decertnam, addo etiam eloquentiam nobili diſputatione declaranda atq; adeo nouos & vberrimos Philoſophiæ fontes nobis aperiendos, veluti anſam obijciam. Qua in re illud in primis ſtatuas velim humaniſsime ac nobiliſsime iuuenis, quæ protulero argumenta, a me non ex pharetra quaſi tela, ſed ex pectore quaſi amoris indicia & honoris argumenta, deriuari. Principio igitur &c.

Huic N. Baduerus, antequam argumenta enodaret, his occurrit verbis.

QVod diſputandi conſuetudinem laudas, clariſsime atq; ornatiſsime Adoleſcens, id verò, mea quidem ſententia, iurè facis ac ſapienter. Etenim quemadmodum ex ferro ac ſilicis congreſſu ac percuſſu excutitur & elicitur qui deliteſcit ignis, vnde nobis magna accedit vtilitas; ita ex diſputantium cōcertationibus elicitur ac depromitur veritas, qua nihil præſtabilius inter mortales. Quapropter magnopere optandum eſſet, vt huiuſmodi cōſuetudo, quæ Maioribus noſtris vehementer probata eſt, veluti è poſtliminio reuocaretur aliquando, vel certè paulo frequentiùs atq; ardentiùs excoleretur. Quod verò meis ſtudijs ac laboribus tribuis, id equidē tuæ erga me beneuolētiæ acceptum refero: deniq; ea eſt humanitas tua, ea morū ſuauitas, ea probitas, vt meam in te obſeruantiam, ac Virtutis amorem, ſi quis in me eſt, Virtutē interpreteris. Vtinā igitur talis ſim matura ætate ac ſenili, qualē me immatura ac iuuenili, tua deſcribit vel humanitas, vel eloquentia. Denique ſic habeto, me tuam modeſtiam ac virtutem ſemper adamaſſe: ingenium quoque eruditionē, doctrinā vehemēter probare familiæ tuæ inſuper Maiorúmq; tuorū egregia facta ac merita, mihi quorū tibi coronæ ac ſtemmata extāt præclariſsima, demirari. Quocirca nihil potius, nihil antiquius, quàm tua pſentia, tua oratione, tuis argumētis, quæ ſine dubio amoris ſūt argumēta atq; auro & margaritis ipſis mihi accidūt cariora, ornari, ac decorari. Dum igitur primo loco &c.

ORA-

ORATIO LXXII.

Habita in Patauino Gymnaſio Kal. Aprilis, cum in Ariſtotelis Rhetoricę Genus Iudiciale ſuccederet explanandum.

REdeo ad intermiſſas Lycæi noſtri exercitationes, atque Oratoriam palæſtram repeto, febri ac morbo, benè iuuante Deo, ſolutus vndique. Eò autem alacrior & redeo & Ariſtoteleas inſtitutiones reſumo, quòd bonæ ac diuturnæ valetudinis ſpe ſuſtenter interim non mediocriter. Iam enim

Soluitur acris hyems grata vice Veris & Fauoni:
Iam diffugere niues redeunt & gemina campis,
Arboribúſque comæ. Quin etiam
Gratia cum Nymphis geminiſque ſororibus audet
Ducere nuda choros.

Denique hyems vnde campi canis albicant pruinis, & gelu durantur flamina ac ſenes, quod durius eſt; ſrigent toti ac rigent; Veri cedit, quod iiſdem amicum eſt ac ſalutare. Ver enim frigoris mitigat rigorem, aëris reuocat tranquillitatem, Syluas & campos gratis conueſtit frondibus, prata odoratis complet floribus, dulces auibus tribuit cantus, zephyros adducit blandos, ſuauésq. in primis roſas ac violas paſtorum offert ſertis, demum humano corpori ſanitatem, animantibus omnibus voluptatem ac lætitiam, affert. Quapropter appoſitè atque adeò ſapienter feciſſe dixerim eos qui, quod Venetijs accidit, ab hac placida tempeſtate & ab ineunte fermè Aprili, anni ducunt initium. Nam vt cætera immittam quibus ſuademur Vernum tempus prima conditi Mundi initia explicaſſe, priſcos etiam mortales multos hinc anno & ſæculis initium feciſſe, veteres Romanos quoque eundem vſum morémque coluiſſe ac diu frequentaſſe, ſanè aëris benignitas ac tēporis iucunditas id ſuadet: Aprilis verò menſis, qui annum planè aperire ac nouum tempus reuocare dicitur, non ſuadet modò, ſed iubet. Quidni igitur alacer ac lætus ad priſtinos labores me recipiam, atque ad intermiſſa ſtudia animum cogitationémque reuocabo? præſertim verò cum & ingenio & ſuauitate, maximè verò honeſtate ac dignitate, pleniſſima ſint. Quid quod nobis etiam Aprilem menſem, quem hodierno die ingredimur, ac tanta ſerenitate aëris Cœlíq. clementia lætiſſimáq. Solis præſentia, auſpicamur, imitari licet? Nouum enim ſeſe, illúdq. pulcherrimum, offert argumentum a quo dicendi initium faciamus. Cū enim anteacto tempore in Deliberatiuo ac Demonſtratiuo genere verſati ſimus, illorum campos longè ac latè peragrantes, nunc Ariſtoteles ad Iudiciale nos vocat genus in quo noſtra deſudet induſtria. Agedum igitur ad forenſe ac Iudiciale genus, Ariſtotele auſpice, aggrediamur, atque illud pro virili parte noſtra declaremus & illuſtremus.

Interim verò attentos omnino ac frequentes vos optarim, Auditores ornatiſſimi: idque multis ac magnis de cauſis. Ac primùm quòd huiuſmodi genus hoc tempore maximè omnium ſit & vſitatum & neceſſarium. Veriſſimè enim dici poteſt, cætera duo genera noſtra hac tempeſtate obſoleuiſſe propemodum, itaut iam penitus exulare videantur: Iudiciale teritur paſſim & colitur; itaut id vnum hoc tempore in foro atque Vrbibus dominari ac regnare videatur. Huc accedit quòd forenſe hoc dicendi genus cum mortalium bono eſt coniunctiſſimum. Etenim retentis iudiciis, retinetur iuſtitia, colitur honeſtas, pax ciuium ac tranquillitas vrbium conſeruatur, vigent bonæ artes, & effloreſcunt optimæ diſciplinæ, quibus ad benè beatéque viuendum contendimus. Contra verò ſublatis iudicijs, oppidò ſurtis omnia & rapinis, quin ſeditionibus & cædibus, complentur vndique: denique tolle iudicia, ac Solem ipſum propemodum è Mundo ſuſtuleris. Quapropter qui Aſtream olim pulcherrimam virginē cœlitus a Ioue demiſſam ac pro magno munere nobis conceſſam, breui tamen mortalium ſceleribus exacerbatam, cœlum repetiiſſe, & ad Parentem Iouē remigraſſe, canunt Poëtæ, hos ſine dubio iudiciorum decus ac Iuſtitiam ſignificaſſe creden-

Digitized by Google

credendum eſt: cum hæc iudicijs, bello improbo aut hominum crudelitate ac ſæuitia euerſis; ab hominibus ad vnos cœleſtes ſeſe recipiat. Quamquam nihil eſt quòd interim diſſimulemus aut vllo modo inficiemur Iudiciale genus & malitioſum eſſe ac ſpinoſum, dumetiſque conſitum vndique ac perdifficile. Cum enim aurea ætate Naturæ legibus obtemperarent mortales, ac ſi quid diſſidiæ oriretur, placidè naturali iure dirimerent, ecce tibi non multò poſt, neſcio quo gentium iure introducto ac ſeueris legibus exarato, non defuere vafri quidam vel Sophiſtæ vel Oratores, qui deteriorem cauſam niterentur meliorem efficere: contra verò meliorem in deteriorem conuertere. Quid multa? ingenti quædam adhuc legum multitudine ac varietate progreſſu temporis introducta, extitere etiam qui huc omnes fallendi artes reuocarent, omnes decipiendi vias obirent, quibus iudicia, quæ alioquin ſacroſancta haberentur, tricis maximis non ſine infamia quadam implicarunt; ita ut Iudiciale genus, cum callidiùs in dies & malitioſè tractaretur, aſtutum, ſubdolum, verſutum, malitioſum, haberi & appellari cœperunt ſit. Atque hac etiam de cauſa maiorem a vobis attentionem ac diligentiam requirimus hoc tempore. Etenim illud vobis Auditores ornatiſſimi, enitendum eſt vt Iuriſprudentiæ ſtudium cum Iudiciali eloquentia ſic coniungatis, vt amicis, Reipublicæ ac Patriæ vniuerſæ præſidio ſitis, Iuſtitiæ patrocinium ſuſcipientes. Denique eò nobis alacriùs in hoc Iudicialis generis curriculo elaborandum ac deſudandum, quòd in eo cætera duo genera, Deliberatiuum inquam & Demonſtratiuum, magna ex parte inſtaurantur ac refloreſcunt. Neq; enim fieri poteſt vt quis in iudicijs verſetur ſtrenuè, niſi & ad laudationem & ad vituperationem appoſitè orationem conuertat ſuam: ſiquidem qui accuſat, vituperet etiam, qui defendit, laudet, neceſſe eſt; vſque adeò cum accuſatione vituperatio, cum defenſione laudatio, coniuncta eſt. Atque idem de conſultatione ac deliberatione affirmauerim: ſiquidem & Oratori, & Iudici multò maximè, conſultandi ac deliberandi locus ſeſe obiicit & neceſſitas: ita ut Iudiciali genere eloquentia ipſa omni ex parte inſtauretur, vigeat, effloreſcat. Ponite vobis ante oculos, Auditores optimi, vel potiùs in memoriam reuocate, acerrimas illas contentiones ac lites quas pro Achillis armis inter ſe aliquando exercuerunt Vlyſſes & Aiax. Facilè enim meminiſtis quam bellè & eleganter cum ab alijs, tum maximè ab Ouidio, ſuauiſſimo illo Poëta ac fœliciſſimo, carminibus conſignentur. Ergo dum Proceres vnà cum exercitu conſediſſent de armis illis, cui attribuendæ forent, iudicaturi, ita ut ſine vlla dubitatione Iudiciale genus conſtitueretur; ecce tibi Aiax ſic primùm egregia facta commemorat ſua, ſic labores ac pericula quæ pro Græcis aduerſus Troianos exantlaſſet, exaggerat, ac ſummatim merita ille ſua & præconia vſque adeò ſplendidè ante oculos ponit, vt ad viri præſtantiam ac dignitatem exprimendam, ac propterea ad pulcherrimam laudationem pertexendam, nihil illuſtrius. Quo etiam tempore vſque adeò imbellem & meticuloſum, crudelem inſuper atq; improbum, effingit Vlyſſem, vt malis artibus omnibus planè imbutus, & ad decipiendum compoſitus totus, videretur, ita ut grauiſſimè inde deturparetur, vituperatúrque mirificè. Vlyſſes contra ſic ſuam agit cauſam, vt aduerſarium ſummis eloquentiæ neruis refellat, ſéque crimine omni ſtrenuè liberans, magnam ſibi dignitatis ac prudentiæ concilict laudem; quibus fit vt Oratio in Demonſtratiuo verſari videatur genere. Et tamen mox Procerum ſuccedunt cōſultationes ac deliberationes, quibus Vlyſſem, quippe Græcis magis commodum & ſalutarem, ac Troiæ in primis expugnandæ pernecceſſarium, Aiaci, etſi alioquin fortiſſimo, anteponunt. Atque hinc ſententia fertur ad extremum, Achilliſq. arma Vlyſſi adiudicantur, ita ut Iudiciale prorſus genere terminetur oratio. Quis igitur non animaduertat vſque adeò indicationem illam, laudatione & vituperatione, ſuaſione ac diſſuaſione, accuſatione & defenſione, implicari, vt in Iudiciali hoc genere duo illa reliqua miſceantur ac floreant? Quamquam enim duo illa extrinſecus aſſumi videntur, & Iudicialis gratia aſſumi, nihil tamen impedit quominus ſummis eloquentiæ lacertis ac neruis agantur; ita ut tripartita illa Eloquentiæ varietas mirificè eluceat ac ſplendeſcat in contentionibus illis.

His igitur omnibus de cauſis vobis faciendum eſt Auditores optimi, vt omnes ingenii vires huc intendatis, atque omnem curam & diligentiam, ac diurnas nocturnáſque vigilias, mecum ad iudicialia Ariſtotelis præcepta conferatis. Quod ſi pro

veſtro

veſtro ingenio ac ſtudio ſeceritis, ſpero etiam fore, vt non ſine magna vtilitate ac dignitate, fortaſſe etiam pari iucunditate, ſummum hunc dicendi atque intelligẽdi Authorem atque magiſtrum audiatis.

Interim, vt certo ordine proficiſcitur oratio, ea principio proponamus quæ de huiuſmodi genere tractanda ſunt & explicanda. Lubet enim eos imitari qui cũ mercaturam exerceant, & ad frequentiſſimum mercatum aut celeberrimas nundinas commearint, merces illi ſuas quaſi in theatrum exponunt, vt accedentium oculos oblectent, atque animos capiant. Ergo Iudicialis generis vim & naturam requiram primum, ac germanam illius definitionem conſtituam: tum verò eiuſdem generis partes, finem, tempus, affectúſque præcipuos, ad quos Iudices mouendi ſunt, breuiter commonſtrabo. Denique (id quod longioris operis erit ac temporis) propoſitiones inueſtigabo, quibus ratiocinationes conficere atque in iudiciis, pro dignitate verſari liceat. Quod ſi etiam tempus aut locus id tulerit, ad extremum docebo qua ratione tum inuenta argumenta ſint diſponenda, tum exornanda ac pronuncianda oratio, Dicamus igitur primùm de primo. Quamquam dum ad poſtremum diem id totum reſeruari cupitis (iam enim veſtrum murmur facit vt voluntatem quoque veſtram percipiã illud obſecro meæ erga vos beneuolentiæ tribuatis & cupiditati largiamini qua vtilitati ac dignitati veſtræ omnibus conatibus ſtudeo, vt vnum adhuc, quod in rerum dicendarum propoſitione, neſcio quo pacto, prætermiſi, breuiter attingere & explicare mihi liceat hoc tempore; fore enim ſpero vt tum veſtris ſtudiis frugiferũ, tum verò auditu gratiſſimum, vobis accedat ac periucundum. Itaquidem, cum hoc vnum explanauero, reliquis ad inſequentes dies rejectis omnibus finem dicendi faciam. Ergo, quoniam veſtra admurmuratio facit rurſus, Auditores præclariſſimi, vt aſſenſum approbationẽmque veſtram humanitatémque ſingularem agnoſcam, ad rem ſine cunctatione vlla ac ſumma voluntate aggrediar.

Erit igitur qui antequã ad ea declaranda progrediar quæ de Iudiciali genere propoſita ſunt, illud audire cupiat, Qua de cauſa factum ſit vt Ariſtoteles Iudiciale genus ad extremùm coniecerit, atque illi Deliberatiuum & Demõſtratiuum antepoſuerit, cum Iudiciale tot ac tantas habeat vtilitates, ac Iuſtitiæ, vnde Vrbium ac Regnorum pax & tranquillitas conſeruatur, patrocinetur egregiè. Ergo eiuſmodi dubitationem diluam Auditores ornatiſſimi, ne quid vos hærentes interim habeat dum a Demonſtratiuo genere ad Iudiciale noſtra ſeſe conuertit oratio.

Ac primò poſſem equidem totam hanc dubitationem læui flexu declinare atque adeò comprimere, Ariſtarchi, Seueri illius cẽſotis, ſed acuti tamen; exemplo & imitatione; cum enim placuiſſet Homero in nauium catalogo quem deſcripſit accecinit in Iliade, a Bœotia initium ducere, atque inde tum Phocenſes, Locrenſes, atque alios in medium proferre, ecce tibi a multis quæſitum eſt, ac tãquam pro aris & ſocis decertatum, quid cauſæ eſſet cur a Bœotijs duxiſſet initium, cum alii propè innumeri populi, iique belli laude clariſſimi, ſeſe offerrent a quibus non minùs commodè atq; honorificè initium facere potuiſſet. Sed ecce tibi è contrariò Ariſtarchus illos increpans, Atqui vobis (inquit) a quocunque cœpiſſet Homerus, idẽ exquirere, eaſdémque contentiones exercere, placuiſſet, ac ſtatim verba iſta efferre, cur a Locrenſibus? cur a Cretenſibus? Vt propterea ſatius ſit ſtatuere ſic Authori in mentem veniſſe. Idem ipſe reſpondere poſſem; cum præſertim ea genere Ariſtotelis æuo (id quod iã iam docebo tererentur & in pretio eſſent ſingula.

Lib.2.

Quamquam ne tergiuerſari videar, & dubitationem verius declinare quàm diluere, ſic habetote. Vbi doctrinæ ordo, qui vel maximè in diſciplinis tradendis retinendus eſt & conſeruandus, par ſit in omnibus, itaut doctrinæ ordinem æſtimanti commodè liceat, & pro arbitratu ab vno aut altero initium facere, ſine dubio ſpectãdum eſt rurſus, quod ſaltem ex iſtiuſmodi generibus vſurpetur magis ac frequentetur, vt a magis vſitato ducatur inſtitutio: ſiquidem haud dubiè vſus momentum habet maximum. Verùmenimuero vſu & frequentatione rem Ariſtotelis tempore diiudicare ac litem dirimere haud licuit, quandoquidem, eloquentia mirificè colebatur, atque ita colebatur vt in quolibet dicendi genere Oratores ſummos Iſocratem, Platonem, Demoſthenem, Hippetidem Aeſchinem, alióſq. multos, aleret ea ætas. Itaut tripartita illa dicendi varietas in vſu eſſet ac magno cum plauſu tereretur tota. Itaq; nulla fuit

ratio

ratio cur per idem tempus Iudiciale genus, quaſi verò vel vnum vel maximè vſurpa-
retur (id quod vſu venire ſolet hoc tēpore) priùs quàm cætera explicaretur. Ac pro-
fectò iudicia in foro, quemadmodū ex Demoſthenis Orationibus intelligitur, incen
ſis ſtudijs exercebantur: in Curia etiam & Senatu cōſultationes ac deliberationes per-
agebantur ſtrenuè, ſicuti cum ex eiuſdem Demoſthenis orationibus tum ex Thucy-
dide ac veteribus hiſtoricis apparet ſatis: laudationes quoq; ac totum Demonſtratiuū
genus cum publicè in panegyricis & cōuentibus, tum priuatis ſtudijs ac monumen
tis colebantur egregiè, quod ex Platone, maximè vero ex Iſocrate, cōpertum eſt. Vnū
igitur illud ſupererat, vt ad præſtantiam ac nobilitatem confugeret; vt dū aut doctri-
næ ordo aut ſaltem frequentior vſus nemini adhuc primum attribueret locū, ei pal-
ma concederetur, cui dignitas ac nobilitas tribueret principatum. Id quod Ariſtote-
les ipſe ſignificauit, qui ſibi idcirco a Deliberatiuo incipiēdum putauit quod ſit κοινό-
τερον, hoc eſt cum publico bono maximè omnium coniunctum, ac propterea no-
bilius ac dignius. En Ariſtotelem ipſum, quoniam doctrinæ ordo aut vſus quodcun-
que primò ſinebat explicari, ad nobilitatem confugiſſe, & idcirco a Deliberatiuo in-
cœpiſſe. Ac profectò cum de pace & bello, de cuſtodia regionis, de legibus déque hu-
iuſmodi alijs quibus publicum continetur bonum, in Deliberatiuo diſceptetur, Iudi-
ciali priuatorum contentiones reſeruentur, Demonſtratiuum laudis ac vituperatio-
nis excolat campum, atque ea ſummatim quæ publicum bonum minùs attingunt,
complectatur, ſatis conſtat Deliberatiuum fuiſſe digniſſimum quod primo explicare-
tur. Quo poſitò & conſtituto, illud cōſequebatur vt Iudiciale poſtremam occuparet
ſedem, mediam Demonſtratiuum: cum id iam doctrinæ ordo qui ſeſe interim inſi-
nuabat, ab eo requireret qui Deliberatiuum primo tractaſſet loco. tanta eſt enim De-
monſtratiui cum Deliberatiuo affinitas & coniunctio, vt diſiungi non poſſint ſine or
dinis offenſione: quandoquidem ex ijſdem fontibus ex quibus magnam argumēto-
rum partem ducit Orator in Deliberatiuo, ſua ducit argumenta Demonſtratiuum,
nimirum a virtutibus & vitijs. De qua re tota Ariſtoteles ipſe, ne nō optimo authore
in re tam graui vti videar, nos admonuit aliquando cum enim animaduerteret ciuili
adminiſtrationi pacem ac tranquillitatem atque adeo beatam vitam in finis loco eſ-
ſe propoſitam, ac propterea hinc planè, Curiæ controuerſias eſſe dirimendas, & con-
ſilij capiendi rationem eſſe ducendam, ac propterea de Virtute, qua vel vna vel maxi-
mè ad benè beatéq. viuendum contendimus, longè ac latè fuiſſe agendū, de hac, quo-
niam Demonſtratiuo quoque generi ſuppeditat argumenta, continenter in Demon-
ſtratiui tractatione monuit eſſe dicendum; at hac de cauſa tantiſper interim ab virtu-
tis ac vitij explicatu ſuperſedendum conſtituit. Et idcirco ſtatim atque abſoluit De-
monſtratiui generis tractationem, Poſt hæc autem (inquit) dicamus de Virtute & vi-
tio, déque honeſtate ac turpitudine. Ita factum eſt vt præſtantia primum locū attri-
buerit Deliberatiuo, tum doctrinæ Ordo ſecundum aſcripſerit Demonſtratiuo. Quæ
cum ita ſint, neceſſe quoque fuit vt Iudiciale in tertijs conſiſteret.

Hæc eſt germana cauſa cur non temerè ſed conſultò ac ſcitè Ariſtoteles Iudiciale
genus reſeruauerit ad extremùm. Quod tamen noſtrum erit, Ornatiſſimi Auditores,
pro virili parte noſtra hoc tempore excolere tanquam præclarum ac nobile: cum cæ-
tera duo genera, id quod ab initio dicere cœperam, propemodum exatuerint ac Iudi-
ciali reliquerint principatum. Denique hoc Iudicijs retinendis, Iuſtitię tuendæ, publi-
co priuatóq. bono conſeruando, Vrbibus ac Regnis ſapienter moderandis, ſimúlque
optimis diſciplinis ac virtutibus, vnde ad benè beatéq. viuendum contenditur, Ciuiū
animis imbuendis explendíſque, aptiſſimum exiſtimandum eſt.

Hæc habui quibus propoſitam Controuerſiam explicarem. Vos Auditores huma-
niſſimi ac nobiliſſimi, quos nō modò præſentia, verùm etiam attentione atq; animis,
nunc etiam plauſu & approbatione, cœptis meis fauere iuuit, fœlices abite iam, ac fœ-
liciſſimi in proximum diem & inſequentibus hac eâdem hora mihi adeſſe
ac fauere, veſtræ etiam vtilitati ac dignitati pro veſtra pru-
dentia conſulere, ne grauemini.

ORA-

ORATIO LXXIII.

Habita in Patauino Gymnaſio Nonis Nouembris Ann. 1619. *cum Ariſtotelis Rhetorica publicè eſſet explicanda.*

MAgna quidem res, Auditores Ornatiſſimi, & admirabilis eſt humana mens & ratio: hinc enim non modò cæteris animantibus longè præſtamus, verùm etiam cum beatis mentibus quodammodo copulamur. Sed quid beatas mentes commemoro? Ad Deum, ad Deum ipſum, a quo beatæ illæ mentes prodiere, proximè accedimus, atque immortalem diuinámque illius naturam ſimilitudine quadam, ac veluti affinitate attingimus. Ex quo ſanè fit vt tum cœleſtium rerum, ac terrenarum hymenæus, ſiue rerum humanarum diuinarúmq. nexus cenſeatur homo, tum verò magnum miraculum atque adeò terreſtris Deus a viris ſapientiſſimis appelletur.

Quamquam dum mecum ipſe reputo qualis & quanta ſit eloquentiæ vis ac dignitas, ac viri, qui dicendi virtute & eloquentiæ excellat, præſtantia & decus, equidē maius quoddam miraculum ac numen mihi videor intueri. Si enim mentis & rationis ope animantibus cæteris antecellimus, eloquentia ſanè non modò animātes cęteros ſed homines ipſos longo interuallo ſuperamus. Quod ſi inde cum beatis mentibus copulamur, atque adeo diuinam naturam ſimilitudine attingimus, hinc diuinæ mentis ſapientiam atque præſtantiam ſplendidiùs exprimimus & æmulamur.

Etenim cum nihil aliud ſit eloquentia quàm copioſè loquens ſapientia: hinc ſanè multò maximè cum dignitas mentis ac rationis decus, tum diuinæ ſapientiæ ſplēdor, elucet in homine. Cum enim virum eloquentem dico, non eū intelligo, qui mediocri quadam rerum cognitione imbuerit pectus, aut diſertus tantùm videri poſſit, ſed qui rerum humanarum diuinarúmq. intelligētia compleuerit animū, & de qualibet re ordinatè dicere poſſit & copioſè: qui denium cœtus hominū dicēdo facilè teneat, ac mortales ad iuſtitiā ac religionem excitare, ad Patriæ caritatem incendere, ad diuinum amorem inflammare, valeat. Hic, hic inquam, Auditores præclariſſimi, iure ſapiens & eloquens habeatur: hic magnum miraculum, hic Dei ſimulacrum ac terreſtre numen, meritò appelletur.

Quæ cum ita ſint, vix crediderim humanitatis ſenſu eum eſſe præditū, qui eloquentiam non dico contemnat (id enim monſtri ſimile iudicauerim) ſed non auidiſſimè expetat, &, ſi poſſit, non conſectetur ac toto pectore amplectatur.

At enim arduum eſt, ac perdifficilè tali ac tanta doctrinarum varietate, atq; omniū propemodum rerum cognitione, pectus imbuere & exornare: multò difficiliùs eas omnes oratione illuſtrare, atque ornatè eloqui & copioſè; per quamdifficillimum ac propè ἀδύνατον dicendo tenere hominum cœtus, atque hos quocunque velis impellere, & ad omnem virtutem incendere & inflammare. Fateor equidē Auditores Nobiliſſimi, & ingenuè fateor, imò profiteor. Sed tamen, ſi qui ſunt quibus ad talem ac tantam gloriam aſpirandum ſit & contendendum, vos eſtis Adoleſcentes optimi & ornatiſſimi, qui in fœlici hoc Cœlo, in hac regione optima & clemētiſſima nati eſtis, qui ingenio (quod non me later) mirificè floretis, qui ocio & trāquillitate abundatis, qui nouas haſce Athenas & celeberrimas frequentatis, qui denique in hoc Lyceo, in hoc optimarum artium Theatro ac domicilio, eos Doctores nacti eſtis a quibus ad omnem ſcientiam ſtrenuè informari, omnibus virtutibus atque doctrinis exeoli poſſit animus veſter.

Sed fortaſſe imprudens ſim ego, qui ſponte currentes hortari audeam, atque illis eloquentiam probare, qui eam cupiunt atque expetunt auidiſsimè. Satius igitur erit vt ſine cunctatione vlla Oratorum Palæſtram ſubeam, & in Rhetorum curriculum arenámq. deſcendam. Id quod libentiſſimè quidem fecēro, ſi vos illud priùs admonuero, uobis cum vtile & periucundum, tum in primis honorificum, fore confido. At

Digitized by Google

do. At quid hoc tandem? Exponam ſanè Auditores, ac veſtra fretus humanitate ingenuè vt ſoleo candidéq. exponam.

Ergo præclarum quidem videri debet dicendi rationem atque præcepta ab Peripateticorum Principe Ariſtotele excepiſſe ſeu derinare. Is enim fuir Ariſtoteles qui vniuerſa priſcorum Græcorum monumenta diu noctúque peruolutauit: qui Platoni, hoc eſt Atticæ eloquentiæ Magiſtro, viginti integros annos operā dedit: qui Athenis clariſſima Græcorum ingenia ad omnes doctrinas & facultates exercuit & informauit: Qui M. Tullio Romanæ eloquentiæ Principi ſuam induſtriam mirificè probauit, ita vt cum diuinis propè laudibus atque Atticam illius ſiccitatem ſummis præconijs celebret: qui denique in cæteris doctrinis ac monumētis cæteros Doctores & Authores, in hoc ſe ipſum, quam longiſſimè ſuperauit. Veriſſimè enim dici poteſt huiuſmodi opus non modò omnibus numeris perfectum & abſolutum eſſe, ita vt in eo receptui canat Ars, verùm etiam ad miraculum propè excellere. Sed tamen multò præclariùs exiſtimandum eſt, Ariſtotelea præcepta ad vſum exercitationémque referre: niſi enim quis ſtylum atque ingenium ad ſcribēdum, linguam & induſtriam ad declarandum, retulerit, atque omnes & animi & corporis vires ac neruos in Rhetorum Palæſtra intenderit & exercuerit, vix ac ne vix quidem egregiam dicendi laudem aſſequi poſſit. Præſtat igitur Rhetorum curricula vſu, & exercitatione terere, ac diurnis nocturníſque vigilijs laboribúſque in illis deſudare. Ita quidem licebit fœliciter ex vmbra in Solem, ex paleſtra ad certamen prodire: plauſus in Cutia & in Senatu, acclamationes in foro ac iudicijs captare, ac ſubſellia & roſtra magna cum laude tenere atque conſcendere. Ita vt veſtrum interſit plurimi, adoleſcentes optimi ac nobiliſſimi, & ad veſtrum decus ac laudem magnopere pertineat, non modò mihi dicenti publicè aures atque animos attentos præbere, verùm etiam priuatis Oratorijs ſcriptionibus & declamationibus operam dare, ac veſtro honori & vtilitati pro veſtro ingenio ac nobilitate conſulere. Hoc illud, de quo mihi pro ſingulari mea erga vos obſeruantia, florentiſſimi iuuenes, aliquid dicendum, ac vos admonendos, exiſtimaui.

Nunc redeo ad inſtitutum, & ad Ariſtoteleæ Rhetoricæ inſcriptionem aggredior, quæ eſt huiuſmodi. Ἀριστοτέλους περὶ τῆς τέχνης Ῥητορικῆς βιβλία τρία. Ariſtotelis de Arte Rhetorica libri tres. Sed cur quæſo in Cœlo clamor? quorſum repentinum hoc murmur? At at iam intelligo ornatiſſimi adoleſcentes, iam perſentio. Illud enim ſenectuti meæ ac fractis propè viribus tribuendum iudicatis ac largiendum, vt ad craſtinum diem huiuſce Inſcriptionis reijciatur explicatio. parebo itaque libens: ſi tamen vnum ſaltem de illa breuiſſimè attigero, quod omnino optarim hodierno die explicare, vt poſtero Ariſtotelem ipſum primo quoque tempore liceat audire. Vos igitur pro veſtra nobilitate ac benignitate permittite obſecro, iuuenes ornatiſſimi, vt me hac cura & cogitatione breuiter expediam: nam ſtatim finem dicendi faciam.

Ergo quoniam vos pro moderatione veſtra & humanitate non modò conquieuiſſe video, verùm etiam oculos atque ora in me alacres conuertiſſe; Illud optaſſem de propoſita Inſcriptione vobis renunciare poſſe & confirmare, nimirum germanam eſſe Ariſtotelis, & ab eius profectam ſtylo: ita etiam fieret vt nos ille maiore cum dignitate & authoritate nobili hoc argumento propoſito attentos ac dociles efficeret, Sed, vt ingenuè fatear, magnopere vereor ne id minùs verè ſtatuere valeam.

Illud tamē videor mihi veriſſimè affirmare poſſe, quod pleríſque fortaſſe nouum & inauditum, ne dicam incredibile, videatur: nimirum Ariſtotelem vbique paſſim ad ſua monumenta prouocare, ac nos ad illa reiicere, nec tamen vſquam librorum mentionem facere, ita vt a ſe ſuos ille commentarios in libros diſtributos fuiſſe indicet. Quare paſſim ad Analyticam, ad Topicam, ad Eriſticam nos reuocat, ſæpiſſimè illud quoque profert, in iis quæ de principiis, in iis quæ de natura, de motu, de anima, de animalibus, de prima Philoſophia, in Ethicis, in Politicis, in Exotericis, in Acroamaticis; nec tamen vſquam certum librum deſignat, aut commentarium vllum & monumentum libris diſtinctum eſſe ſignificat. Quapropter quemadmodum Platonis Politia,

Digitized by Google

nis Politia, quæ modò in X. libros ſeſe offert diſtributa, in veteribus Græcis codicibus vnico comprenditur monumento, nec vllam præſefert partitionem, idémque de ijs dicendum quæ diſputauit de Legibus, quaéque duodecim libris diſtincta terimus, ita Ariſtotelis Commentarij, mea quidē ſententia, ſingulis voluminibus ſinguli ab Authore ſuo exarati ſunt ac publicis literis conſignati. Quæ cum ita ſint, videor mihi nō temerè affirmare poſſe huiuſmodi Inſcriptionem, quoniā in tres libros diſtribuitur hoc monumentum, non eſſe germanam Ariſtotelis, ſed a Theophraſto ac Peripateticis ſectatoribus huic noſtro Commentario fuiſſe præfixam.

Illud tamen ſine vlla dubitatione affirmarim, ſcitè omninò & commodè id excogitatum a Peripateticis, & Ariſtotelis doctrinæ atque ſententiæ cohærenter conſentientérque factum eſſe totum.

Itaque illud planè ſupereſſet, vt docerem intelligenter omnino Theophraſtum, ſeu quiſquis ille fuerit, eiuſmodi commētarium, & Ariſtoteli tribuiſſe, & Artis Rhetoricæ nomine inſcripſiſſe, & tripartito diſtribuiſſe. Quod tamen ipſe vt ne humanitate veſtra & patientia in præſens abuti videar, proximo die docebo, atque ita docebo, vt cum alia multa eáque grauiſſima ſe ſe offerant, de quibus vel diſputare vel nos admonere ſolent Interpretes, nihil interim ex ijs prætermittam. Quapropter tum quæ recepimus interim, tum quæ ſe ſe offerent rurſus, diſceptabimus, ſuo quæque loco conquirentes & explicantes. Ita fiet, vt ego quidem integris viribus reuertar ad dicendum, vos verò vacuis auribus redeatis ad audiendum, denique vterque noſtrum præſto erit qui propenſo alacríque animo ſuo muneri ſatisfaciat.

ORATIO LXXIV.

Hanc habuit Author in Patauino Gymnaſio Anno CIↃ IↃ C∞ ∞I. *III. Non. Nouemb.*

Dum Orationem pro M. Marcello explicandam aggrederetur.

QVi momenta æſtimant Romani Imperij, atque huius ortum & incrementa, inclinationes inſuper interitúmque perpendunt, ij ſanè haud dubitant illud cum animante atque adeo cum homine ipſo comparare. Itaque infantiam illi affingunt primùm ac pueritiam: tum adoleſcentiam, iuuentutem, virilem ætatem, ac ſenectutem: denique effœtam quoque illi ingraueſcentémq; ſenectam attribuunt: ita vt germani animantis effigiem exprimāt ac ſimulacrum. Nam ſi quem iuuet magni huius ſiue animalis ſiue Imperij non modò ætates ac progreſſiones, verùm etiam, vt partibus omnibus ac numeris abſoluta ſit comparatio; conceptum ac fœtum, fœtúsq; nutrimentum intueri. habet hic Albanum Regnum, in quo tanquam in materna illud aluo ſpectet ac tueatur. Ibi enim ex Troiano ſemine conceptū ac ſatum: ibi Albanorū Regum ſanguine quaſi lacte nutritum: inde vnà cum Romulo in lucem prodijt: inde tandem (ne conſecter omnia) anni ſolíſque vias dominatum protēdit ac propagauit: atque ita etiam propagauit, vt ſuos fines, ſuámque gloriam Cœli regionibus terminarit. Iam verò dum huius ortum animantis ætatéſque (vt dicere cœperam) deſcribunt ac perſequuntur, fortiſſimos quoque viros, quos quæque tulerit ætas, Ducéſque proferunt, ac veluti in aciem educunt. Inter quos tres maximè Duces ac veluti Heroes commemorant: quos etiam ſibi præ cæteris ornandos ac celebrandos propoſuit eloquentiæ parens M. Tullius: nimirum Scipionem Africanum, Pompeium Magnum, Cæſarem Dictatorem. Quapropter Africanum in libris de Rep. & de Amicitia ſummis celebrat laudibus: Pompeium è roſtris, dum Manilianam ſuadet legem, ad Cęlum extollit: Cæſarem in Marcelliana diuinis prope honoribus ornat. *Hic ſummam ſpem Ciuium* (inquit de Scipione loquens) *quam de eo iam puero habuerant, continuò adoleſcens incredibili virtute ſuperauit: hic conſulatum petijt nunquā, factus eſt Conſul bis, primùm ante tempus, iterum ſibi ſuo tēpore, Reipublicæ penè ſerò: hic duabus Vrbibus euerſis inimiciſſimis huic Imperio,*

non modò præſentia, verùm etiam futura bella deleuit. Quid dicam de moribus facillimis? de pietate in matrem, liberalitate in ſorores, benignitate in ſuos, iuſtitia in omnes? Quamobrem vita quidem talis fuit, vel fortuna vel gloria, vt nihil poſſet accedere. Illud tamen verè licet dicere, P. Scipioni ex multis diebus quos in vita celeberrimos lætiſſimóſq. viderit, illum diem clariſſimum fuiſſe, cum Senatu dimiſſo, domum reductus ad veſperam eſt a patribus conſcriptis, a Populo Romano, a ſocijs, & Latinis, pridie quàm exceſſit è vita, vt ex tam alto dignitatis gradu ad ſuperos videatur potiùs quàm ad Inferos perueniſſe. Hæc & id genus multa in Lælio. In Republica verò mirum eſt quàm eximijs illum laudibus cumulet P. Cornelius: quàm præclara de illo vaticinetur. Inter quę illud præclariſſimum. *Cum Carthaginem* (inquit) *deleueris, triumphum egeris, Cenſórque fueris, & obieris legatus Aegyptum, Syriam, Aſiam, Græciam: delegêre iterùm abſens Conſul, bellúmque maximum conficies, Numantiam excindes.* Hæc & alia plurima de Scipione: quæ nos alibi, nec inopportunè, perſequemur. Quid verò de Magno Pompeio? incredibile profectò eſt quantopere in eo celebrando Ciceronis exultet Oratio. *Ego ſic exiſtimo* (inquit in Maniliana) *in ſummo Imperatore quatuor has res ineſſe oportet; Scientiam rei militaris, Virtutem, Authoritatem, Fœlicitatem. Quis igitur hoc homine ſcientior vnquam aut fuit, aut eſſe debuit? qui è ludo atque pueritiæ diſciplina, bello maximo atque acerrimis hoſtibus, ad Patris exercitum atque in militiæ diſciplinam profectus eſt: qui extrema pueritia miles fuit ſummi Imperatoris, ineunte adoleſcentia maximi ipſe exercitus Imperator: qui ſæpiùs cum hoſte conflixit, quàm quiſquam cum inimico concertauit: plura bella geſſit quàm cæteri legerint: plures prouincias confecit quàm alij concupierint: cuius adoleſcentia ad ſcientiam rei militaris non alienis præceptis, ſed ſuis Imperijs, non offenſionibus belli, ſed victorijs, non ſtipendijs ſed triumphis eſt traducta? quod denique genus belli eſſe poteſt, in quo illum non exercuerit fortuna Reipublicæ? Ciuile, Africanum, Tranſalpinum, Hiſpanienſe, mixtum ex Ciuitatibus atque ex bellicoſiſſimis nationibus, ſeruile, nauale, varia & diuerſa genera & bellorum & hoſtium non ſolùm geſta ab hoc vno, ſed etiam confecta, nullam rem eſſe declarant in vſu militari poſitam, quæ huius viri ſcientiam fugere poſſit.* Hæc de Cn. Pompei militari ſcientia. Iam vero quæ de illius aut virtute, aut etiam de authoritate, fœlicitatéve prædicat, referre longum eſſet ac propemodum infinitum. Quocirca his interim prætermiſſis, ad Dictatorem me conferam, & præclaras quibus noſter Cicero clariſſimum hunc Imperatorem afficit, laudes, orationémq. vniuerſam perſequar & explanabo. Cũ enim tertio abhinc anno ex hoc loco Manilianam explicauerim, ac pro virili parte mea illius decus oſtenderim, cur non ad Marcellianam tandem deueniam? veriſſimè enim dici poteſt, in hac vſque adeo omnes eloquentiæ vires profudiſſe M. Tullium, vt eloquentiam ipſam non modo æquaſſe, ſed ſuperaſſe videatur? Ad Marcellianam igitur Deo benè iuuante aggredior: breui etiam ad Scipionis ſomnium progrediar, vt Africani præconia perſequar copioſè. Ita quidem tripartitum eiuſmodi curriculum, in quo tã egregiè ac fœliciter Ciceronis deſudat induſtria, vel potius receptui canit eloquentia, peragrauero vniuerſum. Ad Marcellianam verò aggrediẽs, tria complectar & explicabo. Primò enim germanum Orationis argumentum exponã non indiligenter: tum docebo in quo genere hæc reuera verſetur Oratio. Denique (id quod longioris operis erit ac temporis) Orationem ipſam per partes declarabo; atque ita declarabo, vt dicendi præcepta tũ ex Ariſtotele, tum ex eodem M. Tullio commonſtrem. Quo ſanè fiet vt tum præceptis, tum exemplis, tam M. Tullio, quàm Ariſtotele Magiſtro ac Duce, vos ad eloquentiam inſtituam. Sed de hac re tota paulò poſt copioſiùs. Nunc argumentum explicabo. Quod dum facio, vos Auditores ornatiſſimi, quoniã hinc pendet Orationis ipſius intelligentia, quæſo pro veſtra humanitate diligẽter attẽdite.

M. Claudius Marcellus, vir Conſularis, ac Reipublicæ ſtudioſiſſimus, Pompeium ſequutus, aduerſus Cæſarem in bello Pharſalico dimicauit. Cúmque inde Cæſar victor diſceſſiſſet, & ad Vrbem rediens, perpetuam Dictaturam, ne dicam Tyrãnidem occupaſſet, Marcellus Mitylenas ſe contulit: vbi cum laboranti Patrię pro virili parte ſua tuliſſet opem, ac domi foriſque ſemper debitum officium præſtitiſſet, conſcientiæ ſolatio fretus, otium ac tempus literis mira animi tranquillitate tranſmittebat. Cúmque ex Pompeianis alij bellum contra Cęſarem inſtaurarent in Africa, alij armis depoſitis, ſupplices ad victorem confugerent, & culpã, ſi quam tamen contraxerant, deprecarentur, ipſe neutrum conſilium ſibi tutum aut honorificum exiſtimans, fortunæ iniurias æquo animo perferebat, vel potiùs doctrinarum ſuauitate ac dulcedine

com-

compenſabat. Interim Romæ Cæſar ſupplices pro ſua clementia hilari vultu excipiebat, eiſq. tum Vrbem, tum Senatum patêre perhumaniter ſinebat. Cum verò quotidie multos reciperet, ecce tibi C. Marcellus pro Marco fratre in Senatu Cæſari ſupplicauit. Quod dum faceret, Senatus vniuerſus aſſurgens, Senatorem optimum multis precibus commendauit. Tum Cæſar, etſi Marcellum expertus eſſet acerbum hoſtem, atq; acceptas iniurias commemoraſſet, ne quid tamen Senatui denegaret, Marcum Marcellum in priſtinum reſtitui iuſſit. Ex quo ſanè maxima patrum conſecuta eſt gratulatio. inter quos M. Tullius, quoniam Marcellum vnicè diligebat, lætitia propemodum triumphauit. Itaque cum antea rarò in Senatum venire conſueuiſſet, atque in illo ſibi ſilendum propoſuiſſet, incredibili lętitia excitatus, hanc ſibi Orationē Cæſari habendam exiſtimauit, vt Marcelli nomine ac Senatus illi gratias ageret immortales. Hoc (vt ſummatim dicam) eſt Orationis argumenrum. Etſi nō fortè altiorem aliquem ac præſtantiorem ſcopum in ea ſpectet noſter Author, & conſilium vel occultet ſuum, vel non omnibus prodat, explorabimus commodiore loco. Nunc ſat ſit hac Oratione nihil venuſtius nihil pulchrius aut admirabilius fingi aut excogitari poſſe. ita vt in cæteris cæteros, in hac non ſecus atque in Maniliana ſeipſum quám longiſſimè ſuperarit. Erit igitur Auditores ornatiſſimi, vt hinc ad Eloquentiæ metam celſo animo contendatis, atque omnem curam & induſtriam exeratis, vt pro veſtro ingenio próque veſtra nobilitate fructus vberrimos referatis. Ego ſanè quantum in me erit, enitar, vt tum Ariſtotelis eiuſdémq. Ciceronis præcepta & documēta in hac Oratione agnoſcatis, tum Eloquentiæ lumina & ornamenta veluti in Theatro pulcherrimo perſpiciatis. útraque magna cum voluptate, ſpero etiam vtilitate, oculis penè ipſis, non modò auribus atque animis, hauriatis. Quāquam illud vos moneo eloquentiæ ſtudioſis præclarum videri poſſe Ariſtotelis præcepta percepiſſe: præclarius illa ex aureo Ciceronis fonte delibaſſe, ac Tullianis exemplis Petipateticorum Principis documenta confirmaſſe. Sed longè præclariſſimum videri debet ſcribendo ac declamando M. Tullium imitari ac ſtylum & linguam Tulliana imitatione fingere & expolire. Quocirca ſi qui ſunt quos iuuet ſtylum tum ſcribendo tum declamando exercere, ijs domus noſtra ſemper patebit, ac nos glorioſi laboris vel duces vel conſortes habebunt pro arbitratu. Et quoniam Latinus ſtylus ex Græcò vel maximè effloreſcit, ita ut M. Tullius quantus fuit totus ex Platonis, Iſocratis, Demoſthenis, Xenophontis, Thucydidis ſpatijs extiterit, ſi qui erunt qui Græcum Authorem aliquem ſibi explanari cupient, ſanè dabimus operam, vt noſtram diligentiam nullo modo requirant. Quin etiam quam ornatiſsimis adoleſcentibus multis vel ſtylo exercendo ac perpoliendo vel Græcis Authoribus interprętandis, operam impēdimus ſuperioribus annis, hanc in præſenti non modò non remittemus, verùm etiam augebimus pro virili. Denique ipſe, quemadmodū in veſtro obſequio cōſerui, ſic, donec ſpiritus hos reget artus, pro veſtra vtilitate ac dignitate ſtrenuè & cupidiſſimè laborabo.

ORATIO LXXV.

Habita Patauij Anno M. DC. II.

Cum primam M. Tullij Ciceronis ad Q. Fratrem Epiſtolam priuatim interpretaturus eſſet Author.

LAtinum Authorem vel potiùs Latinorum Authorum Principē interpretandum ſuſcipio: qui ſanè Author vt vobis pergratus accidat, Auditores optimi, & cupio & ſpero. Si enim Peripateticorum Princeps quem publicè explicamus, Attica Eloquentia ſic floruit inter Græcos, vt ab eloquentiſſimo viro, hoc eſt a Cicerone ipſo, dicatur aureū Orationis flumen ſundere, hic certè quem explicabimus priuatim, dicendi gloria vſque adeo præſtitit inter Latinos, ac Romanæ Eloquentiæ & parens & princeps iurè ab omnibus appelletur. Quod ſi Xenophontis Oratio ita ſuauis habita eſt ac dulcis, vt illius ore ac voce Muſas quaſi locutas ferret antiquitas, profectò noſter

Author, qui Syrenæ inſtar Orationis ſuauitate atque dulcedine Auditores mirificè perfundit ac capit, Latina Muſa atque Sirena appellatus eſt.

Quin etiam, ſi in dicendo tanta fuit Platonis ſuauitas, vt mortales illi, Apes, hoc eſt mellifluas animantes, in eius labellis conſediſſe dicerent, tanta fuit elegantia atq; venuſtas, vt Ioui, ſi quando Græcè loqui voluiſſet; Platonis lingua vtendum fuiſſe affirmarent, nos ſanè ob ſuauitatē Orationis & venuſtatem in Ciceronis ore nō Apes, ſed Gratias, leporem, ſuauitatem ipſam & venuſtatem, conſediſſe; Ioui etiam, ſi comminiſci licet, Ciceronis ore loquendum fuiſſe affirmamus, ſi Latinè loqui vnquam libuiſſet. Denique ſi Pericles in dicendo vſque adeò vehemens fuit, vt tonare ac fulgurare, Demoſthenes ſic acer & concitatus, vt nō orare, ſed Græciam vniuerſam in Philippum armare diceretur, Marcus quidèm noſter is fuit, qui quoties in Antoniū ac Patriæ hoſtes inueheretur, non verba, nec ſententias fundere, ſed tela, ſed fulmina vibrare, non Ciuibus Orationes, ſed militibus arma fabricare videretur. Quin etiam ſi Peripateticorum Princeps Ariſtoteles, aut Philoſophorum Homerus Plato ſapientia quoque ſummopere excelluit, in primis verò in politicis præceptis admirabilis fuit ac propè diuinus, profectò M. Tullius præterquam quod omnes Philoſophiæ atque ingenuæ eruditionis vias peragrauit, ciuili doctrina ſic claruit, vt parem rerum ciuiliū ſapientiam cum eloquentia iunxerit & copularit. Ego ſanè Auditores dum illius libros diligenter euoluo; in primis verò monumentum hoc perlego quod in præſens explanandum ſuſcipimus non modò Xenophontem non deſidero, ſed ne Ariſtotelē quidem aut Platonem magnopere requiro. Deniq; quoties Authoris ſapientiam & eloquentiam intueor in hoc monumento, ſtatim mihi in mentem venit ſuauiſſimus ille ac prudentiſſimus Pyliorum Orator Neſtor, quem Homerus & ob prudentiam multas ætates vixiſſe & ob eloquentiam.

Τοῦ καὶ ἀπὸ γλώσσης μέλιτος γλυκίων ῥέεν αὐδή.

Melle inquam dulciora verba ab ore fudiſſe, cecinit. Tria verò in primis erunt quæ vos hoc tempore in noſtro hoc Authore mirificè delectent.

Primum erit admirabilis ac propè diuina eloquentia: ſi enim in cæteris libris Demoſthenem & Platonem dicendi laude non æquauit ſolùm, ſed facilè etiam peruicit, in hoc certè ſecum ipſe certauit ſtrenuè, vel potiùs ſeipſum quàlongiſſimè ſuperauit.

Alterum eſt Ciuilis ſapientiæ vbertas & magnitudo, ſic enim nos ad Rempublicā ac publicam omnem adminiſtrationem inſtituit ac fingit, vt mihi quidem in hoc monumento perfectus & Ciuis & princeps deliteſcere, ſed quid dico deliteſcere? imò verò tanquam in tabula benè picta & in optimo lumine collocata, enitere videatur.

Poſtremùm, quod refert vel maximè, illud eſt, Auditores, quod ciuilia huius monumenti præcepta in noſtra hæc tempora egregiè omninò ac fœliciter cadunt. Sic enim diſputat noſter Author, vt non tam veteres Ciues quàm præſentes ad Rempublicam informare voluiſſe dixeris, nec tam ſua tempora ſpectaſſe quàm noſtra. Vt mihi quidem, neſcio quo pacto videri ſoleat non tam Romana pectora, quàm Veneta, imò verò Italica omnia ad honeſtam gloriam, ad Patriæ caritatem, ad Heroicas virtutes omnes colendas cohortari atque inflammare voluiſſe.

Quæ omnia eò nobis (vt ſpero) accident gratiora, quòd eius Oratio non ſpinis aut tenebris obſita eſt quemadmodum Ariſtotelica, ſed facilè fluit atque incomparabili excellit perſpicuitate.

Denique, vt rem paucis concludam, cum tyrones, ſi qui hîc ſunt, altiùs imbuere & ad bonas literas informare, tum veteranos admirabili illa eloquentiæ Ciuiliſque ſapientiæ vbertate, delectare ac tenere, poterit.

ORATIONES PAVLI BENII FINIS.

PAVLI BENII EVGVBINI

EPISTOLÆ ET PRÆFATIONES:

QVÆ CVM ALIOS VSVS HABENT MVLTOS

Tum libris; Theſibusve dicandis, Lectorique admonendo, ornando, conciliando, cadunt percommodè.

HIS ACCESSERVNT ELOGIA, EPITAPHIA, ET CARMINA QVÆDAM.

Quæ omnia Sereniſſimo Venetiarum Principi, & Excellentiſſimis Patauini Gymnaſij Moderatoribus, Author dat, donat, ac dicat.

BIBLIOTECA NAZ. ROMA VITTORIO EMANUELE

AD CLEMENTEM OCTAVVM PONTIFICEM MAXIMVM.

NOVVM ſanè ac varium, Pater Beatiſſime, atque a priſcis vſque Peripateticorum temporibus optatum & a multis etiam tentatum in naturalem omnem atque diuinam Platonis & Ariſtotelis Philoſophiam edimus opus ac monumentum. In quo quidem cum cætera omnia Chriſtianæ Reipub. vtilia fore ſperamus & periucunda, tum illa in primis quæ in prima hac lucubrationum noſtrarum parte ad bonas artes ac liberalia ſtudia ab Catholicæ Eccleſiæ hoſtibus propugnanda ſanctiſſimi atque fœliciſſimi nominis tui authoritate munita ac ſplendore illuſtrata litteris conſignamus. Id quod eò etiam libentiùs facimus, quòd in his libris eò maximè ſcriptiones noſtras atque cogitationes intendimus, vt Chriſtianis philoſophis rationem ac viam oſtendamus, vnde Ariſtotelicæ Platonicaéq. Philoſophię ſiue ſcopulis atque offenſionibus declinatis, ſiue ſalebris & difficultatibus ſuperatis, pulcherrima ſummorum Philoſophorum decreta & monumenta ſine vlla Religionis morúmq. iactura & offenſione, immo cum pietatis queſtu & acceſſione, tractare poſſint. Qua quidem in re te in primis B. P. tanquam Religionis, morum, optimarum denique artium propugnatorem reſtitutorémque appellant, ac ſuo quaſi iure tutorem patronúmque depoſcunt lucubrationes noſtræ. Eas igitur P. B. pro tua ſingulari pietate atque clementia hilari fronte excipias. Et qui huic rerum Vniuerſitati, maximè verò homini, pari ſapientia & poteſtate imperas & moderaris, quæ de Vniuerſitate atque homine in primis diurnis nocturniſq. multorum annorum vigiliis elaborata ſubinde edimus ad publicam fidelium vtilitatem, Eccleſiaéque ſplendorem ac dignitatem auguſtiſſimi nominis tui authoritate foueas ac tuearis.

Vale B. P. téque diu Chriſtianæ Reipub. ac bonis omnibus incolumem ſerua. Datum Romæ IV. Idus Februarij M. D. XCIV.

Digitized by Google

Ad Clementem VIII. Pontificem Maximum.

IOhannes Vincentinus Pinellus, quam ego plurimi ſemper feci, poſtulauerat a me vt ſibi de Eccleſiaſticis Baronij Cardinalis Annalibus aliquid perſcriberem: ac ſententiam meam Diſputatione aliqua declararem. Vt enim ſumma approbatione illos legebat ac voluntate, optabat (opinor) vir clariſſimus, atque omni virtutum laude ornatiſſimus, aliorum quoq; iudicium & approbationem audire, atque illorum præſertim qui in hac Vrbis luce atque adeò Orbis Terræ Theatro, degerent. Natura enim comparatum eſt vt quod diligimus, id aliis quoque probari libentiſſimo animo audiamus. Ipſe itaque obtemperandum mihi ratus, tantiſper collegi animum a reliquis occupationibus & ſtudiis: & aliquorum dierum ſcriptione meam illi opinionem ingenuè expoſui ac declaraui. Cum verò ad nonnullorum manus noſtra perueniſſet diſputatio, iámque apud aliquos mendoſior cerneretur, omnino faciendum putaui, vt eam diligenter emendatam, publicis litteris cõſignarem. id quod eò etiam libentiùs faciebam, quód intelligerem poſſe me hac ratione percommodè amicorum multorum qui illam a me requirerent, ſtudiis ac voluntate ſatisfacere. Quamquam (ne illud reticeam P. B. quod præcipuum eſt & caput) tua me in primis beneficentia permouit & incitauit. Cum enim iis ipſis diebus aliquod mihi tuæ benignitatis atque clementiæ indicium in ſtudiorum inſtauratione extare voluiſſes, méque item optimè ſperare iuſſiſſes, nihil antiquius habui, quàm vt noua hac, quantulacunque eſſet, lucubratione, aliquam tibi grati animi ſignificationem darem: ac venerationem erga te meam teſtatiorem redderem. Nunc itaque Auguſtiſſimi nominis tui authoritate atque ſplendore munita & cohoneſtata prodit in lucem mea DE ECCLESIASTICIS BARONII CARD. ANNALIBVS diſputatio. In qua equidem P. B. nihil gratiæ concedam vſquam, ſed veritati tribuam omnia: nihil fictè dicam & ſimulatè, ſed ex animo cuncta ingenuéque perſcribam, denique quantum in me erit, Baronianæ hiſtoriæ nihil ſiue affingam, ſiue detraham: ſed quicquid protulero, id (Deo bene iuuante, vt ſpero) rerum ipſarum momentis, ac rationum pondere demonſtrabo & confirmabo. Cum enim iuuenis adhuc, illud mihi propoſuerim diligentérque curauerim in lucubrationibus meis, vt vnam veritatem ſequerer, eámque ſyncerè & candidè patefacerem, cur obſecro matura iam ætate, ac ſenectuti quæ a ſepulchro non longé abeſt, proximus, veritati quicquam anteponendum putabo? Quid? in Philoſophicis ſcriptionibus elaboraui ſemper, vt Ariſtotelis Platoniſq. decreta quæ explicabam mutuóque conferebam, ex Chriſtianæ veritatis præſcripto caſtigarem, & noſtratibus Philoſophis viam atque rationem oſtẽderem vnde Ariſtotelicæ Platonicaéque Philoſophiæ ſiue ſcopulis declinatis, ſiue ſalebris ſuperatis, ſine vlla Religionis morúmque iactura & offenſione, immò verò cum pietatis quæſtu & acceſsione, iſtorum libros euoluerent. & quiſquam erit, qui me exiſtimet in Baronii Annalibus, ideſt in Sacroſanctis Eccleſiæ antiquitatibus & monumentis, inſtituti mei oblitum, cuipiam eblandiri ac fucos facere voluiſſe? Quid plura? An fortaſſe hæc ad eum ſcribo qui doctrinarum cognitione vulgariter imbutus ſit, ac ſacras in primis antiquitates leuiter deguſtarit? Immò verò ad eum ſcribo qui Italia tota, maximè verò Patauii, hoc eſt in celeberrimo optimarum artium domicilio & quaſi arce, excellenti doctrina laude floret ac celebratur: ad quem doctiſsimi viri perpetuò confluunt, cuius domum tanquam humanitatis, eruditionis, ſapientiæ, theatrum frequentant: qui denique quadraginta iam fermè annos, libros vndique ac totius antiquitatis monumenta incredibili & ſtudio & ſumptu conquiſita, diu noctúque peruolutare ſolet. Vt quemadmodum Pericles cum ad dicendum veniret, Dum enixè precabatur ne vllum ſibi verbum excideret imprudenter; ſic ego in præſentia omnino mihi cauendum putauerim ne temerè quicquam inconſideratéque proferrem; tantum abeſt vt veritatis ſtudio prætermiſſo, auribus mihi ſeruiendum, aut gratiæ quicquam tribuendum, eſſe cenſuerim.

Sed iam ad ECCLESIASTICOS BARONII ANNALES ſeſe cõuertat oratio. In qua ſanè, quoniam ampliſſimam illorum molem ſub vno aſpectu

poſi-

poſitam intueri licebit, ac partium fructuarum, varietatem, vſum, decus tandem ac
ſpeciem, veluti in tabula expreſſam aſpicere, in primis verò pulcherrima Eccleſiæ
effigies diuinorum Oraculorum luce, Apoſtolicarum traditionum ſplendore, & (vt
cætera taceam quæ tibi iam iam ex ordine occurrent omnia) martyrum ſanguine il-
luſtrata ac decorata in conſpectum ſe dabit, te, te inquam, appello Pater Beatiſſime: te
pro tua pietate obteſtor, vt honeſtiſſimo huic ſpectaculo intereſſe méque diſputatio-
ni ſexquihoræ tempus tranſmittere, ne graueris. Vale Sanctiſſime Pater; atque vt la-
boranti Eccleſiæ diu multúmque ſuccurras, etiam atque etiam vale.

Datum Romæ X. Kal. Nouembris. M. D. XCVI.

Ad Cynthium Aldobrandinum S.R.E. Cardinalem Ampliſſimum.

DIci vix poteſt (CARD. AMPLISSIME) quàm ingentem tui ex-
pectationem excitaueris apud omnes, cum ante quinquēnium ex Po-
lonia ac Germania Romam rediens, optatiſsimum Pontifici Max. nun
cium attuliſti de pace inter Regios Principes conſtituta. Verùm longè
aucta eſt apud me tui opinio & expectatio, cum in Germaniam reditu-
rus vt Hippolyto Aldobrandino Cardinali, a quo ad Pontificem lega-
tus fueras, obuiam procederes; Patauii, hoc eſt in celeberrimo doctrinatum omniū
domicilio, atque adeo ſapientiæ arce, menſes aliquod ſubſtitiſti. Etenim quam obſe-
cro aliam de te opinionem ac ſpem concipere potuiſſem, cum viderem neminem eſ-
ſe ex florentiſsimæ Vrbis, ac propè dixerim Orbis, nobilitate (hanc enim ex Italię, Gal-
liæ, Germaniæ, ac totius ferè Europæ flore collectam eſſe non te fugit) qui incredibi-
lem comitatem humanitatémque tuam non celebraret: qui prudentiam rerúmque
gerendarum notitiam non admiraretur: qui optimarum artium doctrinarúmq. va-
rietatem, maximè verò pietatem, reíque diuinæ ſtudium non prædicaret: qui deniq;
multas magnásq. virtutes tuas, ſuauiſsimósq. mores non extolleret? Huc accedebat
quod cum conſtans fama eſſet te adoleſcentem ab Iohannis Aldobrandini Cardina-
lis latere numquam diſceſsiſſe: atque in clariſsimum hoc ſapientiæ lumen, integri-
tatíſque exemplum intuentem, illius tum facta tum dicta omnia diligēter obſeruaſ-
ſe: paulò verò poſt Iohanne immatura morte nobis adempto, in Hippolyti ſinū con-
fugiſſe, in quo diuinæ humanaéque virtutes mirificè elucere cœperant omnes, haud
ſanè poteras niſi magnificam ac propè ſingularem de te expectationem apud homi-
nes concitare. Verum cum ſuperioribus montibus Romam ipſe rediiſſem, vnde ſe-
xennio ante diſceſſeram, téque animaduerterem HIPPOLYTO AD PETRI SE-
DEM EVECTO, tantam animi moderationem retinere: tam admirabilem in au-
diendis omnibus facilitatem, in iuuādis charitatem, & (vt ſemel dicam) in grauiſſima
quæ tibi a Pont. Max. impoſita eſt negociorum mole ſuſtinenda, non modò conſtan-
tiam, fidem, æquitatem; ſed prudentiam, conſilium, ſapientiam adhibere, vt in hoc
Orbis terrarum Theatro omnibus charus ſis, in omnium oculis animiſq. verſeris, ti-
bíq. bona omnia omnium hominum ordines optent, incredibili ſanè gaudio atque
voluptate perfuſus ſum. Sed nouum mihi quiddam interim accidit, CARDINA-
LIS SAPIENTISS. & inopinatum, quod me in dubitationem adduxit, nobilē eam
quidem atque pulcherrimam, ſed quę diſtraheret in deliberando animū ancipitémq.
curam afferret. Sed qualis tandem hæc fuit dubitatio? Ea ſanè quam præ honeſto pu
dore quodam exponere vix audeo: Sed exponam tamen. Ego enim vt verè atque in-
genuè fatear, eo planè conſilio atque cogitatione Romam veneram hoc tempore, vt
quos diurnis nocturníſque multorum annorum vigilijs atque lucubrationibus DE
VNIVERSITATE, in primis vero DE HOMINE libros conſcripſeram, ei dicarē
vni, cui VNIVERSITATIS HOMINISQVE: in primis cura ab ipſo VNIVERSI-
TATIS AVTHORE ATQVE PARENTE commiſſa eſſet. Id quod eò liberius
faciebam quod in ijs libris PLATONICAE ARISTOTELICAEQVE PHILO-
SOPHIAE ſcopulos omnes ac ſalebras longo ſtudio exploratas & conquiſitas com-
monſtrarem, a quibus Chriſtiano Philoſopho cauendum eſſet ne fidei morúmque

iacturam

Digitized by Google

iacturam faceret. contra verò decreta omnia explicarem, de quibus cum Chriſtiana, hoc eſt certiſſima, quaéque nullam in partem nutare poteſt, veritate, ſummi illi Philoſophorum proceres conſenſere. Quam ſanè rem tum ijs omnibus frugiferam fore ſperabam qui humanæ diuinaéque ſapientiæ ſtudia colerent: tū vero CLEMENTI iucundiſſimum qui de ſacroſanctis fidei decretis propugnandis, déque Chriſtiana pietate ac ſanctitate retinenda & amplificanda diu noctúq. cogitaret. Sed ecce tibi, CYNTHI ILLVSTRISSIME, vix in te egregiáſque virtutes tuas oculos mentémque defigo, cum illorum inſtar qui in ſplendidiſſimum theatrum aliquod magnificentiſſimè ornatum, ac mira rerum varietate, & pulchritudine diſtinctum, ex inopinato inciderit, ornatiſsmo earum ſplendore, admirabiliq. pulchritudine capior. Ita factum eſt, vt cum te in dies magis ac magis mecum ipſe obſeruarem atque ſuſpicerem, ſumma quadam cupiditate flagrare cœperim meam erga te obſeruantiam teſtificādi. Id quod eam mihi mentem iniecit, vt interdum etiam de prima vigiliarum mearum tibi parte nuncupanda cogitarem. Quid plura? . . . . . cuius tu non modò integerrimos ac ſuauiſſimos mores, ſed & Chriſtianam eloquentiam pari cum pietate ſapientiáq. coniunctam, tanti facis, ac meritò quidem facis; conuenio. huic quo conſilio ad Vrbem redierim, quod deinde in animum inciderit, quò inclinare cogitatio cœperit, hæſitantiam denique omnem atque dubitationem aperio. Tum ille qua ſolet humanitate, Quid tū (inquit) hac in re hæres ac dubitas, ac non potiùs & CLEMENTI PONT. MAX. & CYNTHIO CLEMENTIS nepoti ornatiſſimo vigilias iſtas offers ac dicas? nónne animaduertis clariſſimas ac propè diuinas CLEMENTIS virtutes in CYNTHIO elucere: in eo authoritatem, gloriam, dignitatémque in dies magis ac magis propagari: illum Chriſtianæ Reip. iuuandæ atque amplificandæ cupiditate exardeſcere: & (vt dicam paucis) ſanctiſſimum illum ſenem veluti PHOENICEM IN CYNTHIO renouari? Quid? an non me ipſo non ſolùm teſte, ſed ſponſore atque obſide propè dixerim, te illi totum tradidiſti: cum afflicta quadam in cauſa ad eius opem confugiens ac patrocinium, ſingularem eius benignitatem atque clementiam expertus es? Ergo lucubrationes iſtæ tuæ & CLEMENTIS PONT. MAX. & CYNTHII CARDINALIS AMPLISSIME ſunto: id enim non hortor ſolùm atque ſuadeo, ſed ſi tantum authoritate apud te valeo, quantum prædicas & profitetis, præcipio & iubeo. Sic ille. Cui ſtatim ipſe omni hæſitatione depoſita, libentiſſimo aſſenſi animo: méque eius mandata curaturum recepi: ídque eò libentiùs, quòd hac ipſa de re me iam antea commonuiſſet LAZARVS SORANZVS: vir ſanè (quod non te ſugit CARDINALIS SAPIENTISSIME) cum propter inſignem familiæ nobilitatem, maiorúmque ſplendorem; tum maximè ob egregia ingenij, doctrinæ, integritatis, vnde etiam AVVNCVLO TVO MAX. ATQVE SANCTISSIMO charus eſt; pietatíſq. ornamenta clariſſimus. Is enim, vt te mirificè & diligit & colit; immo verò tanquam de Cœlo ad nos delapſum admiratur, ac ſimul Chriſtianæ Reipub. de te fœliciſſima ſperat ac pollicetur, vix aliquā meorum librorum partem perlegerat, cum CYNTHIVM, inquit, CARDINALEM ORNATISSIMVM ATQVE OPTIMARVM ARTIVM PATRONVM ACERRIMVM ET SPLENDIDISSIMVM habes tu Beni, cui tui libri ſecundum Pont. Max. meritò ac iurè debentur. Ipſe namque eſt, qui quos Chriſtianis Philoſophis ac bonarum diſciplinarum ſtudijs omnibus iuuandis labores ingentes exantlaſti, optimè omnium non æſtimabit modò, ac pro ea qua doctrinarum ſtudioſos amplectitur charitate fouebit, verùm etiam perinde ac Sol colores, ſui nominis ſplendore ac lumine illuſtrabit. Ergo vt horum ego voluntati obtemperem, meiſque ſimul optatis ſatisfaciam;

EN TIBI QVOQVE CYNTHI ILLVSTRISSIME ATQVE
REVERENDISSIME NOVVM EXIMIVMQVE
SACROSANCTI CARDINALIVM SENATVS
LVMEN AC DECVS, PRIMAM HANC
VIGILIARVM MEARVM PARTEM,
QVOD BONVM, FOELIX,
FAVSTVMQVE SIT, DONO
AC DICO.

Ad

Ad Maphaeum Barbarinum, qui poſtea S. R. E. *Cardinalis creatus eſt.*

MAGNAM ſanè (quod non te fugit ORNATISSIME PRAESVL) vim habet ad conciliandos animos ingenua oris ſpecies, ac decora corporis conformatio: præſertim verò ſi ad corporis pulchritudinem ac dignitatem, generis nobilitas ac ſplendor acceſſerit. Sed & maiorem adhuc vim habet humanitas: quæque humanitatis comes eſſe ſolet ac ſocia, comitas atque ſuauitas morum. Veruntamen longè maxima eſt vis ac pondus Virtutis. nihil enim virtute dulcius atque ſuauius, nihil formoſius & pulchrius, nihil amabilius aut iucundius reperitur. denique ea eſt Virtus, quæ, tametſi cætera illa amoris incitamenta deſiderentur omnia, vna valeat ingentes atque admirabiles ſui amores gignere & excitare. Hæc ego, BARBARINE optime, ſuperioribus diebus non vulgariter profectò expertus ſum. Nam cum te primùm ad Borromæum Cardinalem ventitantem cernerem, ſic mihi probata eſt tuæ dignitas formæ atque ingenuitas, vt non poſſem non te diligere. Verùm cum paulò poſt tuam mihi deguſtare licuiſſet ſuauitatem morum, & humanitatem, equidem te non diligere ſolum cœpi, ſed amare atque in oculis ferre. Denique cum in dies magis tui decus animi, clariſſimáſque virtutes agnoſcere, aç veluti oculis intueri mihi conceſſum eſſet: atque ex colloquijs probitatem, doctrinam prudentiámque perſpicere, & ſanè incœpi non amare modò, ſed admirari, colere, obſeruare. Verùm (vt verè fatear) illud me angebat interim, quòd nihil literarum ſtudijs atque vigilijs elucubratum expolitúmq. haberem in præſentia, vnde meam tibi voluntatem teſtificari poſſem ac patefacere. Nam cum alia IVSTINIANO CARDINALI Religioſiſſimo ac munificentiſſimo, è cuius nutu pendeo, iam iam dicaſſem; alia CLEMENTI IIX. PONT. MAX. ac CYNTHIO ALDOBRANDINO CARDINALI Ampliſſimo deſtinaſſem; quædam etiam apud me informia iacerent adhuc & impolita, nullus mihi honeſtiſſimæ cupiditatis huius explendæ ſupererat locus. Sed ecce tibi ex inopinato ſeſe mihi obtulit occaſio qua aliqua ex parte ſatisfacerem optatis meis. Nam cum Reuerendiſsimus ſacri Palatij Magiſter Bartholomæus de Miranda ex me quæſiſſet vt in ſolenni Cinerum die ad ſummum Pontificem ac ſacrum Cardinalium Senatum orationem haberem, aſſenſi non inuitus, ídque tum vt Religioſiſſimo viro atque omnium virtutum laude ornatiſsimo obtemperarem, tum verò vt hinc, ſi quo modo poſſem, occaſionem arriperem qua meum tibi amorem obſeruantiámque teſtarer. Quid plura? De humanæ vitæ fragilitate, déque vtilitate ex huius meditatione fragilitatis capienda, orationem exaraui: atque ad eos pro munere commonendos exaraui, qui in Chriſti Eccleſia authoritate ac dignitate cæteris antecellerent. Quam ſanè hoc ipſo Cinerum die & dictam, & publicis literis conſignatam

TIBI BARBARINE PRAESVL OPTIME ET ORNATISSIME
AMORIS ATQVE OBSERVANTIAE GRATIA
DO, DONO, AC DICO. VALE.

Ad Antonium Mariam Saluiatum S. R. E. *Cardinalem Ampliſſimum.*

OBSERVABAM te ſanè antea SALTIATE CARDINALIS AMPLISSIME, ac non ſine intimo quodam amoris ſenſu mecum ipſe venerabar. Cum enim animaduerterem nihil tibi antiquius eſſe, quàm vt Chriſtianæ pietatis & charitatis officia coleres, ac diuinum cultum Religionémque propagares, equidem te non poteram non in oculis ferre, & qua par erat obſeruantia, colere ac venerari. Hinc nunquam operoſum illud ac nobile, cui a Beato Iacobo nomen eſt, templum ingrediebar (ingrediebar autem ſæpè, & quò magis videbam perduci ad faſtigium, eò lætabar magis ac delectabar) quin tibi proſpera omnia ac feliciſsima deprecarer: nunquam caſtiſsimum illum Orphanotum Chorum ſpectabã,

Digitized by Google

aut quas Deo piiſsimis fundunt preces, audiebam,quin te immortalitate dignisſimū iudicarem: nunquam ſiue Collegium, ſiue Eccleſiam, ſiue cenſus ac ſuburbanum quæ illis piè inſtituendis alendiſque attribuiſti,animo recolebam, quin Chriſtianam pietatem tuam & charitatem ſummoperè commendarem: nunquam denique ampliſsimum illud magnificúmque Xenodochium intuebar, quod ægrotantibus Dei famulis conſtruis,ac tam ingenti ſumptu conſtruis, quin te beatum quodãmodo prædicarem, mihíque videret animo intueri æternum tibi in cœlo tabernaculum exædificari. Quamquam neque his finibus meæ in te obſeruantiæ amotíſque incitamenta atque rationes continebantur, ſed longius adhuc latiúſque manabãt. Etenim cum intelligerem Pontifices Maximos eximia in te prudentia integritatéque perſpecta,magnam curam conciliorúmque ſuorum partem tecum communicare conſueuiſſe,ſæpe etiam multa tuæ fidei authoritatíque integra reliquiſſe & commendaſſe; te verò contra celſo fortíque animo diurnos nocturnóſque labores omnes pertuliſſe ſemper,ac ſtrenuam Apoſtolicæ ſedi, Chriſtianæque Reipublicæ operam nauaſſe, ac nauare in dies magis,ſuſpiciebam te quidem, ac tanquam de Cœlo calamitoſis hiſce temporibus ad nos delapſum,amantiſsimè intuebar. Quid plura? domeſtica vitæ tuæ inſtituta, eorum qui tibi famulantur, virtus ac moderatio,tua in illos liberalitas ac beneficentia,rei familiaris vniuerſæ frugalitas,parietes denique ipſis ac tecta amorem tibi conciliabant, méque tacita quadam eloquentia ad te diligendum, vel potius amandum colendúmque alliciebant & inuitabant. Quis enim cerneret te in tanta opum honorúmque affluentia, & magnitudine nihil vnquam ad vulgare decus,humanúmque ſplendorem, ſed omnia ad Chriſtianam modeſtiam dignitatémque teferre,quin te cupidiſsimè obſeruaret & coleret? Hæc inquam, CARDINALIS ORNATISSIME, amoris in te mei, & obſeruantiæ erant incitamenta. Verùm cum proximis diebus te authore ac ſuaſore a PONT. MAX. delectus eſſem qui philoſophiam in Almo VRBIS GYMNASIO publicè profiterer ac traderem, ſenſi equidem tantam beneuolentiam erga te meæ atque obſeruantiæ occaſionem fieri,quantam nullis vnquam non modò officiis, ſed ne verbis quidem, declarare poſſim. Quamquam non ideo committam, CARDINALIS OPTIME, vt non grato ſemper animo fatear ac prædicem me tibi in perpetuum deuinctum eſſe: ac, ſi nõ quæ debeo, certè quæ poſsim, officia tibi perſoluam. Quin etiam cum in eam cogitationem deueniſſem,vt ſi quomodo poſſem,cum tuorum in me meritorum, tum mei in te amoris & voluntatis,non præſentibus modo ſed & poſteris,aliquod monumentum relinquerem, ecce tibi lucubrationes quædam ſeſe mihi obtulere quas iam iam è typis exceperam. Siquidem cum ſuperioribus,menſibus tres priores lucubrationum libros quos in Platonis Ariſtoteliſque Philoſophiam edideram,quippe mearum vigiliarum primitias. CLEMENTI VIII. Pont. Max. hoc eſt Religionis morúmque propugnatori reſtitutoríque acerrimo; tum vero CYNTHIO ALDOBRANDINO S. R. E. CARDINALI, tanquam CLEMENTIS NEPOTI optimo,bonorúmque artium fautori ſplendidiſſimo,dicaſſem,quinque ſuccedebant libri qui nouum ſibi patronum Mecenatémque depoſcerent: atque vt ab inuidis eſſent tutiores,illum & generis nobilitate, & doctrinarum præſidiis, & dignitatis authoritatiſque ſplendore, denique multarum magnarúmque virtutum ornamentis inſtructum cumulatúmque expeterent. Quæ cum longè eximia atque illuſtria in te eſſe animaduertam,

EN TIBI SALVIATE CARDINALIS AMPLISSIME, TANQVAM CHRISTIANAE PIETATIS STVDIOSISSIMO, DIVINIQVE CVLTVS AMPLIFICATORI OPTIMO, AC MECENATI MEO ORNATISSIMO, HOS QVINQVE VIGILIARVM MEARVM LIBROS DO, DONO AC DICO

VALE.

DATVM ROMAE PRID. KAL. FEBRVARII. CIↃ. IↃXCV.

Ad

Digitized by Google

Ad Tyberium Cæraſium Publici Romanæ Sapientiæ Gymnaſij Moderatorem.

—— Neque tu peſſima munerum
Ferres, diuite me ſcilicet artium
Quas aut Parrhaſius protulit aut ſcopas.

IVBET enim iiſdem te affari verbis CAERASI OPTIME, quibus politiſſimus ille Poeta Ceſorinum affatur ſuum. Sed quorſum? Nimirum vt intelligas me idcirco cereis tabulis tuorum erga me meritorum teſtificationem dare, quod æneis æreiſue non poſſim: ideo literarum monumentis obſeruantiæ erga te meæ memoriam conſignare, quod elaborato pictarum tabularum, cælatíue marmoris opere, Romano videlicet more, minimè valeam. Quanquam cum hæc literarum monumenta CAERASIO dicentur hoc eſt ALMAE VRBIS GYMNASII MODERATORI SAPIENTISSIMO, quíque MVSIS, AC BONIS ARTIBVS natus, id dies noctesque agit, vt humanarum diuinarúmque doctrinarum ſtudia in Vrbe floreāt, cur obſecro literarum memoriæ aut pictas tabulas aut ſtatuas anteponam? quin etiam cum ſtatuæ & imagines non animorum virtutíſque ſimulacra ſint, ſed corporum; contra vero literarum monumenta animi indices ſint & imago, ac præſtantiſſimorum virorum ſapientiam virtutémque complecti valeant, atque ante oculos ponere, cur non potius cereis tabulis æreæ, literis ſtatuæ ac ſigna, concedent? At enim elaboratæ virorum imagines, & ſimulacra SVNT QVIRITVM PRAEMIA FORTIVM, AC ROMANA PECTORA MIRIFICE INCENDVNT AD GLORIAM. Ergo ſint iſta fortiſſimorum militum inſignia, ac ſtrenuorum Ducum, militiaéque monumenta noſtra hæc erunt ſapiētiſſimorum virorum decora, ac prudentiæ, pacis, togaéque ornamenta, illa res bello foriſque ſtrenuè geſtas poſteritati commendent: hæc res domi ſapienter adminiſtratas, eidem poſteritati longè latéque conſignabunt. Quanquam illa quidem bellicas Romanorum laudes ita demum teſtatas relinquunt, vt interim non minima pars laudis cum militibus communicāda ſit Ducibus illis: multa etiam conſiliariorum prudētiæ, aliqua fœderatis ac ſociorum ſubſidijs, non vacua locorum opportunitati, plurima pecuniæ claſſi, commeatibus, tēpori ſint tribuenda. At verò Cęraſius noſter ſuæ gloriæ ſocium, glorioſíque laboris conſortem, habebit nullum. nihil enim ex illius ingenii ac Iuriſprudentiæ laude Centurio, nihil præfectus, nihil cohors, nihil turma decerpet: nihil in amicorum conſilia, fœderatorúmue ſubſidia, nihil in pecuniam bellíque apparatus, redundabit. Sed perpetuis illius vigiliis, ſtudiis, laboribus, fidei, prudentiæ denique ac ſapientiæ omnia ſecundum Deum aſcribentur, ac quodcunque eſt illius nomen ac decus, quod certè maximum eſt, totum ſibimet Cæraſius ipſe iure optimo vindicabit. Vt omittam ſtatuas, trophæáque ipſa, ac cætera victoriæ inſignia & monumenta, niſi accedant literarum præconia, hiſtoriíſue mandentur, Imperatorum gloriam nō magnopere propagare: ſæpè etiam anguſtiſſimæ Vrbis finibus concludere, ita vt de illis nationes cæteræ penitus conticeſcant. Cum tamen literarum memoria atque commemoratio nullum propè locum, etſi longiſſimè diſſitum, non peruadat: nullam nationem quantumuis agreſtem aut barbaram, non excitet: nullam poſterorū ętatem ſua luce atque ſplendore non illuſtret & compleat. Verùm ſint iſthæc, dicat quiſpiam: atque interiorem Cæraſii tui effigiem, hoc eſt ingenium, humanitatem, virtutem, literis (quod tu certe optares) expreſſam ac perpolitam, in Orbis terræ memoriam ſpargant ſempiternam. At cùm tu hactenus varios Romanæ Eccleſiæ Proceres, eíſque auro etiam gemmíſque, nedum oſtro purpuráque conſpicuos, tuarum patronos lucubrationū delegeris, cur in præſens ab iſtis diuertis: atque atrę hyacinthinaéue togæ potius, quam ſacræ fulgentíſque purpuræ præſidia, nouis hiſce commentationibus vigiliíſque depoſcis? Ego vero abditos penetraléſq; Platonicæ Philoſophiæ ſocos iam iam ingreſſurus, eum mihi patronum delegi, qui in Vrbe, hoc eſt in celeberrimo totius terrarū orbis theatro, admirabili tum prudentiæ, tum doctrinæ ac ſapientiæ, laude iamdiu floret: eius tutelam depoſco, ad quem innumeri vndique, tāquam ad ſplendidiſſimū

Iuriſpru-

Iuriſprudentiæ lumen, ac propè ætatis noſtræ oraculum, confugere ſolent: ejus mihi patrocinium imploro ac poſtulo, cuius fidei & virtuti CLEMENS VIII. Pontifex Maximus, vt ingenua ſtudia liberaléſque diſciplinas hæreditario quaſi iure complexus, mirificè ſemper dilexit; nobiliſſimum hoc doctrinarum omnium domicilium, Romanaéq. dignitatis non exiguum præſidium & ornamentum, ſumma eum authoritate commendauit: denique ei vigilias haſce meas dico, qui ſi vnquam longè ampliore dignitate cohoneſtabitur, eam ſanè longe antea meritus erit quàm acceperit: ſi nunquam, erit certè cur id magnopere mirentur homines: ac non tam virum clariſſimum ampliſſimæ dignitati, quàm dignitatem ampliſſimam clariſſimo viro, defuiſſe fateantur. Quæ cum ita ſint, ad te redeo CAERASI ORNATISSIME: cui, vt primam hanc librorum Decadem coronámq. concludam; atque ampliſſima Platonicæ Philoſophicæ initia (id enim maximè iam iam molimur) ac fundamenta ponam, duos proximos libros tuæ in me voluntatis optimæ ac beneficentiæ, mei erga te amoris & obſeruantiæ, monumentum ac pignus, do, dono, ac dico.

Vale CAERASI HVMANISSIME, Iuriſprudentiæ lumen, ac Romani Gymnaſij Vrbisque totius decus & ornamentum: méque, vt cæpiſti, diligito ac faueto.
Datum Romæ Kal. Febr. CIↃ IↃ XCV.

PETRO ALDOBRANDINO S. R. E. CARDINALI AMPLISSIMO, & Clementis VIII. Pont. Max. Nepoti optimo.

Paulus Benius Eugubinus S.

ETSI multa ſunt, CARDINALIS AMPLISSIME, quibus excitantur homines & incenduntur ad virtutem; illud tamen, mea quidem ſententia, præcipuum eſt, quo te in dies magis ac magis excitari & inflammari boni omnes lætantur, ac prædicant. Etenim permagni intereſt innata quædam vis ingenij & probitatis; fateor: vehementer quoque refert ingenua educatio & liberalis; aſſentior: mirificè iuuat optimorum virorum conſuetudo & familiaritas; non inficior: confert etiam magnopere bonarum artium ſtudium atque tractatio; ſat ſcio. At verò maiorũ ſplendor & dignitas, ac rebus per eos præclarè ſapientérq. geſtis collecta gloria, id verò nobiles generoſósq. adoleſcentes ad virtutem incredibiliter inflammare ſolet, atque ad illos imitandos allicere. Quapropter eſt quidem cur ſingularem animi tui moderationem ac temperantiam, præſertim in tanta opum honorúmque affluentia & magnitudine; naturali probitati tuæ, educationique optimæ aliqua ex parte aſcribamus: eſt cur pietatem atque integritatem quam in te cernimus & æquitatem, optimorũ conſuetudini virorum non nihil demus ac tribuamus: eſt denique cur multas magnáſque virtutes tuas præcipuè verò ſuauitatem morum & humanitatem vnde tantopere carus es omnibus, ab optimarum artium ſtudiis liberalibúsque exercitationibus aliquo pacto profectam eſſe fateamur: veruntamen Aui; Patris Maiorúmque tuorum gloriæ, maximè verò Patruorum virtuti & ſapientiæ quam ſemper habes ante oculos, ac tuæ tibi vitæ exemplum normámque eſſe voluiſti, in primis accepta ſunt referenda. Et ſanè humanioribus literis liberalibúsque diſciplinis operam dediſti puer, ac magna cum Doctorum tuorum approbatione dediſti: & hoc fecerat Patruus tuus Clariſſimus Thomas: qui quantopere Græcarum Latinarúmque literarum cognitione liberaliúmque artium laude floruerit, nobiles ac nunquam ſatis laudatæ illius vigiliæ indicant & monumenta. Iuriſprudentiæ deinde nauaſti operam adoleſcens, ac quantum per ætatem licuit & valetudinem, laborioſiſſima hæc ſtudia complexus eſt; at in ijs excelluit & ad miraculũ propè excelluit Sylueſter Auus tuus; de quo ſanè, quoniam quos in ius Cæſareum libros conſcripſit, ſiue doctrinam ſpectes & ſapientiam, ſiue acumen ingenij ac ſubtilitatem, ſiue denique elegantiam di-

cen-

Digitized by Google

cendíque venuſtatem, Iuriſconſultis mirificè vbique probantur; nihil dicam. Nam eiuſdem reſponſa quantā cum omnium gratulatione, in lucem prodierint tādem, ipſe profectò optimè noſti. qui quoniam magnopere expetebantur, diu illa multúmq. conquiſita, ac iā propè omnia è tenebris eruta, publicis literis conſignari, ac NEPOS OPTIMVS AVI SAPIENTISSIMI memoriā non minus in curia (vt par erat) ac Foro quàm in Scholaſtico puluere vſurpari ac celebrari voluiſti. Sed & pietatē quoque interim coluiſti ac ſanctimoniam ídque tanto ardore ac ſtudio, vt vel a primis annis in te eluceret decus quoddam pietatis, ac plena honeſtatis imago. At hæc quantum enituerint in Iohanne Patruo tuo (reliquas enim eius virtutes, etſi eximias, admirabilémque ſapientiam, præterire cogor hoc tempore) ſummus ille atque immortalitate digniſſimus Chriſtianæ Paſtor Eccleſiæ Pius V. declarauit, ac toto Chriſtiano terrarum Orbi teſtatum eſſe voluit. Miram diligentiam & ardorem, ſummam item laborum tolerantiam, & (ſi fateri licet) ſupra vires, adhibes ijs expediendis ac procurandis quorum tibi cura pro Apoſtolicæ Sedis atq; adeò Chriſtianæ Reipublicæ vniuerſæ vtilitate ac dignitate a Patruo tuo ſapientiſsimo commiſſa & impertita ſunt: at in hoc etiam PETRVM parentem optimum imitaris ac ſequaris, quis enim Apoſtolicæ Sedis, ac proinde etiam Chriſtianæ Reip. authoritatem ardentiùs atque intelligentiùs defendit vnquam? certè illud veriſsimè affirmare poſſum, me a prudentibus uiris ac doctis accepiſſe, inter Conſiſtorij Aduocatos atque patronos neminem ætate hæc noſtra aut etiam ſuperiore inuentum eſſe, qui publica Apoſtolicæ Sedis iura, dignitatem, commoda maiore cum diligentia ac ſtudio propugnaret, defenderet, tueretur. Comitatem quoque morum (etſi grauitatem non ſpernis) ac facilitatem præteferre ſoles ſuauitatis pleniſsimam: at Bernardus Patruus humaniſsimus lepore vſque adeò affluebat, & venuſtate, vt dum in diſcordijs ſedandis ægrotis pauperibúsq. inuiſendis ac ſubleuandis, cæteriſque Chriſtianæ pietatis & charitatis officijs obeundis, eſſet ferè totus (qua ſanè re quid Illuſtri viro ac ſtrenuo dignius præſtari poſsit, vix intelligo) eiuſmodi laborum moleſtias mira quadam hilaritate atque iucunditate condiret. Ad extremùm in frangendis ſenſuum cupiditatibus caſtimoniam, in audiendis omnibus patientiam, in iuuandis alacritatem & charitatem, virtutes denique omnes adoleſcente Clariſsimo CARDINALIQVE AMPLISSIMO dignas adamaſti ſemper at hæc ipſa in Hippolyto Patruo tuo quem ſingulari Dei beneficio in Petri Sede collocatum gratulamur boni omnes, intueri tibi licuit atque ſuſpicere. Cum enim nemo eius conſuetudine vteretur qui integerrimis illius motibus admirabilíque charitate non excitaretur ad virtutem, quid tibi contigerit neceſſe eſt præclari ingenii, optimæ indolis adoleſcenti, qui ab eius latere nunquam diſcederes qui hoc ſapientiæ lumen, & probitatis exemplum dies noctésq. aſpiceres: qui denique eiuſdem facta dictáque omnia cupidiſsimè obſeruares & coleres? Quæ cum ita ſint haud ſanè miraberis tu PETRE ILLVSTRISSIME, cum me videas auſum eſſe vigilias haſce, meas tibi dicare: & ſub Clariſsimi nominis tui patrocinio publicis literis conſignare. Quamquam id quidem priuatis quoque rationibus, iiſque non vulgaribus impulſus facio: quas, etſi non ſine intimo quodam animi ſenſu, ne dicam dolore, commemorare potero; commemorabo tamen. Etenim quo tempore Iohānes Patruus tuus in Cardinalium ordinem tanta cum Vrbis atque adeò Chriſtiani Orbis approbatione cooptatus eſt, ſtatim etiam Horatium Montegranellum Cōſobrinum meum, ac leuiri quoq; mei fratrem, inter domeſticos famulos recepit: eundémque, quoniam Iuriſconſultus eſſet; in cauſarum cognitione ac Iuriſprudentiæ ſtudijs adhibuit, ac mira in dies beneuolentia & charitate complexus eſt. Sed o fallaces hominum ſpes, o fragilia mortalium optata ac præpoſteras gratulationes. Moritur, moritur interim Iohannes: & quem propter admirabilem vitæ integritatem ac ſanctimoniam pari cum doctrinæ ac prudentiæ gloria coniunctam, breui ad ſummam dignitatem peruenturum ſperabāt Boni omnes, ac ſummo cum Reip. Chriſtianæ bono ſperabant, repentè extinctum vident ac lugent. Hic tamen interea toto pectore Horatium commendauerat Hippolyto fratri optimo ac ſuauiſſimo. Qui ſanè quæ eius fuit benignitas animíque magnitudo; cum illum honorificè excepit, tum breui eidem a Gregorio XIII. Foroſempronienſem Epiſcopatum, nobilem illum quidem & opulentum; impetrauit. Ita factum eſt vt inter cætera benignitatis officia

quibus Pater Patruíque tui Horatium Sobrinum meum proſequuti ſunt, Hippolytus qui Chriſti vices nunc gerit in terris; haud dedignatus ſit eiuſdem quoque Horatij nepotem quem ex ſorore mea ſuſcepit frater, è ſacro fonte (id quod per intimum familiarem fecit) ſuſcipere: ac nepotis mei qui & ipſe hac de cauſa Hippolytus dictus eſt, Patruus, ſororis verò meæ cómpater (cuius facti memoriam apud nos posteróſque noſtros nulla vnquam delebit obliuio) effici & appellari: noua porrò & maiora in eos beneficia collaturus, niſi paucis poſt mēſibus Foroſempronienſis Epiſcopus, ac non multò poſt Hippolytus puer, deceſſiſſet è vita. Quod cum ita ſit cui nam obſecro præſentes lucubrationes & commentarios dicarem niſi tibi CARDINALIS AMPLISSIME, qui HIPPOLYTO PONT. MAX. cum propter arctiſſimam ſanguinis coniunctionem, tum ob ſuauiſſimos mores egregiáſq. virtutes cariſſimus, noſtram hanc ſiue grati animi teſtificationem, ſiue venerationem ac reuerentiam illi offerre, afflictas quoque res noſtras ac penè proſtratas eidem in memoriam reuocare, & pro tua pietate ac beneficentia ſubleuare optimè potes? Ergo, ne longum faciam ILLVSTRISSIME atque ORNATISSIME PRAESVL LVCVBRATIONES HASCE MEAS QVOD BONVM, FOELIX FAVSTVMQVE SIT; PVBLICIS LITERARVM MONVMENTIS CONSIGNATAS, ATQVE ORNATISSIMI AMPLISSIMIQVE NOMINIS TVI AVTHORITATE MVNITAS SPLENDORE ILLVSTRATAS; QVALES BENIGNITATE ATQVE ANIMI MAGNITVDINE EXCIPITO AC FOVETO.

Vale. Datum Romæ Kal. Ianuarij CIƆ. IƆC. V.

Vincentio Rhodulfo S.

TV verò & Romæ degis, & ocioſus ferè degis, nec tamen ad me quicquam interim literarum. O inofficioſum hominem ne ingratum dicam aut immemorem. At enim feraces imitor agros: qui ſi priore anno fœcundi fuerint ac fertiles, poſtero conquieſcunt. Quid quod tu hoc anno ne ſchedulam quidem ad me? Frigida excuſatio. Tu enim, cum Romæ ſis, habes ſemper quod ſcribas: cúmque ocioſus propemodum viuas, ſcribere, & potes & debes. Ego contra Patauij moror: vbi quotidie ſemel atque iterum domi (quod non te fugit) clamitare ſoleo: quia tertiò quoque, cum ſcilicet Patauinum hoc Lyceum atque adeo Terrarum Orbis Theatrum, frequentatur, declamare cogor. Quamquam tu ea lege ac pollicitatione a me diſceſſiſti, vt cum Romam profectus eſſes, frequentes ad me literas dares: quod officium ſuperiore anno obiuiſti etiam non indiligenter. Quid eſt igitur quod repentè ex Ephoro Theopompus factus es? Sed mitto iſthæc, Nunc de Clementis VIII. morte ad nos allatum eſt. Te igitur rogo vt quæ in interregno mo contigerint præclara) contingent autem de more plurima) ad me perſcribas, ita quidem præteriti temporis iacturam farcies & magno cum fœnore compenſabis. Ego interim tanti Pontificis obitum ac memoriam recolam non ſine lachrymis, Cum ab eo multis beneficijs affectus ſim dum in iſta luce hominum viueret: nec ſanè vnquam ab eius latere diſceſſiſſem aut vmbram tantillum declinaſſem, niſi me ocij literarii cupiditas impuliſſet. Ardebam enim (vt verè fatear) eiuſmodi ocii deſiderio. Itaque cum Sereniſs. hæc Reſpub. perhonorificis me cōditionibus inuitaſſet, vt hāc ſpartā ornarem, aut ſaltem colerē, non potui non toto pectore optatiſſimam occaſionē amplecti: præſertim quia quinquēnio toto fuerā in hac Vrbe ſtudiorū gratia; quibus magna cū animi voluptate fortaſſe etiā non ſine vtilitate operam dederam. Denique Clemens ſenex erat, ita ut id

ipſe

Digitized by Google

ipſe vererer quod modò accidit faxit tamen Deus, vt optimus ille ac ſanctiſſimus Paſtor ſufficiatur, quique Italiæ pacem in primis conſeruet. Clemens enim reuera de Italiæ pace perpetuò cogitauit ac pro illa deſudauit ſemper alacriter, exteros quoque Reges ac ſummos Principes ad concordiam reuocauit, quos etiam Dei Eccleſiæ magis ac magis obſtrinxit, quia eo Authore communi hoſti obuiam itum eſt non incommodè, dicerem etiam fœliciter, niſi Luteri improbitas ſectatorum obſtitiſſet. Quid ſi pro Eccleſiæ patrimonio arma capere non dubitauit, ac celſo animo ſeſe parauit ad bellum, talia cum armis ac tanta conſilia pacis coniunxit, vt verius pacis arma corripuiſſe, quàm de bello cogitaſſe videatur. Tu igitur ne graueris meis ſiue poſtulatis ſiue precibus pro tua humanitate ſatisfacere ac prolixè ſatisfacere. Vale Datum Patauij 1605.

AD LECTOREM.

In Ariſtotelea Poetica Commentarijs & Controuerſijs.

QVI in hoſce noſtros, quos in Ariſtotelis Poëticam ſcripſimus, Commentarios incidiſti, LECTOR Candide, pauca quædā, quiſquis es, accipito priùs, vnde tibi, & de vigilijs ac labore noſtro cōſtet planiùs, & ad legendum accedas inſtructior. Ergo Græco Ariſtoteleæ Poëticæ codici tum vulgatam Paccij, tum poſteriorem Riccoboni, interpretationem ſubieci; illam quòd & Robortelli & Madij inſerta ſit commentarijs: hāc quòd accuratior videri vtrūque poſſit ac tutior. Vt omittam cum Victorij interpretatione, a qua maxima fluxit ex parte, magnopere conſentire. Tametſi nos Græci codicis rationem in primis habebimus: & vt ne latum vnguem ab eo diſcedamus, diligenter curabimus. Particulæ verò quibus Poëticam diſtribuimus (vt ſcilicet ſtatim loca inuenire & conſulere poſſis). Madij quoque particulis planè reſpondent. Atque hinc licebit etiam eorum Interpretum & loca & ſententias faciliùs adire ac recognoſcere, qui per incuriam nec Ariſtotelis literam, nec ſuos illi commentarios, numerorum diſtribuunt notis. Quamquam ne in Ariſtotelis particulis aut interpretum atque adeò authorum quos atteſtabimur locis recitandis producendíſque nimii ſimus, ea plerunque è regione collocabimus. Quod ſi interim ex Græcis authoribus non pauca Græcè attulero, ea ſanè continenter Latinè reddam. Ita enim iis, qui Græcè neſciunt, optimè conſultum erit: cæteris incommodi accedet nihil. Denique cum hactenus ab hoc labore ſuperſederint huius monumenti interpretes, ac propterea dum multa paſſim Græcè afferunt, huiuſmodi linguæ ignaros, tyronéſque nouis inuoluunt tenebris, & a lectione deterreant; equidem mihi a tenebricoſo hoc ſcribendi genere abſtinendum, ac noſtratibus hoc quoque labore conſulendum decreui. Atque hac etiam de cauſa, quæ difficiliora videbuntur, ea non quidem diſſimulabo; aut curſim, & per tranſennam attingam, ſed diſtinctè omnia apertéque referam, ac dubitationum momentis commonſtratis & æſtimatis, pro virili dilucidabo & explanabo. Quin etiam, ne quid prætermittam, vnde tua ſtudia iuuare poſſim Candide Lector, omnino enitar, (enitar, inquam, & elaborabo: num enim id perfecero, aliorum erit iudicium) vt ex noſtris Commentariis non modo ſummi Authoris decreta perdiſcere, & ad omne Poëſis genus copioſè eruditi, verùm etiam orationis munditiam atque adeò eloquentiam, ſi quæ tamen in nobis eſt, haurire valeas. Denique tantum abeſt vt grauiſſimas, quæ in hoc Ariſtotelis monumēto occurrunt dubitationes, mihi (quod aliqui faciant) clauſis oculis, aut ſicco pede prætereundas exiſtimem, vt CENTVM POETICAS CONTROVERSIAS interpoſuerim quibus difficillima quæque loca & argumenta dſceptatem & explanarem. Hæc te paucis monere volui, vt noſtrum ſiue in Græcis, Latiniſque codicibus diſponendis partiendíſve, ſiue in Ariſtoteleis decretis explanandis conſilium & œconomiam perſpectam habeas totam.

Nam qui de Poëticæ quoque commodis, ſigillatímque de Ariſtoteleæ præſtantia, doceri cupiat antequam in arenam deſcendat, huic ſanè quam hac de re Orationem habui (hæc tibi iam iam occurret) conſulere licet. quam eò legas vtiliùs, quod eodem tempore te non ſolùm docere poſſit, quàm multas Poëtice habeat vtilitates, quámque plena ſit iucunditatis, verùm etiam de noſtro conſilio altiùs informare, fortaſſe etiam ad Ariſtotelica præcepta noſtrúmque hoc monumentum ſumma voluntate peruolutandum incendere. Vale.

IN ARISTOTELIS RHETORICEN.

Proœmium ad Lectorem.

Ariſtoteleę Rhetoricę prēſtātia, qualis quanta ſit: & de ſummo, Authoris, ingenio.

ARiſtotelis Rhetoricen, ſeu libros de arte ac ratione dicendi, explicandos aggredior: nimirum opus longè præclariſſimum & admirabile, & in quo ſummus hic dicendi atq; intelligendi Artifex tum ampliſſimos ingenii doctrinaéq. Theſauros expoſuit & collocauit, tū verò vberrimos atq; perennes Eloquentię fontes nobis aperuit. Vt propterea in cæteris monumentis cæteros Philoſophos, in hoc ſeipſum, longo interuallo ſuperauerit. Et ſanè in iis libris quos de arte ſeu facultate differendi conſignauit poſteritati, mirum ingenii acumen, incredibilem mentis ſolertiam, oſtendit. In iis etiam in quibus de rebus naturalibus longè latéque diſſeruit, aut de beatis mentibus diuiníſq. rebus diſputauit, egregiè, ſi nō in omnibus, ac certè in pleriſq; ſuam ille doctrinā probauit ac ſapientiam. Demum in his quæ de vita ſcripſit ac moribus, nobilem ac propè incredibilem ciuilis prudentiæ humanarúmq. rerum cognitionis laudē adeptus eſt. Sed in iis quæ in hoc noſtro monumēto exarauit præcepitque, omnes ſiue ingenii & ſolertiæ, ſiue eruditionis atque doctrinę, ſiue prudentiæ ac ſapientiæ, ſiue denique facundiæ & Eloquentiæ, copias profudit ac retulit. Quapropter quod Poëtæ olim de Mercurio commenti ſunt, quem facūdiſſimum Deorum internuncium ac diſertiſſimum Eloquentiæ Præſidem eſſe voluerunt, id potiore quidem iure de Ariſtotele affirmetur, quē eloquentiſſimū Eloquentiæ Interpretem appellaueris. Itaque M. Tullius Ariſtoteleum hoc monumentū diu noctúq. peruolutauit: ex hoc aureos Eloquentiæ fluuios deriuauit: & quantus fuit (fuit autē maximus) totus ex Platonis (id quod ipſe non fatetur modò ſed profitetur) hoc eſt ex Ariſtotelis Magiſtri, Ariſtoteliſq. ipſius, ſpatiis extitit. Quid multa? Is eſt Ariſtoteles, qui, ſi eundem M. Tullium audiamus, ſic docendi dicendiq. virtute præſtitit, vt nemo illo acutior, nemo admirabilior, nemo perfectior, fingi aut excogitari poſſit. Itaque tum olim Græcia vniuerſa ad Ariſtotelem quaſi ad Eloquentiæ Magiſtrum confugiebat, dum admirabilem hunc intelligendi dicendiq. authorem in Lycæo liceret audire: tum apud Latinos poſt Syllæ tempora a quo in Italia delata ſunt Ariſtotelis monumenta; ad Rhetoricos libros, Cicerone Authore atque Magiſtro, itum eſt vndique: Et quamquam Romana Republica non multò poſt euerſa, Vrbe & Italia pelli cœpit Eloquentia, poſt aliquot verò ſæcula, barbaris irruentibus, Græcia & Italia tota vnà cum cæteris liberalibus diſciplinis penitus exulare coacta eſt, ſuperiore tamen ætate in Italiam atque Europam penè totam eſt reuocata; ita ut priſtinum nitorem ac decus recuperaſſe videatur. Ita quidem ſic quotidie percrebuit Ariſtoteleæ Rhetoricæ iubar, vt iā Ariſtoteles apud Rhetores, nō minùs quàm apud Philoſophos, obtineat principatū. Etſi enim M. Tullius Romanæ Eloquentiæ parēs iurè ac meritò habeatur, quíque Græcorū Eloquentiā non æquarit modò verùm etiam ſuperarit, in præceptis tamen tradendis faſces non ægrè ſubmittit Ariſtoteli, atq; huius ingenium, induſtriam, ordinem, vno verbo, docendi rationem, quaſi Eloquentiæ ideam amplectitur ac demiratur. Vt quāuis in foro deinde & curia, quam non attigit Ariſtoteles; Orator maximus apparuerit, atque Oratorum, quantumuis Iſocratē proſeras aut Demoſthenem, Coryphæus ac Princeps, hanc tamen gloriam Ariſtotelis vigiliis ac lucubrationibus acceptum apertè ingenuéque retulerit.

Præ-

Digitized by Google

Quo conſilio ſi declaranda et de illorũ, qui eam explanarunt, induſtria, nimirum.

Præclariſſimum igitur Ariſtoteleæ Rhetoricæ monumentũ quod in præſens tantopere colitur ac celebratur, explanandum aggrediar. Quamquam non committam interim, Auditores ornatiſſimi, vt dum tale tantúmque opus aggredior, vos de meo conſilio ac ſuſcepti muneris ratione vniuerſa non admoneam. Ergo tripartitus hic Rhetoricæ commentarius ante Danielis Barbari aut Auguſtini Sueſſani qui ſuperiore ſæculo floruerunt, ætatem, incultus iacebat (quod modò ſignificare cœperam) ac propè ignotus. Etenim fuit ille quidem (vt dicebam) familiaris M. Tullio: qui inde copiosè hauſit (quod ingenuè quoque non modò fatetur ſed profitetur) & in ſuos libros de ratione dicendi deriuauit plurima. Multò poſt etiam cognitus eſt Quintiliano: qui & illum diligenter peruolutauit, & ſæpè ad eum prouocauit, ita ut ex eodem protulerit ac recitauerit non pauca. Sed & ex Græcis inter cæteros Aphrodiſeus Alexander ad illum citatis verbis nos reiecit aliquando: Auerroes denique inter Arabes Paraphraſi (& Alpharabius partitionibus quibuſdam illum complexus eſt. Sed tamen cum poſt Auerroem Dialectici & Phyſici Ariſtotelis libri, paulò poſt etiam morales ac lucubrationes reliqua teri cœpiſſent atque excoli a Latinis noſtris, vnus ferè hic Cõmentarius intactus diu & incultus relictus eſt, vix vt inter monumẽta reliqua de Græcis conuerſus reperiretur.

De Egidio Romano.

Proinde Egidius Romanus ante ſuperiorẽ ætatem primus illi admouit manum. Sed cum mendoſum codicẽ offendiſſet, nec Græcè noſſet, mirum eſt quàm ſæpè ac facilè ab Ariſtotelis ſententia deerrarit: præſertim verò quia reuera cum politiore literatura (pro illius ſcilicet ætatis conditione) & liberali eruditione careret, quæ ſine dubio huic libro explanando eſt neceſſaria, ſanè voluntati (id quod eius explanatio ſatis indicat ac ſtylus) lõgè impar fuit facultas.

De Auguſt. Sueſſano.

Sueſſanus tamen nõ multò poſt huc appulit animũ; vir ille quoque ſpinoſis Dialecticorũ Phyſicorúmq. concertationibus magis quàm Oratorũ curriculis aſſuetus: ſic tamẽ ingenij neruos intendit, vt reuera cõmodiùs quàm Egidius arduum hoc obierit munus. Etſi enim in Sueſſano etiã eruditio eſt penitus requirenda, ac propterea non rarò labitur, minùs tamẽ quàm Egidius labitur. Denique ſpinoſo ille vtitur ſtylo ac inquinato (id quod in Eloquentia palæſtra minùs ferendũ eſt) ſed tamen alioquin aliquid ei gratiæ habendum eſt.

De Daniele Barbaro.

Iam verò præclarius aliquãto poſt Barbarus: cũ enim & meliore Interprete vſus ſit, & Græcè noſſet, Ciceronem quoque, & Quintilianũ peruolutarit, ac politiorem literaturam adamarit; viſus eſt non illotis manibus illũ attingere. Tametſi dum ſtudet breuitati, ac multa ſummatim curſimq. perſequitur, multa etiã (vt verè fatear) eáq. difficilia omnino prætermittit, nos ſanè Ariſtotelica breuitate ac ſubtilitate adhuc hærentes implicitóſque relinquit.

De Petro Victorio.

Verùm enim verò Petrus Victorius deinde extitit, qui cum Eloquẽtia atque ingenuæ diſciplinæ veluti ex poſtliminio ad nos rediiſſent, Græcè ac Latinè apprimè eruditus, campum hunc excoluit egregiè: præſertim verò quòd admirabilem Poëtarum, Oratorum, Hiſtoricorum, ac moralium Philoſophorum cognitionem ſecum attulit, ita ut illum non mediocriter illuſtrarit; dicerem ſpem omnem palmæ præripuiſſe omnibus (præſertim quia tandem editione altera de Græcis accuratè illum conuertit) niſi difficultates præteriret facilè, quæ in Ariſtotele & multæ & magnæ occurrunt paſſim. Denique dum in vocibus dilucidandis & Græcis codicibus conferendis (quod tamen ſtudium non equidem improbo) multus eſt, dubitationes quibus impeditur Ariſtoteles, diſſimulat aut per incogitantiam præterit alacriter. Quo fit vt in eo Ariſtotelis artificium lateat adhuc non vulgariter.

De Germano Interprete.

Nam de Germano quodam Interprete, qui paulò poſt manum huic admouit monumento, nihil attinet dicere etſi enim Græcè & Latinè gnarus, in Cicerone etiam (quod plurimum quidem refert) verſatus ſit; dubitationes tamen declinat vehementer, tantum abeſt vt expediat: denique preſſiùs agit quàm vt Ariſtotelis conſulat breuiloquentiæ: idque eò minùs quòd ad Victorium atque alios non rarò prouocar, laborem ſubterfugias. Quo fit vt dum properar, nos paſſim relinquat in ſalebris. Veriſſimè enim dici poteſt, in Ariſtotele interpretando præpoſteram eſſe feſtinationem ac nouercam doctrinæ.

De Marco Ant. Maioragio.

Huic tamen breui ſucceſſit M. Antonius Maioragius, vir optimis literis atque ingenua eruditione vniuerſa tum Græca tum Latina ornatus. Is igitur eleganter primùm eiuſmodi Commentarium donauit latinitate, atque ita donauit, vt non tam de Græcis conuerſus quàm a Latino authore, eóque diſerto planè ac perpolito, ſcriptus videri poſſit;

vſque adeò hellinismos deuitat omnes, ac Ciceronis fermè imitatur ſtylum. Tum explanationem, eámque elegantem & copioſam, adiunxit, in qua cum ex M. Tullio huc egregiè reuocauit plurima, tum ex Poëtis, Hiſtoricis, & vt ſummatim dicam, ex laudatiſſimis authoribus omnibus, qui ad eruditionem & Eloquentiam conducere poſſunt, hauſit, ornauítque Commentarium. Sed tamen dum Ariſtotelem latiùs vertit (neque enim id inficiari licet) & quas Germanas Ariſtotelis ſententias putat, ſuis ille coloribus ac pigmentis illuſtrat, verbis nuſquam inſiſtens, non modò Aſiaticus videri poteſt, ſed licentiùs vertere & ab Authoris ſententia ſæpè diſcedere. Huc accedit quòd ipſe quoque ſcopulos ac difficultates pleraſque clauſis oculis prætervectus eſt: cum tamen hæ quippe quæ & graues & multæ ſunt, atque Ariſtotelis ſenſa magnopere obſcurant, puppis ſint ferè ac prora in huius monumenti explicatu. Illud enim conſtitutum eſſe debet qui Authorem aliquem explanandum ſuſceperit, vt ſi quid hæreat, id ingenuè fateatur, ac cæterorum induſtriam libentiùs exigat, & ingenium excitet, quàm hęſitantiam cælet ſuam. Neque enim amicis (quod Periclis pace dixerim) multò minùs Philoſophis, patrocinandum vſque ad aram, ſed quouſque ratio ac veritas patiatur. Quapropter ſi quid occurrat in Ariſtotele quod cum veritate ac bonis moribus pugnare videatur, nec rationem inuenias ac viam vnde illum tueri poſſis vel excuſare, fatendum id quod eſt, & coarguendus magis quàm occultandus error: cum enim talem ſe præbuerit ille', qui Veritatem amicis magiſtríſq. ipſis quibus plurimùm debemus, anteponendam prædicarit, ídque non modò æquum ſed ſanctum iudicauit, cur nos in eo declarando tam egregium præceptum videbimus? Denique explanator non Medici aut Patroni obit munus, qui ſæpè morbum aut erratum cum purgari nequeat, abdere nititur; ſed veluti arbiter ac iudex accedit qui ad libram & perpendiculum exigat veritatem, ac ſummatim Authorem tum demũ tueatur, cum veritas propugnetur. Atque in hunc ſcopulum vtinam Maioragius non incurrat ſæpè dum multa taciturnitate tranſigit aut diſſimulatia: multa etiam non ineleganter aduerſitatis adornet imaginem. Quid quod is eruditione interdum magis obruit quàm legentis ſubleuet ingenium? Etſi enim ea quæ ex varijs decerpit authoribus quandoque perbellè cadunt, atque Ariſtotelis ſententiam illuſtrant non mediocriter, ſæpè tamen redundant nec quadrant argumẽto. Vt omittã quamplurima ex Victorio ac Germano explanatore, quibus propterea plurimùm debet, repetere) ſuppreſſo tamen Authorum nomine) ac pro ſuis vti; itaut non modò plagiarius deprehendatur, verùm etiã tædium ijs afferat, qui Authores illos priùs (vt par eſt) perlegerint. Et quãquam dum ex M. Tullio, ac celeberrimis Authoribus qui nobis perinde ac Maioribus noſtris in aperto ſunt, ſententias depromit, aut enarrat facta, nõ facilè illum dixerim plagiarium, cum ea peræquè legiſſe potuerit & perſpecta habere, in hoc tamen crimen incurrit dum quæ proprio aliorum Interpretum ſtudio inuenta & excogitata ſunt, pro ſuis, quanta ſunt (quod ſæpè facit) vſurpans, nullam illorum mentionẽ facit. Sed Magioragio miſſo, ad Bernardum Mirandulanum cuius Commentarij extremo ſuperiore ſæculo editi ſunt; deuenio: is igitur Prooemio explicato ſtatim conuolat ad tertium librũ; itaut Ariſtotelis Rhetoricẽ capite ac pectore truncaſſe videatur. Vt omittam impolito item ſtylo ac rudi hanc enarraſſe artẽ quæ maximè omnium indiget elegantia. Denique ſic ſtatuo: qui nos informet ad Eloquentiam, huic prouidendum eſt diligenter vt tum humanioribus literis & liberali eruditione imbuerit pectus, tum ne aſperiore Dialecticorum dictione vtatur, qua floridiores Oratorum cãpos ſqualore compleat ac ſitu. Iam verò ne longum faciã, reliquos illos præteribo qui vel Latinè aut etiam Italicè hoc expreſſerunt monumentum, vel Paraphraſi breuiter ſiue Epitome cõplexi ſunt, vel ſcholiis & obſeruationibus adornarunt, ſiue in tabulas quaſdam redegerunt.

De Antonio Riccobono

Quãquam Antonium Riccobonũ nullo modo prætermittam. Hic igitur quippe qui triginta integros annos in celeberrimo hoc Patauino Gymnaſio Eloquentiam non ſine laude profeſſus eſt, pulcherrimo huic libro, etſi poſtremus omniũ, admouit ſtylũ: ac priùs de Græcis illũ conuertit, Sigonium in primis & Victorium ſecutus, ſed magna cautione attentéq. ſecutus; itaut mihi quidẽ maximè omnium in Ariſtotelis & verbis & ſententiis hærere, & liberum ambiguis in locis iudicium (quod omnino faciendum erat) nobis reliquiſſe videatur. Quam enim in ambiguis locis Germanam ſententiam exiſtimes, hanc mihi in Commen-

men-

mentatiјs potiùs aut notationibus indices velim ac perſuadeas, quàm in verſione ipſa (vt ita dixerim) obtrudas. Tum verò ſeorſim Paraphraſi Ariſtotelicam ſentẽtiam ſic proſecutus eſt, vt Authoris artificium & Oeconomiam commonſtrat, ac veluti filo ducto ab initio ad finem vſque nos per obſcuros perducat tramites: quod ſine dubio primum eſt intelligentiæ fundamentum, ac præcipuum ferè Interpretis, Ariſtotelei præſertim, officiũ ac munus. Et quamquam huius Interpretatio aut Paraphraſis reuera minus habeat ſuauitatis, interdum etiam vox aliqua parum habeat latinitatis; nec ad cætera ſeu illius fundat induſtria quæ vel ad pleniorem interpretationẽ, vel ad eruditionem, aut ſpiſſas illas dubitationes pertinent; profectò non hæc promiſerat ille ac ſibi præſtanda receperat, ſed Paraphraſim: itaut fidẽ ſatis liberauerit ſuã.

Ii ſunt quibus nobilem hunc Ariſtotelis campum, quaſi Oratorum atque adeò ingeniorum Marathona placuit excurrere: hæc eorũdem fuit induſtria qua illum peragrarunt. Ex qno fit vt non exiguus labori noſtro ſuperſit locus, ſed ampliſſimus adhuc & præcipuus. Etenim qui ſtatuerit difficnltates nullo modo declinandas, ſed labore ac ſtudio ſuperandas, ſeu dubitationem tenebras commonſtrandas ac diſpellendas, ac ſummatim Germanam Ariſtotelis ſententiam aperiendam artificiúmque totum dilucidandum, is ſanè habeat in quo vigilias ac lucubrationes collocet per quã vtiliter. Ob id igitur nos cum paſſim Controuerſias nobiles excitabimus quibus abſtruſa Ariſtotelis ſenſa diſceptentur & explicentur, tum nullum non mouebimus lapidem vt ipſius Ariſtotelis præcepta, ſententias, verba, artificium vniuerſum, declaremus atque illuſtremus, Platonem etiam & M. Tullium cum Ariſtotele in toto dicendi artificio conferentes.

Quę maximè requiruntur adhuc.

Iam verò, quoniam de huius monumenti præſtantia & dignitate déque Authoris ingenio & eloquentia vos admonui, Auditores ornatiſſimi, ac ſimul docui adhuc ſupereſſe locum & campũ in quo noſtra deſudet induſtria, poſtularet ſanè ratio vt uos itidem ad Eloquentiæ præcepta capeſſenda ac toto pectore amplectenda cohortarer. Verùm enimverò quominùs id faciam, prohibeat multa. Ac primùm facilè meminiſtis, me non ita pridem ex eodem hoc loco, cum Manilianam Orationem aggrederer, de Eloquentiæ præſtantia ac dignitate vlteriùs diſſeruiſſe, quàm vt hoc tempore ad eiuſdem eloquentiæ laudationem regredi opus ſit. Huc accedit quòd tandẽ flagitantibus vobis integrum Orationum volumen publicis literis conſignaui in quo non modo ſemel ſed iterum ac tertiò ad Eloquentiæ ſtudium retinẽdum & excolendum vos excitaui. Sed quid moror? An non externa die publicè illum in maiore Templo de more audiſtis qui meo nomine Eloquentiam miris laudibus extulit, ac florentiſſimum Auditorum cœtum ad Eloquentiæ ſtudium incendit & inflãmauit? Imprudens igitur ſim ego, ſi actum agere, & veluti a meta ad carceres remigrare, videar. Quamquam inde etiam prohibeor ne ad Eloquentiæ laudes diuertam, quòd Ariſtoteles ipſe in ſuo Procemio de Eloquentiæ commodis diſſerit copioſè, atque illius vtilitates, ſiue publicas velis ſiue priuatas, egregiè nobis ante oculos ponit, quibus ad nobiliſſimum hoc ſtudium incendamur. Quid eſt igitur quod ipſe Procemium Procemio, laudationem laudatione, cohortationem cohortatione, anteuertam? Denique ſat ſcio vos huc Auditores nobiliſſimos eo conſilio confluxiſſe non vt Eloquentiæ, quam auidiſſimè expetitis, laudationem audiatis, ſed Eloquentiæ ipſius pręcepta ex aureo Ariſtotelis veluti fonte hauriatis. Vt omittam nobiliſſimum hoc monumentum explicari haud poſſe pro dignitate, niſi quibuſdam veluti præludiis atque ijs non ſanè exiguis, eius præceptionibus aperiatur aditus. Vt propterea ſatius ſit huc ſine cunctatione vlla induſtriam ſtylúmq. referre, ac non neceſſaria Eloquentiæ laudatione prætermiſſa, ampliſſimam illis viam, quoad eius fieri poſſit, patefacere, in qua fœliciter exultet oratio. Age dum igitur Auditores optimi ad Ariſtotelem ipſum accedamus, Rhetorici huiuſce Monumenti Inſcriptionem agnoſcentes, priùs quæ eſt huiuſmodi.

Nihil eſſe cur in præſens auditores exhortetur ad Eloquẽtiã & quibus de cauſis.

IACOBO VECTIANO VIRO ORNATISSIMO.

Paulus Benius Salutem.

QVo tempore Patauium cogitabas, vel certè ſpem tui aduentus & expectationem apud me concitaueras, Romam, repentè aduolaſti: & in Querenghi viri doctiſſimi, & ornatiſſimi contubernio exceptus græca ſtudia tractare iterum & cum illo communicare cœpiſti. De qua re totam me per literas feciſti certiorē: quibus etiam oppidò reſponſum dedi. Reliquo tempore, etſi nonnulli fluxerint anni, ne litterulam quidem abs te accepi: tantū abeſt vt longiores mihi epiſtolæ tuæ redditæ ſint, quas commemoras. Nunc tibi gratulor, mihique gaudeo, quòd in Patriam, ac benè fortunatus, redieris. Et ſanè Principem ſummum colis, qui acute virtutem tuam cernere poſſit, téque beneficijs afficere. Quapropter eſt quidē cur hac de cauſa bono lites euentui, vel potiùs virtuti: immo verò, diuino numini, ex quo profluunt bona omnia: id quod eò tibi iuſtius erit factitandum & frequentandum, quòd Sacerdotio auctus, Regum Regi ſingulari prærogatiua inſeruis, cui ſeruire regnare eſt. Vtinam inter ſacrificia diuina mei memor, de meliori nota me commendes Domino. Tuum munuſculum amplector libenter vel quia profectum eſt à Viro pio, & erudito Theologo, quíque præſtat eloquentia, vel quia B. Catoli, hoc eſt Sanctiſſimi Præſulis, cōtinet laudes. Tu contra munuſculum hoc noſtrum excipere ne graueris: Encyteriam quandam continet: ex qua volumine quoque publicis literis, hactenus data ſunt: reliqui imprimun tur Venetijs vbi opera vrgentur ſtrenuè. Interim Vale, méque mutuò diligas; quod ſi adoleſcenti optimo, qui tuas mihi literas reddidit, quíque perhonorificè de te mihi multa, literas dederis, pergratum mihi feceris ſi illum ad meum Gymnaſiū frequentandum abhorteris. Datum Patauij CIↃ. IↃC. XX.

Ad Lectorem in Ariſtoteleis Rhetoricæ Diſputationibus Admonitio.

NEmo, vt opinor, qui egregiè in Ariſtotele verſatus ſit, ac diligēter illius monumenta peruolutarit, non libentiſſimè fateatur, Ariſtoteleos libros de Arte dicēdi admirabilem induſtriam redolere, atque ingenio eſſe pleniſſimos. Quin, ſi me audias, illud etiam veriſſimè affirmare licet, hoſce libros, ſi non reliquis Ariſtotelis monumentis quot quot excellere iudicantur, omnibus antecellant, at certè alteri nulli, induſtriæ palmam principatúmque concedere. Sed tamen illud quoque, ſi quis attentiùs æſtimet, iure optimo affirmari poteſt, in eis ampliſſimum adhuc dubitationibus & controuerſijs, ac ſummatim nouis laboribus atque vigilijs, patere campum. Etenim multa ſunt in quibus, vt Ariſtoteles ad ingenia exercenda, ne dicam torquēda, fictus videri ſolet, nō minùs obſcuritatis habet ac diffidij, quàm ingenii & eruditionis: multa etiam de quibus, etſi non ſanè obſcurus, ſed perſpicuus ſatis ac planus, ab optimis eloquētiæ authoribus, ſed inprimis à Platone ac M. Tullio, viſus eſt diſſentire: multa denique in quibus, ſiue cum illis conſentiat, ſiue ab iiſdē diſſentiat, non ſine vtilitate maxima explicari poteſt & comparari. Itaut quamuis in iis libris dilucidādis eniteat multorum induſtria, veruntamen aliis quoque locum, in quo vtiliter verſentur, relictum eſſe non dubitem. Hac itaque de cauſa ORATORIAS DVBITATIONES & CONTROVERSIAS omnes, quotquot occurrerent in Ariſtotele, mihi diſceptādas explanandáſque propoſui. Et quanquam plurima ſunt quæ Ariſtoteleæ Rhetoricæ dictionem dum explanamus, a nobis ſuo quæque loco dubitantur & enodantur, ita vt in noſtris Rhetoricæ Commentariis maximam huiuſmodi Controuerſiarum partem conjecerim; multa tamen aut certè grauiſſima (ne ſcilicet lōgioribus diſputationibus interpoſitis, Ariſtotelicæ doctrinæ ſeries, aut quaſi curſus paſſim impediretur) placuit hic ſeorſim priuatis concertationibus quærere, diſputare, explicare. Id quod

quod non ſanè αὐτοπροσώπως (vt iamdiu monebam) peragere placuit ac ſolitaria dictione, ſed ἑτεροπροσώπως, & clariſſimorum virorum adhibitis congreſſibus atque colloquijs. Hoc enim ſcribendi genus, vel quia maiorem quãdam habet venuſtatem ac decus, vel quia concertationibus atque orationis quaſi vela in vtranque partẽ explicantibus, longè ſit aptius, libentiùs amplectimur hoc tempore: alterum quippe tẽperatum magis ac preſſum, philoſophicis ac cæteris id genus ſcriptoribus reſeruantes in quibus minùs ſe ſe fundit Oratio. Itaque non modo Sigonios, Statios, Muretos, quibus nós publicè priuatímque operam dedimus adoleſcentes, inducemus ac diſſerentes faciemus; verùm etiam Gręcæ Romanaéq; eloquentię parentes atque adeò dicendi, intelligendíque authores ſummos tanquam ab inferis (Poetarum ſcilicet licentia ac more) excitabimus, & in theatrum vnà cum aliis multis deducemus. Ita demum tibi, LECTOR OPTIME, non ſine magna iucunditate, pari etiam fructu, vt ſpero, & vtilitate, tot tantarúmque Controuerſiarum Diſceptatores & præſentes cernere & loquentes audire, licebit. Vale.

Ad Philippum Segam Cardinalem Ampliſſimum.

LEgi perlibenter Viri humaniſſimi & eruditiſſimi cenſuram. cui ſanè viro ingentes gratias habeo: referam ſi potero. Interim tamen vt ingenuè fatear vt ſentio, lubet pauca quædam illi ídque peramicè reſpondere. Ad te itaque Cardinalis ampliſſime redeunt Epigrammata: ſecúmque Apologiam, quam cenſuræ cõtinenter ſubieci, deferunt non ſanè longam. Tu pro tua ſapientia de re tota decernito. Ipſe enim iudicio arbitrióque tuo eam relinquo integrã. Tametſi illud quoque mihi pergratum erit, vt cenſurę Author Apologiam etiam æqui boníque conſulat. Etſi enim ex huiuſmodi cenſura facilè conijcio virum græcis latiniſque literis apprimè imbutum eſſe, hunc tamen ab eo neſcioquo pacto diſſentire cogor: præſertim verò quia quæ mea Epigrammata appetunt tela, ea fermè omnia Virgilium appetunt: a quo tamen mihi neſas eſſe duxi in præſentia decedere. Itaque facile adducor vt credã id quod interdum non diſſimulanter ſignificat cenſor ille: ſe nimirũ non tam ſponte quàm penè coactum cenſuram illam inſtituiſſe aut certè, vt quoniam nunc primùm Vrbem attigit hinc illam occaſionem captarit ſuam probandi induſtriam atque in hac luce hominum, ac gentium Theatro, ingenii & eruditionis ſpecimen daret. Vale Cardinalis optime & ſapientiſſime: méque pro tua ſingulari pietate ac benignitate foueto vt ſoles.

AD IOHAN. CORNELIVM PATAVII PRAETOREM.

Pro Euſtathio Rudio.

NOn te fugit, Illuſtriſſime ac ſapientiſſime Prætor, qua morum integritate ac vitæ ſanctitate floruerit Carolus Boromęus Medioiani Archiepiſcopus & S.R.E. Cardinalis Ampliſſimus. Is pro ſua admirabili pietate & in Deum charitate ſummopere diligebat Iacobum Rudium patruum meum. qui ſanè, quoniã Protonorarius erat ac Azozi (eſt hic Vtinenſis diœceſis locus) Abbas, eidem Carolo, quo authore hiſce cohoneſtatus fuerat ornamentis, toto pectore inſeruiebat, atque ab eius dictis ac voluntate pendebat omnis. Rudium itaque hortatus eſt Carolus aliquãdo, vt ad ſcribendum ſe daret. ac propterea etiam varia illi obtulit argumenta: ſed illa in primis, De verã & perfecta Humilitate, vnum, alterum de Beata Vita: tertium de legitimo Chriſtiani militis certamine: quæ ſanè argumenta aiebat ſeſe & cupere & ſperare e veteribus Eccleſiæ Doctoribus ac ſanctorum Patrum lucubrationibus lu-

culenter

culenter tractati poſſe. Tum Rudius ſuccumbendum potius quàm non obtemperandum ratus, non grauatè operam illis pollicetur ſuam: quin etiam hanc ſibi occaſionē mirificè gratulatur: præſertim verò quod intelligeret ſe, dum Carolo morem gereret, Sāctisſimo Præſuli quiſque de Chriſtiana Rep. optimè meritus eſſet, morem gerere. Secedit itaque Rudius, ſéque tantiſper colligens, totum ſe ad commentādum & ſcribendum refert. Quid plura? de tabella (vt eſt in prouerbio) manum non ante remouet quàm rem totam pro virili ſua abſoluat. Sed o fallaces hominum cogitationes, ò volucres ſpes, ò præpoſteras gratulationes. Dum primū commentarium quem de Chriſtiana perfectáque humilitate ſcripſerat, ad Carolum tranſmittit, ac reliquos duos deſcribi iubet, vt primo quoque tempore hos ipſe Præſuli optimo deferat, ecce tibi lugubris affertur nuncius ac triſtis nimirum ſanctisſimum Mediolani Archiepiſcopum atque adeò Eccleſię columen, extremum diem obiiſſe, ac vitæ curriculo alienisſimis Chriſtianæ Reip. temporibus expletó, incredibile ſui deſiderium reliquiſſe. Quo nuncio perculſus Rudius tam ingentem mœrorem contraxit, ut commētarios illos, quoniam Carolus extinctus eſſet, in tenebris & ſqualore reliquerit: denique antea ipſe quoque ex hac migrarit vita quàm ad huiuſmodi lucubrationes poſtetitati conſignandas animum reuocarit.

Ego verò cum ad meas manus hereditario iure perueniſſent, nihil antiquius haberi quàm vt eos in lucem ederem ac tuo nomini conſecrarem: ídque multis magniſque de cauſis. Nam vt omittam Heroicam illam tui generis antiquitatem, Regiūq; familiæ ſplendorem ac decus, quibus Maiores tui in Vrbe prius, mox toto terrarum orbe & bello & pace incredibili cùm gloria floruerunt, tum verò Venetiis hoc eſt in clarisſima Italiæ atque adeo Europæ luce; ad ſummos honores euecti, terra maríque ſtrenuè per multa geſſerunt; quæ obſecro familia, ne dicam Ciuitas, extitit vnquam quæ tam paucis annis tot Præſules eóſque ſacra conſpicuos purpura enumerare valeat? Vt mihi quidem ex aliorum familijs deligi & in ſacroſanctum ſenatum illum cooptari, ex tua verò tanquam ex ſtirpe optima & generoſa gigni & procreari videantur.

Sed hæc tibi communia propemodum cum familia vniuerſa: illud hoc tempore proprium, quod omnium hominum ordines & Venetiis commemorant, & Patauii ſummis laudibus extollunt ac prædicant. nimirum ardens pietatis ac Religionis ſtudium: ſingularis in paupères amor & largitas: in ceteros etiam (vbi id occaſio tulerit ac locus) regia liberalitas ac beneficentia: denique incredibilis in iuſtitiā adminiſtranda (in quo munere iudicium quoque tuum ad miraculum propè ſuſpiciūt homines) integritas atque conſtantia. quibus ſanè fit vt quod multi plerunque aut diuitiis domeſticíſque commodis, aut etiam otio oblectandóque animo, tempus traſmittant, id tu ſiue precationi ac diuinarum rerum lectioni contemplationíque tribuere, ſiue pauperibus ſubleuandis impendere, ſiue Iuſtitiæ, Patriæ, Chriſtianaéque inprimis Reip. iuuandæ ornandaéque cōnferre ſoleas.

Quæ dum mecum ipſe reputo Ioannes Corneli optime & ſapientiſſime, ſimúlque illud perpendo, te clarem Delphinam in matrimonium duxiſſe, hoc eſt ſœminam Clarisſimam atque lectisſimam, quaéque tecū pietatis ſtudiis certet, ac quemadmodum pudicitia & moderatione animi ſit integritate ac vigilātia ſummopere excellat, minimè mirari ſoleo diuitias & gloriam tibi à Deo opt. Max. in millibus augeri, atque adeò Regii Vatis illud de te prædicari, Vxor tua ſicut vitis abundans in lateribus domus tuæ. Filii tui ſicut nouellæ oliuarum in circuitu menſæ tuæ. Denique quoniam ſic benedicetur homo qui timet Dominum. ne illud quidem mirandum puto, in Federico filio tuo Illuſtrisſimo prudentiam certatim atque hominis ætatem ſic anteuertere, vt ſacrum Maiorum ſuorum ſplendorem ac decus iamiam æquaturus videatur.

Quis igitur me non iurè ac merito in te vnum oculos conieciſſe fateatur, cui pias (ſpero etiam eruditas ac periucundas) Patrui mei lucubrationes, méque ſimul cum lucubrationibus ipſis, totum (quod toto pectore enixéque facio) dicarem ac traderē? Vale, Ioannes ornatisſime, méque pro tua incredibili humanitate quaſi clientem & excipere & fouere ne graueris. Datum Patauii Non. Maii. anno CIↃ. IↃC.

ILLV-

Illuſtriſſimo ac Reuerendiſſimo Præſuli Fratri Franciſco Gonzagæ Mantuæ Epiſcopo & Ordinis Minorum de obſeruantia olim Generali Miniſtro pro Fratre Franciſco Vicetino.

SI prudenter ac diuino planè conſilio in veteri lege ſuis præcepit famulis Deus, vt diuina lex ab eorum ore nunquam diſcederet, quin die ac nocte in ea meditarentur, haud ſanè temerè ijs Religioſorum familiis, quæ Dominici gregis ſaluti operam nauant, illud prꝗciperetur, vt quæ Chriſti populo regendo conſcriptæ ſunt Conſtitutiones, diu ac noctu meditarentur ac pertractarent, omninóq. curarent vt ab illorum ore nunquam diſcederent. Etenim magnum quidem eſt atque præclarum in vinea Domini laborare atque ad animarum ſalutem incumbere: præclarius ardenti hanc zelo & charitate procurare: verùm longè maximum ac præclariſſimum eſt id munus intelligenter, cautè prudentérq. adminiſtrare. Quid enim obſecro, refert diurnos nocturnósq. labores atque vigilias ad nobile opus conferre, niſi rationem ac viam teneas qua id rectè vtilitérque inſtituas & peragas? aut quo tandem animarum ædificiũ prouehere charitas poſſit ac zelus, niſi comes acceſſerit rerum gerendarum ſciẽtia & intelligentia, qua tãquam regula optima atque certiſſima ædificium extollatur? Ego ſanè, quemadmodum præclarè omnino ab Magno Dionyſio illud pronunciatũ exiſtimo, Hominum ſaluti operam dare eſſe diuinorum omnium diuiniſſimum, ita etiã tum demum diuinum hoc præceptum ac documentum expleri ac perfici poſſe arbitror, cum ad laborem charitas adiungitur comes; ad charitatem intelligentia atque doctrina dux & moderatrix acceſſerit. Imò verò quemadmodum authoritas in Dominico grege adminiſtrando caput eſt ac vertex, & ſine qua nihil ritè ædificaueris, plerunque etiam non tam ædificaueris quàm deſtruxeris; ita etiam, niſi quis munerum atque functionum quas exercet, perfectam cognitionem habuerit, & quid, quando, quomodo, & quatenus hoc vel illud agendum, iubendum, prohibendúmve ſit rectè perſpexerit, ac ſummatim de ſuæ authoritatis, iuriſdictioniſq. vi, loco, perſonis, opportunitate omnino edoctus fuerit, inaniter ædificet, ſæpè etiam exædificata euertat, neceſſe eſt. Denique, quemadmodum Medicus, niſi artis documentis inſtructus nouerit qualenam & quomodo fuerit ægroto medicamentum adhibendum, raro proſit, ſæpè mortem pro ſalute afferat; ita Animarum Medicus, niſi exploratum habeat quando & qua ratione animæ vulneribus ac morbis varia ſacramẽtorum Eccleſiaſticaéque authoritatis & iuriſdictionis medicamenta admoueat, raro ægrotum ad ſalutem reuocabit, ſæpè interitum illi pariet ſempiternum.

Hac de cauſa poſtquam ſemel ipſe in Domini vinea, ita ijs è quorum nutu pendeo, iubentibus laborare cœpi, nihil mihi optatius fuit quàm vt ea omnia quæ Religioſis familiæ noſtræ adminiſtris, vel de iure, vel ex ſummorum Pontificum conceſſu, vel etiam permiſſu & conſuetudine, geri aut deberent, aut poſſent, quando, & quomodo ritè & appoſitè geri poſſent, Compendio aliquo ac monumento tanquam in Theatro expoſita ſpectare liceret. Id quod tum demum ſpectare cœpi, cum te cernerem Pater Illuſtriſſime, ac Reuerendiſſime ſummam noſtri ordinis adminiſtrationẽ tanta patrum omnium conſenſione & Chriſti Vicarij approbatione tibi commiſſam, diuino zelo, celſóque animo ſuſceptam, pari vigilantia exercere. Nec me ſanè feſellit ſpes. cum enim factum eſſet aliquando vt tua paterna charitate propiùs fruerer: ſenſi Fratrem Iohannem Bouadiliam egregiæ pietatis, ac doctrinæ Theologum in hoc opus tuo iuſſu toto pectore incumbere. Quid plura? breui etiam Deo duce abſolutum atque perfectum eſt; ita ut illud mihi & legere & deſcribere & meditari licuerit. Verum cum longo huiuſce Compẽdij vſu ac tractatione facilè animaduerterem eius vtilitatem eſſe maximam non potui non magnopere optare vt publicis quoque literis conſignaretur quò eius fructus ac bonum in noſtrum Ordinem vniuerſum deriuari & propagari commodiùs poſſit. Ita demum ipſemet, Deo, vt ſpe-

ro,

ro, aſpirante, facta mihi a ſuperioribus, qui tibi ſucceſſerunt poteſtate, frugiferas eiuſmodi lucnbrationes typis mandare conſtitui, ac ſub tui quoque nominis patrocinio promulgare. Vt quoniam opus reuera tuæ induſtriæ ac prouidentiæ acceptum eſt referendum, ego verò te vnicè ſemper dilexi & colui, ac tuæ erga me pietati ac beneuolentiæ plurimum debeo, hoc etiam ſiue tuæ admirabilis in noſtrum ordinē vigilantiæ & charitatis ſiue mei ſingularis in te amoris & beneuolentiæ pignus extaret ac monumentum. Vale Præſul Illuſtriſſime ac Reuerendiſſime, téque cum tui Mantuani gregis ac patriæ ſplendidiſſimæ, tum verò noſtri huius Ordinis, tutelę ac patrocinio diu ſerues incolumem. Dat. Patauij Pridie Kal. Quintilis. An. CIↃ. IↃC. III.

BALDO ANGELO ABBATIO EVGVBINO
Philoſopho Clariſſimo, & Sereniſsimi Vrbinatium Ducis Medico digniſſimo.

Siluius Circauilla S. D.

VTinam poſſem aliquando obſeruantiam erga te meam, meis tibi lucubrationibus declarare. Intelligeres enim vir clariſſime, quanti ſemper fecerim tuam in me beneuolentiam ac ſtudium, quanti eximiam illam Medicinæ coguitionem, vnde inter primarios Medicos non in Vrbe ſolùm, verùm etiam Italia tota facilè numeraris: quanti denique (vt nobilitatem pietatem, atque alias virtutes prætereā, quas in te dilexi ſemper, diligámq. dum viuam) incredibilem illum, ac propè ſingularem rerum geſtarum, totiúſq. antiquitatis notitiam, ob quam cū admirationi fuiſti ſemper omnibus, tum præſertim (quod non me latet) a Sirleio Cardinali; hoc eſt viro laudatiſſimo ac ſuæ tempeſtatis eruditiſſimo, eruditionis laude mirificè cōmendatus. Verùm quod nequeo in præſentia meis vigilijs efficere, efficiam alienis: iiſq. ingenio atque doctrina pleniſſimis. Neque enim dubito quin ad tuas aures peruenerit nomen Aemilij Campolonghi: qui ſanè tametſi quadrageſimum ætatis ſuæ annum vix expleuit, publicè tamen in hoc celeberrimo Patauino Gymnaſio Medicinā ſumma cum omnium laude & auditorum cōcurſu iam quatuordecim integros annos docuit, ac ciuibus exteríſq. omnibus propter medendi peritiam ad miraculum propè ſuſpicitur. Vt propterea, quamuis hæc Ciuitas clariſſimos Medicos complures, hunc tamen vnicè ferè diligat: vnicè complectatur, & colat. Idque eò libentiùs facit, quòd Hieronymo Capiuaccio, nimirum ſplendidiſſimo Medicinæ lumine magno eum omnium dolore extincto, Aemylius, qui ab adoleſcentia ſub eius diſciplina verſatus, illius doctrinam vberrimè hauſiſſe creditur, in eius locum nobis affulſiſſe, ac ſumma cum omnium gratulatione reuixiſſe videatur. Tibi igitur obſeruantiæ meæ teſtificandę cauſa dicandum cenſui eximium hunc Campolonghi de lue Venerea librum, quem ſanè multis præcibus (vt verè fatear) impetratum, multis etiam laboribus typis mandatum (id enim authori, per aſſiduas docendi, medendíq. occupationes non licuit) Oratione quadam auxi, quam habui aliquādo de Medicinæ præſtantia. Tu vero (vt ſpero) hilari fronte doctiſſimum monumentum excipies; maxima; etiam cum voluptate leges. Etenim primùm animaduertes ex ea Vrbe & Academia prodijſſe, in qua tum Hieronymus Acorombonus ciuis noſter ac præceptor, affiniſq. tuus primam Medicinæ ſedem ac laudem obtinuit: tum Fabius eiuſdē Hieronymi filius vno eodémque tempore (id quod Vrbis noſtræ decus cenſeri debet nō exiguum) primas in Iuriſprudētiæ interpretatione adeptus muneri ſatisfecit egregiè. Tum verò intelliges nobiliſſima tibi ſpatia atque Gymnaſia in memoriam reuocari, Ex quibus ipſe etiam celeberrimis illis Fracaſtorij, Montani, Genouæ, aliorúmq. clariſſimorum virorum temporibus extitiſti. Denique (vt incredibilem vim quandā animos conciliandi virtus habet) ſuauiſſimos in te amores erga admirabilem Aemilij noſtri doctrinam excitari ſenties, atque eum probabis, & diliges, cui tu propter

eiudi-

Digitized by Google

eruditiſſimum de vipera libellum, vt vel ex vngue agnoſcitur leo, es cariſſimus ac probatiſſimus. Vale.

AD LECTOREM.

Dum de lue venerea amitteretur libellus.

EXtitit ſuperiore ſeculo, ac magna cum hominum pernicie extitit venerea lues: quæ ſanè quò magis incognita fuit & inaudita Maioribus noſtris, eóſque ab Medicamentis quæ huic morbo congruerent, imparatos inuenit, eò graſſata eſt latiùs, eò in viſceribus magis ac magis hæſit ægris mortalibus. Quæ quidem res, ſi quis reputet diligenter, diuinæ prouidentiæ argumentum eſt vel maximum. Etenim cum pudicitia & caſtitas non modò Aſia penè tota ac maiore Europæ parte propter deſertam Religionem penitus exulare cœpiſſet, verùm etiam inter fideles ipſos opibus immoderatè auctos, luxúque ac delicijs diffluentes, magna ex parte eneruata ac proſtrata iacéret; quid obſecro faceret ſapientiſſimus humani generis author ac moderator Deus? An ad eluuiones, exuſtionéſque confugeret, quibus ſanè mortales deleret penè funditus, ſiue magnæ terrarum parti inferret vaſtitatem? Minimè verò. Neque enim is eſt Deus, qui aut Sacroſancti illius fœderis obliuiſcatur, quod cum mortaliũ inſtauratore Noè, atque adeò cum poſteritate vniuerſa pepigit aliquando: aut pudicas iuſtorum, qui inter impudicos ac libidinoſos, miro ipſius numinis conſilio, verſantur, preces contemnat: ac triticum, vt eſt in ſacris literis, cum zizanijs eradicari patiatur. Ergo nouum talis genus ſiue creat, ſiue ex abditiſſimo terrarum orbe inferri iubet: atque hinc inaudita ægritudinis, infamiæ, mortis denique pericula obijcit fornicariis, libidinoſiſque omnibus. Neque id ſanè ad eos coërcendos ſolùm qui coniugio ſoluti ſunt, quorum ſanè impudicitia atque licentia ſupra quam ferri poſſit aucta eſt, verùm etiam multò maximè ad eorum impudentiam ac ſcelus vlciſcendũ, qui matrimonii leges violare non dubitarent. Etenim eò deuenerat hominum dementia, ac cæcitas, vt in coniugibus eligendis vnas diuitias, generíſque nobilitatem ac corporis pulchritudinem ſpectantes, educationis, pietatis, ac morum rationẽ haberent propè nullam. Eò peruaſerat intemperantia, vt homines frugalitate, ſanctimonia, omníque virtute abiecta, quibus prælucere deberent liberis ac familiæ vniuerſæ, effrenatis cupiditatibus non ſine ingenti caſtimoniæ iactura ac matrimonii offenſione ſeruirent. Nouum itaque huiuſmodi malum ac periculum, tum eorum temeritati & impudentiæ, tum eius, quam ſuſciperent ac diligerent, proli, imminere voluit Deus: nimirum vt & in coniugibus eligendis ſibi poſteritatique proſpicientes, & ijſdem delectis, honeſtiorem vitæ rationem ineuntes, tum ſibi tum liberis cauerent ac ſacroſancta coningii fœdera qua decet caſtitate tuerentur. Vt interim omittam hinc multorum innocentiæ præſidium acceſsiſſe maximum, cum ij, qui inter violandam fidem per ſummam calliditatem repudii diſcrimen eluderent, ſæpè etiam in turpiſſimæ luis cœnum infamiámq. inciderent. At enim quorſum tam altè calamitatis huius repetita occaſio? illuc, illuc inquam ſpectat, Lector candidiſsime, vt in hoc tam calamitoſo euentu Diuinæ iuſtitiæ ac prouidentiæ, adde etiam bonitatis & ſapientiæ, cuius vel maximè factus eſt Medicus ſpectator ac prædicator, argumenta perſpicias. Neque enim is Medicinæ ſtudiis propoſitus eſſe debet finis, vt quęſtui ſordidè ſeruiamus, aut doctrinæ famam, humanámque gloriolam captemus, ſed exerendus eſt animus ex huius mortalitatis ſordibus, ac præpotentis Dei, quantum tamen humana petitur imbecillitas, agnoſcenda eſt præſentia, ac diuina illa rerum omnium adminiſtratio ac procuratio. Etenim dum animaduerto eiuſmodi luem ac morbum apud nos erupiſſe primùm tum in ea Vrbe ac Regione quæ deliciis iam ſupra omnem modum diffluerer ac luxu, quaéque meretriciis amoribus atque adeò ſcortis Chriſtianam pudicitiam ſupra quàm dici poſsit fœdaret, tum eas gentes inuaſiſſe; ac tepentè vno

S eo-

eodémque in loco corripuiſſe, quæ ſupra reliquos omnes Chriſtianæ Europæ populos laſciuiæ ſeruirent ac libidini, non poſſum non ſuſpicari, imò verò conſtanter exiſtimare id fuiſſe vlciſcentis Dei opus ac monumentum. Nemo enim eſt qui neſciat eam Vrbem ac Regionem Italis, Gallis, Hiſpanis fuiſſe refertam, hoc eſt iis, qui pudicitiam quam maximè omnium in Chriſtiana Europa colere debuiſſent, deſererent, labefactarent, profligarent. Quæ cum ita ſint, iam quod ſupereſt Lector accipito paucis. De huius morbi (ſi tamen morbus eſt appellandus) natura ac vi, déque eius medicamentis & curatione ſcripſerunt multi; hos ego, qua potui diligentia ac ſtudio euolui propè omnes. cum enim animaduerterem ita longè latéque hanc permanaſſe corruptelam, vt ſine illuſtri eius cognitione Medicus, quantumuis peritus ac grauis, inertiſsimus ac propè inutilis videri poſsit hoc tempore, non exiguam ſanè operam atque ocii partem huic ſtudio nauandam tranſmittendámque exiſtimaui. Verùm etſi multa eſſent quibus horum mihi authorum magnopere probaretur induſtria, non pauca tamen occurrebant in dies ſalebrarum, difficultatúmque pleniſsima: in quibus equidem quò me verterem, aut quid ſtatuerem minimè haberem. Cum ecce tibi incidi in diſputationes quas de hac re habuit in Patauina Academia Clariſsimus Philoſophus ac Medicus Aemylius Campolongus. quibus mira auiditate perlectis, ac ſæpè etiam repetitis, tantam ſanè lucem in re obſcuriſsima mihi cernere viſus ſum, vt meus animus in variis illis difficultatibus penitus conquieuerit. Ergo cum intelligerem haſce lucubrationes, ſiue ingenium ſpectes atque doctrinam, ſiue ordinem ac perſpicuitatem, ſiue rerum varietatem ac pondus, tanto Doctore & Academia eſſe digniſsimas, in primis verò Medicinæ ſtudioſis plurimum vtilitatis afferre poſſe, operæpretium me facturum exiſtimaui ſi vt typis mandarentur ab authore impetraſſem. Eum igitur conuenio, oro, obſecro; omnibus denique, quibus poſſum rationibus, obteſtor, vt ne diutius permitteret tali tantóque bono carere mortales: quin potiùs meæ erga illum obſeruantiæ largiretur, vt ipſe eius nomine eas in lucem ederem. Quid plura? aſſentitur tandem, & qua eſt præditus humanitate, propria exemplaria, iiſdem diligenter recognitis, mihi tradit. Accipe igitur, Lector ornatiſsime, nouum hunc ac præſtantiſsimum de lue Venerea librum & quamuis a noſtro Gymnaſio abſens, doctiſsimi ac celeberrimi Medici doctrina & humanitate perfruere.

SERENISSIMO PLACENTIÆ
AC PARMÆ DVCI
RAYNVTIO FARNESIO

Pro Iulio Caſſerio Placentino.

VRBIVM regendarum ſcientiam, Dux inuictiſsime contemplatrice perfici atque abſolui Philoſophia, veterũ doctiſsimi tradidere: quod enim cum Sole eſt lux, ſi conſerantur, quod cum luce lumen, cum lumine ſplendor, id verò eſſe prudentiam cum ſapientia iure optimo exiſtimarunt. Quod cum ita ſe habere maximus intelligendi author animaduerteret Ariſtoteles non prius Alexãdrum illum magnum ad Orbis terrarum Imperium aſpirare poſſe cenſuit, quàm abditos naturæ focos arcanáque myſteria introſpexiſſet. Si quæ vero admiratione digna Naturæ habet contemplatio, ea profectò ſunt, quæ ad animæ facultates, earúmque inſtrumenta pertinent: in quibus cognoſcendis, cum multos ipſe annos diligenter poſuerim ac nonnulla magno a me ſtudio conquiſita, priuatiſque literis mandata, nunc in publicum edere cogitauerim, putaui me a nemine imprudentiæ accuſatum iri ſi illa præclariſsimo nomini tuo conſecrarem. Tu enim is es, Prin-

ceps

Digitized by Google

ceps Sereniſſime, qui, quemadmodum idem Alexander profitebatur, non agendo tantùm, ſed etiam in eligendo, populorum gubernatores alijs exiſtimas præſtare oportere: quique tuo id exemplo optimè omnium comprobas. Quod vt alia multa prætercam, celeberrimum diſciplinarum omnium emporium Parmæ nuper inſtitutum, ſatis ſupérque teſtatur. Sed cum ob hanc cauſam tibi præcipuè labores mei debentur, tum verò multo magis, quod nihil ſit in me, ſiue literarum, ſiue experientiæ, quod tibi acceptum referendum non ſit. Nam præterquam quod ius ipſum Naturæ, atque adeò ſapientiſſimus Naturæ Author Deus, te mihi Principem ac Dominum eſſe voluit, tanta quotidie ab tua benignitate in Placentinam Vrbem, quæ ſub tui imperii tutela fœliciter conquieſcit, beneficia proficiſcuntur, vt ſi te poſt Deum Optimum Maximum, Chriſtianámque Religionem non vnicè colam ac venerer, planè ingratiſſimus ſim. Quamobrem, nec alium mihi quærere patronum debui; nec verò maiorem potui: cum eum planè delegerim, quem inuictis Heroibus ac Regia ſtirpe, denique Pauli III. familia & ſanguine ortum ac propagatum, vel ipſe Clemens VIII. hoc eſt Sanctiſſimus Pontifex, atque omnium, quotquot Chriſti Eccleſiæ præfuerunt cum ſapientia, tum authoritate, ac fœlicitate clariſſimus arctiſſima ſibi affinitate iungendum exiſtimauit.

Ad te igitur clariſſimum Italiæ lumen, inuictiſſime fidei propugnator, fortiſſime Sanctæ Romanæ Eccleſiæ Signifer, magnarum & opulentiſſimarum dum Vrbium, maioris Patris, atque adeò Herois Filius, maximorum Pontificum pronepos & affinis, de Vocis & AVDITVS organis libellum tanquam ἀπαρχὰς defero: quem ſi pro ſingulari tua humanitate, alacri animo (vt ſoles) atque hilari fronte exceperis, ego ſanè laboribus, genio, optatíſque meis cumulatiſſimè ſatisfactum putabo. Tenue quidem munus, fateor, quin exiguum ac propè nullum, ſi cum meritorum tuorum magnitudine cōpareтur. verùm, ſi diurnæ, atque nocturnæ vigiliæ ſi exantlati labores ſpectentur, poſterorum memoria, fortaſſe etiam gloria aliqua non indignum. Quod, vt eueniat nunc, equidem non cupio ſolum, ſed & ſpero maximè: cum eo fautore in lucem prodeat atque patrono, cuius authoritas ac virtus; ſed quid virtutem dico, immo vero ſolius nominis ſplendor tenellos hoſce fœtus vitalis auræ auidos ab inuidis Zoilorum calumniis ſartos, tectos conſeruare, atque immortalitati commendare poteſt. Sic ſanè Cœlum tandem lucémque videbunt, atque in multarum gentium theatrum, in doctiſſimorum virorum conſpectum in Ciuium manus, in grauiſsimorum & Parmenſis, & Patauinæ Academiæ iudicium, ſpero etiam vtilitatem, apparebunt ac viuent. Interim Vale maximum Italiæ virtutis ac nobilitatis decus. Et me in tuorum clientum numero, dignitate quidem poſtremum, beneuolentia vero, & obſeruantia nemini ſecundum exiſtimato.

AD LECTOREM AVTHOR.

ETSI Medicina non minùs frugifera eſt tota ac ſalutaris, quàm multiplex & varia; me tamen ea pars mirificè ſemper delectauit, quæ diuinam humani corporis fabricam inſpicit & contemplatur. Nec iniuria, vt ego quidem opinor: etenim vt omittam partem hanc eſſe nobiliſsimam omnium ac præſtantiſsimam, ad Medicinam ſanè reliquam (id, quod rei caput eſt ac vertex) aditum longè latéque patefacere, ac propterea etiam illius εἰσαγωγὴ iurè ac merito appellari ſolet. Nam peruulgatum illud ac celeberrimum Oraculi præceptum γνῶθι σεαυτὸν, id monuiſſe in primis ac præcepiſſe vt humani corporis, vim, naturam facultates denique omnes non ſegni ſtudio atque labore inueſtigemus doctiſsimorum virorum ſententia compertum eſt.

Cum igitur in hac re diù multúmque deſudaſſem ac laboraſſem equidem multorum annorum labore id ſaltem me conſecutum ſpero, vt nouas ſubinde anatomicas difficultates enaſci ac tanquam numeroſa hidræ capita excitari perſpexerim,

quæ nouo quodam Hercule indigeant. Et quamuis haud ille ſim ego qui profitear meam operam huic rei magnopere prodeſſe poſſe, (debiles enim ſunt Lunæ radij, & notum illud ac tritum, μέλας αὐταῖς ὁ πεπαίμεναι βότρυς.) non tamen committendum putaui, vt quæ longa experientia & contemplatione obſeruaſſem, ea non ſine inuidia tandem aliquãdo poſteris communicarem ac proderē: præſertim verò quòd quas hac de re Muſeo clauſas diù ſeruaſſem lucubrationes, vt inde priuatim interim animum oblectarem ac recrearem, ſentiebam ab amicis maiore quàm ſiue putaſſem ſiue optaſſem ſtudio & contentione flagitari. Quid plura? permultæ amicorum hincinde mihi redduntur literæ, quæ rogant ſingulæ, monent, obteſtantur, vt ne longiori illa deuouere ſilentio, aut mihi vni, meiſque hæredibus parta eſſe velim, quin potius ſine cunctatione vlla promulgari, ac poſterorum memoriæ commendari ſinam. Qua in re nec excuſationes valent nobis nec præſes: obiurgant enim, & in publicam vtilitatem peccari clamant, idque in me, tanquam graue aliquod crimen conijciunt. Quin ne dilationem quidem ſuſtinent, ſed ſtimulant, vrgent, ac vel reluctantem impellunt ac trahunt. His artibus ereptum mihi è manibus excidit opuſculum De ſarynge & voce: de aure & auditu . . . ſanè ac nondum vt mens erat, expolitum: ſed quod tamen inſtar Podromi eſſe poſsit. Illud tamen nos vnum dolemus interim, etenim, quemadmodum Natura ſi non ſuo, alieno certè vitio, ſtirpes inutiles ſæpè & noxias procreat; ita res literaria Zoilos ſemper & obſeruatores edit aliquos, qui cæteros tanquam infœlici ouo natos aſpernantur, atque illorum lucubrationibus, & monumentis caliginem, ac noctem offundere moliuntur. Quamquam tantum abeſt, vt me iſti deterreant, vt verò etiam caninis eorum dentibus oſticula quædam, ac neruos vocis, item & aurium organa obiecerim, quibus implicentur & affligentur. Ita fore ſpero, vt tu benigne Lector fautorem te mihi candidum præbeas & æquus laborum æſtimator ad legendum accedas, non tetricus cenſor ac ſeuerus. Quod ſi te facere intellexero, De totius humani corporis fabrica imagines in lucem dabo omnibus perfectis numeris atque abſolutas quæque fortaſſe cæteras omnes quotquot hactenus prodiere, elegantia, perſpicuitate, artificio denique ac ſtudio ſuperent vniuerſas. Ita fiet aliquando vt ijs tanquam perfectiſſimo Magiſtro quilibet in ſectionibus vti, & partes quáſque humani corporis ſeparare, diſtinguere, internoſcere facilè valeat. Tu tamen interim Candide Lector, ſi quid melius habeas Candidus imperti, ſi minus, his vtere gratus.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. PRINCIPI, & Cracouiæ Archiepiſcopo, ac Sanctæ Rom. Eccleſiæ Cardinali Ampliſſimo.

QVOD diu Patauij optauit Polonorum natio, vt ſibi in celeberrimo B. Antonij templo aram ac cœmeterium obtineret, in quo noſtri, ſi quid eis humanitus accideret honeſtè ac religiosè conquieſcerent, id ſanè fœliciter a nobis cœptum inſtitutúmque eſt. Etenim iam cum Cœnobiatcha aram cęmeteriúmque ſeptingentis aureis nummis pacti ſumus: idque ea etiam cogitatione & conſilio vt vtrumque ſiue pro auguſti huius templi magnificentia, ſiue pro gentis noſtræ ſplendore, magnificè ac ſplendidè inſtruamus & exornemus. Quam ſanè rem tibi ſtatim Cardinalis ampliſſime, ſignificandam iudicauimus, quo auſpice atque hortatore id & optauimus, & incœpimus. Tu enim ille es, ILLVSTRISSIME ac REVERENDISSIME PRINCEPS, qui ſuperioribus annis, cum Patauij eſſes, nos hac de re pro tua pietate admonuiſti: nec admonuiſti ſolùm, verùm etiam vt opus aggrederemur & vrgeremus, certam pecuniæ ſummam pio huic monumento ſpopondiſti. Id quod non multopoſt, & cum Romæ eſſes, & cum in Poloniam rediiſſes, nobis pro tua incredibili charitate in memoriam reuocari voluiſti. Vt propterea religioſiſ-

gioſiſſimum huiuſmodi opus, quemadmodum te Authote & ſuaſore inchoamus ſic tua in primis munificentia & liberalitate perfectum iri ſperemus: cupientes etiã tui maximè nominis authoritate nobilitari. Quapropter tuum erit Illuſtriſs. Antiſtes, & nos (quod enixè oramus) de tua voluntate optima certiores facere: & opus hoc vniuerſum. vt ornatius euadat & auguſtius ac ſacra in dies & iuſta religiosè in eo perſolui poſſint, ope, conſilio, authoritate iuuare ac permouere. Vale Cardinalis optime: téque nobis, ac Patriæ, Chriſtianaéque Reipublicæ vniuerſæ diù incolumem ſerues. Dat. Patauij Pridie Id. Septemb. M. DC. VI.

AD ILLVSTRISSIMVM COMITEM, ac generoſiſſimum Olympicæ Academiæ Principem Hieronymum Portum.

Pro Alexandro Campilia I. V. D.

NVNQVAM egregium illud ac magnificum vel potiùs regium Patriæ noſtræ Theatrũ aut reſpicio præſens & circũſpecto, aut abſens intueor animo, quin mihi Vicentinorum nobilitate, ingenio, magnanimitate, maximè verò florentiſſimo Olympicæ Academię choro, digniſſimum videri ſoleat. Sed tamen illud me mirificè delectat hoc tempore, quòd te & Theatri, & Academiæ noſtræ Principem cerno, in quo cum virtutes atque animi ornamenta omnia, tum verò corporis decus fortunaéq. bona mirũ in modum elucent ac florent. Quæ cum ita ſint, nil miraberis, opinor, quod a me videas Diſputationem hanc elegantiſſimam, ac leporis, ſuauitatis, ſed eruditionis in primis eloquentiaéque pleniſſimam, tui nominis authoritate munitam, & ſplendore illuſtratam, publicis literis ac poſterorum memoriæ conſecrari. Ego ſanè illud veriſſimè affirmare poſſum, me cum in clariſſima hac luce hominum optimarúmque artium domicilio ab authore illa ſuo haberetur, mirificè delectatum eſſe, eandémq. noſtro Theatro, Academia, Academiaéq. Principe digniſſimam reputaſſe. Quapropter nihil antiquius habui quàm vt eam ab authore, hoc eſt a clariſſimo viro Paulo Benio, impetrarem, ac typis mandatam, meum & Academicis nobiliſſimis & Principi ſplendidiſsimo Patriæ denique vniuerſæ nobili hoc monumento amorem obſeruantiámq. declararem. Et quamuis optaſſem propriis id vigiliis efficere vt mea vobis teſtatior voluntas eſſet, veruntamen, quoniam non interim licuit, dabitis mihi hanc veniam vt hoc efficiam alienis: præſertim cum eiuſmodi diſputatio ab eo profecta ſit qui non ſolum eloquentiæ liberaliúmq. Artium laude ac Philoſophiæ in primis Theologiaéq. ſcientia excellit ac floret, verùm etiam Vicetinos diligit colítque mirificè. Quid enim non eos colam (ſic enim ille) qui quantum Cœli clementia ac fælicitate, vbertate ac feracitate ſoli, frugum fructuúmque ſuauitate atque præſtantia, ſic nobilitate, ingenio, magnanimitate, denique literarum ſtudiis bellíque artibus excellunt ac præſtant? Vale ac viue fœlix Princeps generoſiſsime, atq; Academiæ Patriaéque noſtræ diu viue. Datum Patauij prid. Id. Iulii M. DC.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO D.D. Hippolyto Aldobrandino Abbati ampliſſimo.

Pro Liuio Zacco.

PRæclarè mecum actum exiſtimo qui cum Iuriſprudentiæ Theſes in Patauino Gymnaſio diſputandos proponere ac de more in certamen deſcendere cõſtituerim, tum mihi Abbas Illuſtriſsime ac Reuerẽdiſsime præſto fuiſti quem mihi patronum Mecenatémque eligerem. Cum enim ille ſis qui Clemens VIII. cui ſumma affinitate coniũctus eras, ſingulares & propè diuinas virtutes tibi imitandas propoſueris, eámq. nemo in hac Vrbe florentiſsima quam ingeniorum ac gentium Theatrum meritò appellaueris, non tuum ingenium, ſtudium, diligentiam, comitatem, morúmq. ſuauitatem tuósq. in doctrinis progreſſus non admiretur & commendet atque optima quæque de te ſperet, cur non mecum fœliciter actum putem, cui haſce meorum laborum primitias tibi dicare, meúmq. certamen tua præſentia cohoneſtare, inde etiã animum virésq. colligere, ac te auſpice ad victoriam ipſam aſpirare liceat? Huc accedit quod cum Bartholomæum Zaccum patruelem meum, quæ tua eſt benignitas, ſumma beneuolentia proſequaris, eiúsq. erga te obſeruantiam officiáque cum Illuſtriſsimis fratribus quibus familia noſtra iam ſeſe deuouit tota, ſumma voluntate ac toto pectore cõplectaris, nihil mihi optatius aut iucundius contingere poterat quàm vt tibi vigilias meas tanquam obſeruantiæ pignus argumentúmque offerrem. Ita quidem fiet vt & alacri animo pugnam inſtituam, & in te tanquam in pulcherrimũ fauſtúmq. ſyduo intuens, ad virtutem & gloriam magis ac magis incendar. Quod ſi quando contigerit vt (quod vehementer & ſpero & cupio) debita induſtriæ virtutiq. tuæ acceſſerint ornamenta & meritis extiterint premia, téq. in eo curriculo poſitum cernam, in quo tuus auunculus admirabili eum gloria floret, auus etiam non floruit modò verùm etiam diuino aſpirante numine, ad Petri ſedem conſcendit. Me fortunatiſsimum ac propè beatum exiſtimabo. Interim meas haſce veluti fruges tibi Mecenati ampliſsimo a me oblatas qui omnino tibi fortunatiſsima & fœliciſsima cupio, hilari fronte excipere, méque in tuam clientelam magis ac magis recipere ne graueris. Datum Patauii Kal. Aprilis Anno M. DC. XII.

REVERENDISS. PATRI BALTASSARI BOLOGNETTO Generali Seruitarum Magiſtro.

Pro Octauio Ferrarienſi Seruita.

EGO verò tantum debeo Iohanni Hieronymo Gambio Patri optimo & ſacræ Theologiæ Magiſtro ornatiſsimo, concionatoriq. celeberrimo, quantum nec perſoluere vnquam poſsim nec verbis complecti ſatis queam & explicare. & quidem ſe parentibus multum debemus, quod ab eis ſecundùm Deum accepimus vt ſimus vt benè ſimus ac vitam præclarè traducamus? Ego ſanè eius opera in hanc religioſam familiam & inter Dei famulos ſum cooptatus ab eo humanis diuiniſq. doctrinis peramanter imbutus, eiuſdem hortationibus ac monitis quotidie magis in via Domini confirmatus ſed in primis eius pietaris ac probitatis exemplis quibus mihi ſemper præluxit, ad virtutem excitatus. Vt propterea ſi quod virtutis ſemen in me eſt, quod tamen longè exiguum eſſe & ſentio & debeo, id ego Paternæ Gambij beneuolentiæ & charitati acceptum referre debeam. Hac igitur de cauſa cum iamdiu animaduerterim eum prudentiæ tuæ Pater Reuerendiſs. tuæque ſapientiæ tribuere plurimum téque vnicè diligere atque adeo in ore & oculis ferre, haud committendum putaui,

vt

vt cum haſce ingenioli mei primitias edere, eas niſi Paternitati tuæ Reuerendiſsimæ dedicarem, cum enim te Gambius mirificè colat & veneretur, & ſuam doctrinam pari cum pietate prudentiáq. coniunctam, & (vt rem complectar paucis) quantum homo homini obſtringi poteſt, tantum ſe tibi obſtrictum atque deuinctum eſſe profiteatur, cur ipſe qui ex eius diſciplina ac moderatione pendeo, eius erga te ſtudium atque obſeruantiam non imitabor? Ergo tum illius cauſa Pater optime ac Reuerendiſsime, tum propter ſingularem pietatem ac ſapientiam, qua factum eſt vt Generalis noſtri Ordinis Magiſter magna cum omnium lætitia a Paulo V. Pontifice ſũmo perhonorificè delectus ſis, ſub tui nominis patrocinio cum haſce theſes emittã, tum ad eas tuendas in arenam deſcẽdam. Excipe igitur Pater religioſiſsime atq; ornatiſsime meum hoc quale quale ſit erga te obſeruantiæ pignus; idq; eò libentiùs, quod quicquid tuemur, idem B. Thomæ doctrina, cuius ſtudioſiſsimus fuiſti ſemper atq; interpres optimus, defendimus ac diſputamus. Vale Pater optime ac me inter minimos ſed obſequentiſsimos tamen & addictiſsimos Paternitatis tuæ Reuerẽdiſsimæ famulos numerare ne graueris. Datum Patauii Idibus Ianuarii M DC XV.

REVERENDISSIMO AC RELIGIOSISSIMO Patri Generaliq. Magiſtro meritiſſimo N. N.

F. Franciſcus N. S.

CVM Miſcellaneas haſce Theſes elaboraſſem, eáſq. de more Typis mandare & in publicum proponere ac diſceptare decreuiſſem, haud mihi quidem fuit magnopere cogitandum cui maximè illas dicarem. Tu enim mihi vnus occurrebas cuius nomini multis nominibus a me iurè ac meritò dicarentur. Ac primum quidem cum tu ſis Pater Reuerendiſsime quoddam veluti Miſcellaneum virtutum omnium, ita vt in te Chriſtiana pietas excellénſque doctrina & ſapientia cum ſingulari humanitate ac morum integritate eniteat, quidni exile Miſcellaneum hoc meum ad te accedere geſtiat vt tua luce tuóq. ſplendore illuſtretur ac decoretur? Quod ſi mihi interim dũ Theſes emitterem, Patronus quoque deligendus erat cuius authoritate quaſi Vulcani Clypeo muniret, ecquis obſecro in mentem venire potuit quem maximè omnium eligerem & exoptarem? A te porrò noſter ordo gubernatur vniuerſus, tibi vni tanquam Rectori optimo ac ſapientiſſimo Summus Põtifex Chriſtiq. Vicarius Paulus V. illius habenas credidit, te denique digniſſimum exiſtimauit, cui charam ſibi B. Franciſci ſobolem, plenam authoritatem impertiens commendaret. Vt propterea ipſe eum mihi Patronum delegerim, in quo ſanè, quod noſtri Ordinis intereſt, Petri quin etiam Chriſti ipſius, vicaria reſidet authoritas. Quod ſi demum in hiſce dicãdis Theſibus is mihi ſpectandus ſit & eligendus cui plurimum debeam, tu profectò ille es cui me ſecundùm Deum plurimum deberi & fateor & profiteor: Tu enim me, quæ tua eſt benignitas, in Gymnaſii Collegio cui a ſancto Antonio nomẽ eſt, cooptaſti, ac paulò poſt Baccalauri corona exornaſti: quorum ſanè beneficiorum memoriã, nulla vnquam apud me delebit obliuio. Ita ſanè quæ me vel admonere, vel concitare, vel incendere, potuerunt rationes, vt tibi Pater Reuerendiſſime Miſcellaneas propoſitiones meas dicarem, & omnes admonuerunt, excitarunt, incenderunt ac propemodum impulerunt. Ergo hilari fronte, quod fœlix fauſtúmq. ſit, eas excipias Pater optime ac religioſiſſime, ac me, quod pro tua ſingulari humanitate facis; ſub tui patrocinii Clypeo in dies magis ac magis complecti ac tueri, ne graueris. Vale datum Patauii XV. Kal. Sextilis CIↃ. IↃC. XVI.

PERORATIO.

QVa ratione affecti ſitis ſpectatores præclariſſimi ex præſenti certamine, equidem haud ſcio: tametſi dum virum meatum tarditatem & imbecillitatem mecum

ipſe

ipſe reputo, contra verò Antagoniſtarum fortitudinem virtutémque animaduerto, magnopere vereor, ne ijs omnino certaminis palma ſit concedenda. Sed quale quale ſit iudicium veſtrum Auditores humaniſſimi, fore ſaltem ſpero vt cũ interim eorum induſtria & virtus tantopere enituerit vóſque mirificè delectarit, hoc ipſo nomine meum vobis Miſcellaneum gratum acciderit ac periucundum. Valete.

Ad Illuſtriſſimum ac Sapientiſſimum virum Andream Maurocenum Pro Summo Summo.

IAMDIV cupiebam Maurocene Illuſtriſſime ac ſapientiſsime obſeruantiam erga te meam aliquo obſequii, & officii genere declarare. Cum enim frequenter audirem tuum nomẽ a Parente meo ſumma cum laude vſurpari, téque in primis inter VENETOS PROCERES non modo ſingularis humanitatis, & comitatis, verùm etiam ſummi ingenii, ac doctrinæ laude celebrari, denique in te optimarum artium ſtudia, ſiue Græcè velim, ſiue Latinè, mirificè eſfloreſcere, non poteram non te vnicè diligere, ac tanquam terreſtre quoddam numen ſuſpicere. Quid multa? Vix per ætatem mihi licuit prima philoſophiæ rudimenta deguſtare, cũ omnem meam curam, & induſtriam eò referre cœpi, vt tandem aliquando meorum ſtudiorum fructus aliquos, ſi quo modo poſſem, tibi dicarem vt ſcilicet perpetuum obſeruantiæ meæ argumentum eſſent, ac pignus. Id quod Deo bene iuuante perfeci tandem. Cum enim quinquennio toto in Dialecticæ Naturaliſq. Philoſophiæ curriculo deſudarim, ac pro ingenii mei tenuitate Ariſtotelis Peripateticorúmq. decreta diu, noctúque euoluerim, haſce vigiliarum mearum lucubrationes confeci; quas ſanè, quales quales ſint, tibi nuncupare, & nominis tui ſplendore authoritatéque illuſtratas ac munitas in lucem edere, viſum eſt. Quis enim eas non alacri animo perlegat, cum animaduerterit illi eſſe dicatas, qui quantum Patriæ Maieſtate, ac Familię ſplendore, & nobilitate, Maiorúmque gloria ſplendet, tantum Prudentiæ, integritatis, ſapientiæ ornamentis excellat, ac præſtet? Et quamquam ſat ſcio te, & grauiſsimis Rei publicæ negociis ita diſtineri, vix vt interdum aliquid otii nanciſcaris, & id ipſum quod datur otij, hiſtoriæ ſcribendæ tranſmittere ſolere, mihi tamen ſatis ſupérque erit, ſi hęc hilari animo excipere, méque inter eos, qui fortunatiſsima tibi optant omnia, numerare non dubitaueris. Nam de Parente meo nihil dicam hoc tempore cum tamdiù in tua fide ſit, & clientela, téque veluti è Cœlo delapſum diligat, & colat. Sed iam ad Theſes veniam: atque illas fęliciſsimis tui nominis auſpiciis propugnaturus in Arenam deſcendam. Vale.

Datum Patauii Die Menſis M. DC. VI.

ILLVSTRISSIMO AC REVERENDISSIMO PRAESVLI Antonio Grymano Epiſcopo Torcellenſi, & apud Sereniſs. ac Magnum Etruriæ Ducem pro Summo Pont. Legato.

Pro N. Zacco.

QVæ fuit ſemper Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. Pręſul, Hieronymi Zacchi Patrui mei ſingularis erga te obſeruantia, hanc, cum è viuis decederet, Alexandro parenti meo quem hæredem declarauit, tanquã alterum patrimonium, ídque optimum & ampliſsimum cõmendauit. Intelligebat enim tuam tuaéque familiæ in nos voluntatem eſſe vſque adeò egregiam, ac tot tantíſq. beneficiis meritíſq. teſtatam, vt iure in ſplendidiſsimi theſauri loco habenda eſſet. Itaque Pater meus, qui te iamdiu mirificè colebat, & in te colẽdo cum fratre propemodum

decer-

Digitized by Google

decertabat, cum fraternæ in te obſeruantiæ & ſtudij veluti hæres factus eſſet, incredibilem ſibi erga te tuámque Domum venerationis & obſeruantiæ acceſsionem factã eſſe animaduertit. Hinc filios ac nepotes ſæpè admonere vt hũc Theſaurum arctiſſimè tuerentur; ſæpè cohortari vt Grymanam familiã in oculis ferrent: ſæpè in memoriam reuocare vt in te tãquam in ſplendidiſsimum ac fœliciſsimum ſidus intuentes, in tua tuaéq. familiæ fide, Clientela, patrocinio perpetuò eſſe vellent: & ad vos ſtatim, vbi fortè tempeſtate aliqua iactarentur, tanquam ad ſacram anchoram, aut veriùs ad tutiſsimum portum, confugerent, Contra verò nullam occaſionem prætermitterem in qua viciſsim liceret aliquo officii genere obſeruantiam noſtram declarare, ac pro tantis meritis grati animi memoriam ac ſignificationem oſtendre. Cum igitur mihi faciendum eſſet vt in Patauino Gymnaſio publicè Theſes diſputarem, quibus mihi de more Patauinæ Nobilitatis ad Iuriſprudentiæ lauream & Collegii aditum aperirem, non difficile fuit aliquem reperire ſub cuius patrocinio eas & in lucem ederem & defenderem. Tu enim quaſi Meridianus Sol mihi occurrebas, cui vigiliarum mearum primitiæ dicandæ eſſent, vt obſeruantiæ noſtræ nouum tibi pignus extaret. Et quamquam ea eſt tua nobilitas & amplitudo, ſic in te animi, corporis, fortunæ elucent bona, vſqueadeò prudentiam ac probitatem Domi foriſque probaſti, vt a tuis ciuibus ac Patria vniuerſa vnicè ameris, Leone X I. cariſſimus fueris a Paulo V. mirificè diligaris, apud Chriſtianos Heroes ferè omnes acceptus ſis & gratioſus, proindéque mei oculi tantam dignitatem lucem perferre vix poſſint, veruntamen tua comitas ac morum ſuauitas quam memini a Patruo meo celebrari efficit vt ipſe & literis, & Theſibus quaſi paſſibus quibuſdam ad te accedere audeam, ac tuum patrocinium ſpe optima implorare. Igitur munuſculum hoc noſtrum hilari animo excipias ampliſſime Antiſtes; & a familia noſtra quam in tuam clientelam iamdiu recepiſti, ac multis & magnis beneficijs cumulaſti, nouum hoc venerationis monumenrum, quale quale ſit, excipito. Ego enim, ſtatim ac meas literas ad te perueniſſe audiero, tanto patrono, atque auſpice fretus, pugnam inſtituam, & alacriter decertabo. Vale Heros ampliſſime & generoſiſſime: téque & Patriæ & Reipublicæ Chriſtianæ diù ſerues incolumem. Datum Patauij III. Kal. Maij CIↃ. IↃC. XII.

Ad Illuſtriſſimum virum Nicolaum Cornelium.

Pro Horatio Cornachino.

MIHI verò non difficile fuit de Mecenate deliberare, cui lucubrationes haſce meas dicarem, vt tutiſſima illas & ſplendidiſſima Patroni fide, veluti Achillis Clypeo, munitas, in publicum ederem. Tu enim mihi ſtatim occurriſti, Nicolae Corneli Senator optime ac ſapientiſſime, cuius mihi patrocinium ac tutela maximè omnium expetenda videretur. Si enim genus ac ſanguinis nobilitatem requiro, quis te ex antiquiſſima ac Regia Corneliorum gente procreatum, quaſi Italiæ nobilitatis lumen & ornamentum, non ſuſpjciat? Si parentis Maiorúmque virtutem recolo, Georgij mihi obuerſantur ante oculos; Marci, Franciſci, aliqui plurimi qui non Venetam Vrbem modò ſed Chriſtianam Remp. magna cum laude adminiſtrarunt. Si animi præſtantiã ſpecto, incredibilem quandam ac planè regiam in te magnificentiam intueor, qua maximè te germanum Corneliæ familiæ germen declaras. Sed quid ego fratrem tuum optimum ac ſuauiſſimum, & Præſulem Illuſtriſſimum prætermitto? nemo eſt enim qui illius ſapientiam, pietatem, munificentiam non celebret: qui non maioribus ornamentis longè digniſſimum eſſe ſentiat: qui denique (ſi ſapiat) non eum quaſi è cęlo delapſum, ac ſummo Dei beneficio Patauinæ Vrbi conceſſum non fateatur? Nã de liberorũ tuorum ſiue ingenio atque optimarum artium ſtudio, ſiue de admirabili modeſtia ac ſuauiſſimis moribus, nihil attinet dicere, cum omnibus has ob cauſas ſint cariſſimi, atque in omnium oculis, oréque verſentur? Quid multa? dum de Patrono deliberarem ij vni ancipiti me cogitatione diſtrahebãt cum hinc eorum in me

officia

officia illinc tuus me ſplendor, vtrinque rurſus dignitas & amplitudo, inuitaret. Ita quidem ſatius iudicaui monumentum hoc meum vtrorúmque nomine ac Patrocinio nobilitare, ac liberorum optimorum parenti optimo & ſplendidiſſimo, Parentis ſplendidiſſimi optimiq. filijs clariſsimis ac ſuauiſſimis illud dicate. Accipe igitur Senator præſtantiſſime ac ſapientiſsime meum hoc, qualecunque eſt obſeruantiæ pignus & argumentum. Vt quoniam interim in Illuſtriſsimi ac Reuerendiſsimi fratris tui tutela me eſſe profiteor, a tuis quoque liberis, quę illorum eſt humanitas, omnibus ſtudijs atque officijs me ornari ſentio, tuo idem Patrocinio quod in primis & cupio & ſpero, ac gratia fruar. Vale Datum Patauij XIII. Kal. Aprilis M. DC. VI.

Clariſsimis atque ornatiſſimis Adoleſcentibus Georgio, Marino, Cornelio, fratribus optimis ac ſuauiſſimis.

Pro Horatio Cornachino.

IAmdiù optaueràm, Clariſſimi Adoleſcentes, meam vobis obſeruantiam teſtatam relinquere. Cum enim haud poſſem veſtram erga me beneuolentiam non grato complecti animo, quin veſtris in me egregijs meritis arctiſsimè obſtringerer, cupiebam ſanè propenſionem meam optimam ac voluntatem aliquo officij genere declarare. Cũ igitur tandem aliquando mecum ipſe decreuiſſem, quas de differendi tatione ſcholas ac diſputationes habueram, has publicis literis conſignare nihil antiquius habui quàm vt eas veſtrò nomini dedicarem, vt quemadmodũ publicè ſemper ac priuatim, veſtra præſentia, veſtríſq. politiſsimis auribus cohoneſtatus ſum, ita mea ſcripta veſtro nomine ac ſplendore nobilitarentur. Id quod eo etiam lubentiùs feci, quod (vt verè fatear) optarem etiam me Parenti veſtro optimo & ornatiſsimo addictum oſtendere. Etenim vix, ac ne vix quidem ſuſtinere poteram, præ pudore, me qui tantopere vobis debetem, nullum adhuc officij genus, nullum obſeruantiæ ſignum, erga Parentem veſtrum oſtendiſſe. Ita ſanè, quod fœlix fauſtúmq. ſit, meas haſce vigilias vtriſque placuit conſecrare: & quas olim ingenij primitias Apollini aut Herculi offerebat Antiquitas, eas ipſe tum Patri veſtro, hoc eſt ſplendidiſsimo Corneliæ gentis Heroi, tum vobis, ideſt tanti Herois filijs, do, dono, ac dico. Patauij XIII. Kal. Aprilis M. DC. VI.

Admodum Reuer. Patri D. Raphaeli Bonetto Cremonenſi Canonico Regulari.

Pro Sixto Regulari Canonico Cremonenſi.

QVAS ex Philoſophiæ fontibus Theſes deriuaueram ac mihi publicè tuendas propoſueram, has tibi, Pater optime & ornatiſsime, dicandas exiſtimaui; atque id equidem non vt ingenij doctrinaéve laudẽ quęrerem, cum & ingenioli mei tenuitatem & quàm exiliter in doctrinis profecerim, & ſentiam & doleam: neque vt aliquam gloriolã rurſus captarem, cum ſat ſciam hanc ab ijs eſſe ſpernendam qui Religioſæ huic familiæ dederint nomen. Quorſum igitur? vt nimirum ſiue in noſtro hoc ordine morem penè receptum ac tritum colerem, & ocio honeſtiſsimis hiſce exercitationibus atque vigilijs occurrerem; ſiue beneuolentiam atque obſeruantiam declararem qua me tibi obſtrictum eſſe nõ modò fateor ſed profiteor. Nam vt Patriæ circulum prætermittam vnde beneuolentia primùm conciliatur: vt Religioſæ familię coniunctionem ſileam ex qua mitificè augetur; tua ſanè morum & integritas & ſuauitas,

uitas,& Chriſtiana in primis pietas atque charitas pari cum doctrinæ ſapientiaéq. laude coniuncta (hæc enim omnia cum Cremonæ Abbatem ageres, ſatis cognita ſunt atque perſpecta) me quidem adtui amorem & obſeruantiam vehemẽter alliciebat. Igitur Theſes haſce noſtras hilari animo excipere ne graueris; nam quales quales illæ ſint, meæ certè erga te venerationis & beneuolentiæ pignus & argumentum haberi & flagito & cupio. Vale.

AD SERENISS. FRANCISCVM MARIAM II. Vrbinatium Ducem VI.

Pro Alexandro Marcellino.

MVLTA ſunt, Sereniſſime Dux & ſapientiſſime, quibus adducor vt meas haſce Theſes, tãquam ingenioli mei primitias tuæ Celſitudini dicare ſtatuerim. Nam vt omittam egregiam doctrinarum cognitionem, ac ſingularem prudentiam & ſapientiam quibus & mentem exornaſti, & populos regis, atque ita regis, vt ſe iamdiù fortunatos exiſtiment, ac

Fœlices placida coniuncti pace quieſcant;

tu ſanè, quæ tua eſt munificentia Parentem meum optimum, tuique in primis ſtudioſiſſimum, ac domeſtico tibi famulatu addictiſſimum, multis ac magnis ſemper beneficijs affeciſti, afficisque in dies magis ac magis. me verò, vt Iuriſprudentia pectus excolerem, honorifico ſtipendio attributo, Patauii, hoc eſt in præclariſſimo diſciplinarum Theatro atque optimarum artium domicilio, verſari voluiſti. Quin etiam vt liberali ocio commodiùs fruerer, cum Illuſtriſs. & Reuerendiſs. Patriarcha Veneto, incomparabilis ſanè virtutis ac ſapientiæ Præſule, immortalitatiſq. digniſsimo, egiſti, ac tua authoritate perfeciſti, vt mihi honorificentiſsimus ad Ternacenſe Collegium pateret aditus. Quo factum eſt, vt quinquennio toto Pontificii Cæſareique Iuris ſtudio operam dederim, cæteris curis; atque omni veluti fœnore, ſolutus vndique. Quid plura? Tanta mihi ex tua erga me pietate ac munificentia opportunitas oblata eſt, tanta veluti lux oborta, vt iam ad vtriuſque Iuris lauream aſpirare ac de illa breui capeſſenda, mecum ipſe cogitare, cœperim. Quidni igitur Theſes haſce meas ex vtroque iure depromptas tibi Dux optime ac Sereniſsime nuncupem, cui tam multis ac magnis beneficiis obſtrictus ſum? Ergo illas, hilari fronte atque animo accipere ne graueris: nam quales quales ſunt, certè obſeruantiæ erga te meæ ac venerationis teſtes ſunt aut etiam pignus, & monumentum. Vale Dux Sereniſsime ac munificentiſsime quem Deus fortunet in æuum. Datum Pataui III. Id. Martij. M. DC. XIV.

SANCTISS. AC BEATISS. PATRI PAVLO V. Pontifici Maximo.

Octauianus Rauennas Franciſcanus Minorita perpetuam fœlicitatem.

MIHI verò, Beatiſsime Pater, nihil fuit dubitandum cui potiſsimùm Theologicas haſce Theſes dicarem. Cum enim de Chriſto ſint, cuius tu vices in terris geris, cui obſecro, niſi Sanctitati tuæ, dicãdæ fuerant ac conſecrandæ? Quin etiam cum poſterior earum pars Romanum Pontificem, quippe a ſpectabile Eccleſiæ Caput, pro argumento habeat, quem quæſo alium niſi Paulum V. auſpicẽ optare liceat? Huc accedit quòd ipſe religioſæ Beati Franciſci militiæ aſcriptus ſum, quam ſat, ſcio ſingulari quadam obſeruantia & veneratione Summum

Pon-

Pontificem colniſſe,atq; illius voluntati ad nutum obtemperaſſe ſemper,ita vt qualis & quanta erga Petri ſucceſſorem Chriſtique Vicarium obſeruātia ſuorum militum eſſe deberet, reſtatum reliquerit. Itaque me ab eius præceptis diſceſſiſſe putarem, niſi ſacros hoſce labores meos, quales quales ſint, tibi ſumma voluntate offerrem. Quid? an non illud quoque mihi recolēdum erat, me Rauennæ ortum, hoc eſt in ea Vrbe ac Prouincia, quæ tibi Pater Sanctiſſime, arctiſsimis & iucundiſsimis obedientiæ vinculis obſtricta eſt, téque mirificè colit ac veneratur? Fruitur Rauenna atque Aemilia vniuerſa ſub fœliciſsimis tui nominis auſpiciis ſumma pace, incredibili tranquillitate, affluit magna annonæ vbertate, floret optimis artibus, ac iuſtitiæ in primis & æquitatis præſidiis munita eſt; ita vt perbeatam ſeſe reputet hoc tempore; ſatiſque intelligat ſe eius authoritate regi ac patrocinio, cui nihil optatius ſit, nihil antiquius, quàm ſuorum populorum quies & pax. Ac profectò te ita decebat, cum apud mortales eius authoritatem obtineas ac referas qui ſe Principem pacis haberi ac dici voluit, ac pacem nobis tanquam diuinum theſaurum commendauit. Id quod tibi ante oculos perpetuò verſari inde ſatis intelligo, quòd quemadmodum pacem tibi tuis rationibus atque conſiliis omnibus anteponendam ſemper exiſtimaſti, ita illam inter Chriſtianos ſiue conciliare & conſtituere, ſiue conciliatā conſeruare & augere, perpetuis ſtudiis & contentionibus elaboras. Quamquam vt vigilias haſce meas Sanctitati tuę offerrem, illud etiam perſuadebat, quòd non ignorarem Generalem noſtri Ordinis Magiſtrum tum pro ſua pietate ac virtute, tum maximè ob tuam ſingularē animi innocentiam, tibi addictiſsimum eſſe, ac de tuis mandatis diu noctúque cogitare: denique te vnicè diligere, colere, venerari. Ita vt facilè animaduertèrem fore vt meum hoc conſilium probaret ac laudaret. Quin etiam nunc demum non modò probauit laudauítque conſilium meum cum eius approbationem requirerē has concluſiones editurus, verùm etiam hanc mihi voluntatem animíq. propenſionem ſummopere gratulatus eſt. Agedum igitur Sanctiſsime ac Beatiſsime Pater, libellum hunc meum de duplici Eccleſiæ Catholicæ fundamento hilari fronte gratóque animo excipere ne graueris: ac te interim Chriſtianæ Reipublicæ trāquillitati (quod a Deo ſummis precibus flagito) & concordiæ, atque adeò Eccleſiæ fideliúmq. ſaluti, diu ac fæliciter ſerues incolumem. Patauii VII. Kal. Maij. M. DC. XVII.

Iohanni Hieronymo Gambio Seruitæ, Patri optimo, & ſacræ Theologiæ Magiſtro ornatiſſimo.

Pro alio Seruita.

EA eſt Virtutis pulchritudo ac Dignitas, illud decus, ea maieſtas ornatiſsime Gambi, vt ea nihil pulchrius, nihil dignius, nihil illuſtrius aut amabilius excogitari poſsit. Hinc ſæpè accidit vt non modò ad amicos ac familiares qui virtute præſtent diligendos atque colendos, verum etiam ad eos quos nunquam vidimus obſeruandos incēdamur. Quid plura? hoſtes etiam ipſos ſunt qui dilexerint, eorum virtutis dignitate ac pulchritudine incitati. Quod ſi hoſtibus accidere legimus, quid obſecro iis vſu veniat qui in egregium virum inciderint, quem humanis diuiníſq. virtutibus apprimè excultum proſpexerint, & verò non in amici ſolùm, verùm etiam Parentis optimi loco habendum eſſe intelligantur. Ego ſanè (vt de me fatear) ſic me erga te affectum eſſe ſentio vt tuam virtutem ſuſpicere cogar, téque ipſum vnicè diligere vel potiùs amare atque in oculis ferre. Quis enim in Diuina humanáque Philoſophia explicanda limatior ac doctior? Quis in Dei populo ad piétatem cohortādo vehementior aut copioſior? Quis deniq; in domeſtico conuictu ac priuatim ſuauioribus moribus ac maiore humanitate præditus & comitate? Denique ſic ſtatuo te Seruitarum familiæ a Deo optimo maximo conceſſum vt verbo & exemplo quod perpetuum tibi ſit præluceas, veluti probi ac religioſi hominis imaginem ſodalibus referas. Quæ cum ita ſint haud miraberis opinor ſi ipſe iamdiu te patronum exopto & in præſens

haſce

haſce tibi theſes, hoc eſt amoris & obſeruantiæ pignus offero. Quod ſi perexiguum ſit ac leue ſi tua ſpectetur doctrina ac ſapientia, magnum certè eſt ſi animum ſpectes meum qui quantum poteſt id tibi ſumma voluntate defert hoc tempore. Vale, Pater optime ac ſapientiſſime méque inter eos numerare ne graueris qui tibi addictiſſimi ſunt ac tuam virtutem imitari enixè cupiunt. Datum Patauii XV. Kal. Februarij. M. DC. XI.

ADMODVM REVERENDIS SERVITARVM Ferrarienſis Cœnobij Patribus.

Pro Seruita.

FOELIX mihi quidem illuxit dies, Patres optimi ac religioſiſſimi, cum ſummus Pontifex Clemens VIII. Seruitarum Ordini poteſtatem fecit vt nouos tyrones acciperet. Etenim cum innumeri propemodum nomen darent atque in hunc Ordinem cooptari poſtularent; Vos quidem, quæ veſtra in me fuit humanitas, decreuiſtis vt ipſe inter primos in veſtram familiam adſcriberer. Quamquam non his finibus veſtra in me beneficia ac merita continentur, ſed longè manant latiùs. Si quidem cum me piè ac religioſè educandum & in via Domini inſtituendum curaſtis, tum verò optimos mihi præceptores præpoſuiſtis a quibus humaniores literas perdiſcerem priùs, mox etiam ad Philoſophiam ac Theologiam informarer. Atque hac de cauſa non Ferrariæ ſolum perhoneſtè a vobis retentus ſum, vbi primum me excipi ac tyrocinium ponere voluiſtis, verùm etiam Bononiam, Florentiam, Peruſium, ac denique Patauium miſſus vt præceptoribus optimis vterer atque humanis diuiniſque diſciplinis & inſtitutis diligenter imbuerer. Quæ cum ita ſint, impius profectò nō modò ſed ingratus videri poſſim, niſi grati animi ſpecimen aliquod præbeam ac verbis ſaltem, quoniam factis merita compenſare haud queo; quantum debeam declarem ac prædicem. Ita quidem cum Theologicas haſce theſes ederem, Vobis quidem Ferrarienſis Cœnobij Magiſtris ac Patribus eas dicandas cenſui, quibus aliquam quaſi animi teſtificationem darem. Scio eā perquam exiguam eſſe ac meritis veſtris longè imparem. vel vt veriùs dicam propè nullam, cum enim veſtris beneficijs vſque adeò ſim deuinctus vt me ſecundum Deum vobis omnia debere intelligam; Quidni fatear hanc mei animi ſignificationem leuiſſimam ac nullam propemodum habendam eſſe ſed nimirum veſtra humanitas quæ in dies magis ac magis in me enituit, efficiet vt qui ſe vobis addictiſſimum perpetuóque obſtrictum fore & ſentit & prædicat, is, quoniam quantum poteſt, offert, quantum debet retuliſſe videatur. Benè valete, Datum Patauij VIII. Kalendas Februarij M. DC. XV.

M. ANTONIO BONCIARIO.

Paulus Benius S.

GRatæ mihi tuæ literæ, vel quia pleniſſimæ officij & elegantiæ: vel quia cum Pedagogomachia ſiue Oedipo, oculato tamen, coniunctæ. Sed de Oedipo aliàs: ad me enim, vt nauigauit diù, vix peruenit nudius quartus. Illud tamen non prætermittam in præſens; nihil eſſe quod Oedipo tuo meum anteponas Hiſtoricum: cum hic ab ægroto artifice quique decumberet, prodierit ferè totus: ita ut αὐτοσχέδιος ac ſubitarius dici poſſit, ne dicam aborſus. Oedipus contra, quantum mihi nacte-

nus licuit coniecturare, accuratus videri debet ac limatus, quique è diuite vena, perinde ac triumphus ille nobilis, profectus ſit. Perge igitur mi Bonciari: ac dum Muſæ tibi fauent egregiè, ætas etiam, vt audio, viget, heroicum opus inſtitue tuba iſta dignum: ita demum eris mihi alter Ὅμηρος. niſi tamen quia nobis, dum Virgilium ac Torquatum legimus, ſordet ferè Homerus (fatebor enim meam intemperantiam) cum Virgilio conferri mauis. quod ſanè, vbi tubam extuleris, fortaſſe faciam non grauatè. Sed his quoque miſſis, quæ mihi ad alia properanti tuus extorſit Oedipus, iam μικροψυχίαν tuam expoſtulabo, & ſanè grauiter. Cum enim tuum ſit iuuenes & ad eloquentiam informare, & omnem ſtyli virtutem ac varietatem edocere, déque bonis authoribus, vnde formandus ſit ac limandus, ſeriò admonere, exemplis etiam ex varijs Latinitatis authoribus rem confirmare, ac ſummatim tuum de Cicerone, Cæſare, Salluſtio, Liuio, Curtio, Suetonio aliíſque multis iudicium ac ſenſum non fateri modò ſed profiteri, quid tu amico optimo in hac re tota ſententiam occultas tuam? præſertim verò cum illud flagitarit, vt tuum hac de re iudicium ac ſententiam ingenuè ac rationibus quoque munitam exponas; præterea nihil. An nos in Homeri, Virgilij, Torquati Poëmate dubitauimus iudicium interponere, quod Græcorum ſubuerenda eſſet indignatio? minimè verò. nec tamen, dum ingenuè id facimus, ac ſine ſuco & fallacia, quicquam in nos reclamatum; dicerem cunctis, etiam Græcis, laborem noſtrum probatum, nobíſque ab omnibus ſucclamatum, niſi videri poſſem mihi ipſe canere. Quid? an non tu eundem Torquatum inter Atticum & Latinum Poëtam collocaſti medium? collocaſti ſanè: nec tibi id inuidiam conflauit vllam ſed laudem & erit qui iudicium reprehendat tuum quod candidè teſteris quid de Liuiano ſtylo aut etiam de illius Hiſtoria, ſi opus ſit, ſentias? Quid plura? cum Lipſius amicus atque alii plurimi tui ordinis ſpontè de Liuij ſtylo quin de tota eius Hiſtoria ſententiam promulgarint ſuam, & publicis literis teſtatam reliquerint: tu vnus iniquè feceris qui vix priuatis literis ac rogatus id attigeris? Vt omittam vel tibi (ſi ratio in conſilium adhibeatur) fuiſſe de Torquato, hoc eſt de Etruſco Poëta, ſilendum, cum Etruſcam Muſam, præſertim heroicam, nunquam colueris, vel certè de Liuio alacriter fatendum quid ſentias; cuius tu monimenta & pro tuo munere ſedulò euoluiſti, & pro memoriæ fœlicitate habes in promptu. Hæc expoſtulare volui non vt extorquerem tandem quod negas: ſed vt intelligeres ægrè culpam excuſari poſſe tuam. præſertim verò quòd dum apud nos altum de re hac ſilentium, vix credi poſſit iſtic tragædias excitari. Sed iam me præteruectum video epiſtolæ modum, quare cohibebo calamum. Etſi de ſucciſiuis ſcriptionibus meis optabam ad te aliquid: Comparationem enim vrgeo: ſcilicet vt illi faſtigium imponam, ac fidem liberem meam. quod vbi perfecero ne literulam quidem exarabo Italicè vt edatur, ſed referam me ad Latinas literas, vt iuuante numine typis mandentur quæ iamdiu recepi: inter quæ tamen auctarii loco erunt Commentarii in Virgilij Aeneidem, atque ij benè longi. Sed de his quoque, ne te virum occupatiſſimum diutius remorer, aliàs. Interim vt in bonam partem meam expoſtulationem accipias, te etiam atque etiam oro.

Quod ſi quando ad me ſcripſeris, quæſo te literas vni committas tabellario.

Vale. Datum Patauij
Prid. Id. Sextilis.
M. DC. XI.

FRAN-

FRANCISCO BARTHOLINO ADOLESCENTI optimo & ornatiſſimo.

Paulus Benius Salutem.

ME verò tuæ literæ, & ſi ſeriùs redditæ ſunt mirificè recrearũt: perſpexi enim te bene valere (id quod magnopere quidem optaram) ac toto pectore incumbere ad ſtudia doctrinarum, & eloquentiam in primis cum iuriſprudentia coniungere. Perge porrò: & ad virtutis metam qua ſoles contentione & alacritate contendito. niſi tamen imbecillitas corporis ſuadeat vt matures lentius. nam ſat ſcio tibi vel propter feruorem ingenii atque animi, vel propter corporis debilitatem, valetudinis rationem habendam, eſſe diligenter. De Venturellio nihil vnquam: de M. Antonio multo minùs. Itaque pergratum mihi feceris ſi quando tuo tamẽ cõmodo, de illis ad me aliquid perſcripſeris. neque enim aut obliuioſus videri velim, aut eos quaſi obliuioſos deſpicere. Victorius (quod facilè noſti) rediit in gratiã cum hero, quî cũ ſuperioribus menſibus Bononiam profectus eſt. quid poſtea ignoro: niſi tamen eum in Pannoniam ſecutus ſit: nam eò Collaltum Comitem audio profectum. Aſcanium Perſium virum ſanè egregium ac doctum, ſed in primis Græcæ, Latinæ, Italicæ linguæ peritiſſimum, mirificè diligo & colo. Tu mihi rem perquam gratiſſimam feceris, ſi ei meo nomine ſalutem plurimam dixeris, quod ſi etiam commodè ceciderit, (quî diu autem ceciderit cõmodè cum tu iamdiu Græcarum literarum, ſine quibus eloquentia pene iacet, ſis cupidiſſimus?) interdum illi operam dare ne graueris. Spero enim fore vt te nunquam pœniteat. Apud nos hîc frigidè omnia: pacata tamẽ: ita ut bellè agatur in Gymnaſio. vbi ego, ne te id cælem; multorum victus præcibus Virgilij Aeneidem explico: ita tamen vt ne Ariſtotelem è manibus deponam: ea enim lege id muneris ſubire placuit, vt Virgilium cũ Homero in Heroico artificio conferrem, atq; Heroici poëmatis condendi rationẽ ac viã commonſtrarem, quod Ariſtotelis præceptis atq; Homeri, Virgiliiq. exẽplis facimus. Hæc in præſens, vt ſaltẽ longior eſſem. Nã qđ ipſe videris neſcio quam deprecari culpã, id verò, cũ apud me a nemine accuſeris, quin culpa penitus vaces reticendum putaui. Vale, méque, vt facis, diligas, nam id mutuo ſemper facies. Datum Patauij XIII. Kalend. Ian. M. DC. V.

AD EVNDEM.

PErgratæ mihi tuæ literæ, præſertim verò quod me ſuſpicione quadam, & ea permoleſta, liberarunt: verebar enim ſuperbi animi crimen: quòd, niſi tandem meæ tibi redditæ eſſent, quidni ſubijſſem? quis enim niſi ſuperbus ac durus, ne dicam agreſtis, tuas ſpreuiſſet literas humanitatis officiiq. pleniſſimas? tu bellè quidem me certiorem feciſti: in quibus aliquid & lætor & miror: aliquid etiam doleo. Papę quam magna rerum commutatio? ſed mitto iſthæc. Illud me in tuis literis mirificè delectauit, quod intellexi te Perſio operam dare, & ſuauiſſima illius ſiue doctrina ſiue humanitate & conſuetudine frui. Quare non facilè mecum ipſe ſtatuerim num tibi magis gratuler, quòd Doctorem eruditiſſimum nactus ſis; vnde cum Græcis literis Latinam quoque eloquentiam haurias, qua tantopere delectaris, an illi, quod ingenium tuum quaſi fertiliſſimum agrum excolat, in quo Coloni optatis, etſi auidiſsimi, fructus reſpondere facilè poſsint. Perge igitur: ac tali tantóque bono diutiſsimè fruere: vt ab Clariſsimi Gymnaſij Doctoribus, ad quos tanquam ad optimarum artium mercaturam profectus, opulentiſsimus diſcedas tandem. Iam verò, illud te oro vt me Perſio meo vel potius noſtro de tam diuturno ſilentio purges: in me enim culpam agnoſco, & ſanè grauem: in eo nullam. Sed vt ſpero, damnum compenſabimus aliquando. Vale, atque illum meo nomine etiam atque etiam ſaluere iubeas,

Patauij. Prid. Kal. Mart.

ſcat oratio, id vero difficillimum. Et tamē hoc tibi vel maximè eſt enitendū, ac diurnis nocturniſq. vigilijs perficiendum, qui Patruum tuū, hoc eſt virum & acutum & perdiſertum tibi imitandum propoſuiſti. Perge igitur vt cœpiſti: atque omnino efficε vt inter dumeta & ſpinas (ſic enim Peripateticorum noſtrorum Logicam appellare ſoleo) & flores tibi extent ſuauiſſimi & fructus vberrimi, ſed de his aliàs. Nunc illud ſcito, me planè incolumē ex bimeſtri peregrinatione rediiſſe ac valere optimè: Theodorum tamen Romæ ſubſtitiſſe ex Neapolitano itinere ægrotantem. Supereſt vt ipſe de tuo quoque reditu me admoneas, præſertim verò vt intelligam num ante Kalend. Nouemb. ad nos venturus ſis: optarem enim vt inſtaurationi ſtudiorum intereſſes. Vale. Datum Patauij IX. kal. Nouemb. M. DC. IX.

IACOBO VEZZANO.

Paulus Benius S.

Accepi tuas literas, mi Vezzane, atque illas ſanè officij pleniſſimas & elegantiæ. Itaque non facilè mecum ipſe ſtatuerim, maiorem ne cœperim voluptatem ex ſignificatione amoris erga me tui, an ex Orationis munditia & venuſtate: vtraque certè mihi fuit iucundiſſima. Poëmata vix primoribus deguſtaui labris, cum mihi melliflua viſa ſunt, quæque ſuauitate ac lepore certent cum epiſtola. Sed de ijs pleniùs vbi inde hauſero altiùs: nunc enim primùm delata ſunt. Mitto ad te meum de Hiſtoria librum: qui ſanè qualis qualis ſit, index erit ac pignus beneuolentiæ erga te meæ. Quod ſi pro vincta Oratione ſolutam accipis, næ tu Glaucus eris, qui pro æreis aurea commutare non dubitaueris. De Griſanteo adoleſcente ornatiſſimo ac ſuauiſſimo nihil attinet dicere: iamdiu enim mihi ſuum ille ingenium mirificè probauit ac ſtudium, præſertim in vernaculo Poëmate, in quo ſine dubio ætatem ſuperat quamlongiſsimè. Illud tamen affirmauerim, fore vt mihi impoſterum & ſui & tui cauſa ſit charus. Vale Vezzane humaniſſime, ac me, quod inſtituiſti, etiam atque etiam diligas: id enim (mihi crede) mutuò ſemper feceris. Datum Patauij XIII. kal. Decemb. M. DC. XII.

IACOBO VEZZANO.

Paulus Benius S. D.

Ego verò ſtatim ac literas accepi quas Chryſanthæo dederas, & cum munuſculis coniunxeras, reſcripſi: ac meas eidem Chryſanthæo dedi vnà cum libris de Hiſtoria. Itaque nihil minùs ſuſpicabar quàm quod ſignificas. præſertim verò quòd me Chryſanthæus deinde tuo nomine ſalutaſſet ſæpiùs, affirmaſſetq. meos tibi commentariolos accidiſſe iucundiſſimos. Igitur vtrique noſtrum dolenda eſt amici vel fortuna vel culpa. Tibi, quòd meis de Hiſtoria libris carueris, cum eos, quales quales eſſent, exoptares ac flagitares. Mihi, quòd apud te ingrati animi crimē facilè ſubierim. Quid ni enim ingratus ac ſuperbus ab eo iudicer qui ſuam mihi humanitatem ac beneuolentiam egregiis & ingenii & officii monumentis declaraſſet probaſſetq. vehemēter? Sed ſarciamus damna. En literarum exemplum quas ad te miſeram. At μετὰ τὰς ἑορτάς, facilè dixerim. Fateor, ſed mihi quidem ingrati animi crimen quod ſemper horrui aut ſuperbiæ ſuſpicionem, ne dicam notam, a me vel ſeriùs depuliſſe per quam erit iucundiſſimum. Sed & Commentarios de Hiſtoria mittam vbi ſeſe obtulerit opportunitas: quam ſanè nanciſcar (vt ſpero) breui. Quamquam ſi tu (quod indicas) Patauium cogitas, quæſo te, conſcendas primo quoque tempore. iter enim breue, & percommodum adhuc: intermiſsio ſcholarum longa. Denique

meâ domus, etſi tibi patebit ſemper mi Vezzane; in præſens tamen in hoc ſui hoſpitis otio te hoſpitem optimum excipiet libentiſſimè. Quid? an non putas me de tua virtute ſæpiùs cogitaſſe? cogitaui ſanè perſæpè, atque ægrè tuli tantam ingenii vim in obſcuro eſſe, vel certè non in noſtra hac luce verſari. Ne igitur graue ſit quod cogitas, quamprimum explere: ſcitum enim illud

Audentes forſque Deúsque iuuat.

Quin Virtus, ne dicam fortuna infenſa iis qui nihil audent experiri: periclitantibus, amica ſæpè & proſpera, Vale, ac ne diutiùs hæream animo (hærebo enim ſemper, niſi meam tibi accuſationem probatam ex tuis literis perſpexerim) de accepta Epiſtola, déque tua voluntate me certiorem facias. Patauij X. Kal. Februarij. M. DC. XIV.

IACOBO VEZZANO VIRO ORNATISSIMO.

Paulus Benius S.

MIrabar equidem antèa, mi Vezzane, ac dolebam quod meas ſpes ſemel atque iterum feſelliſſes: nunc tamen excuſationem tuam accipio: video enim cunctationem neceſſitati aſcribendam quâcum ne Dij quidem, vt eſt apud Platonem, pugnare audent. Ac ſanè res familiares eæ ſunt quæ non facilè optatis noſtris reſpōdent, vſq; adeò curis ac moleſtij implicitę ſūt. Deniq; ſimplicior & cādidior tua eſt excuſatio quā vt mihi, hoc eſt tui amātiſſimo non vehementer probetur. Interim gaudeo quòd te Græcarum literarum percupidum ſentiam: ſunt enim vniuerſæ eruditionis fons, & ad liberales diſciplinas ſolidáſq. doctrinas aditus habent ampliſsimos. Quamquam vt in hac vitæ breuitate vtilitatis ratio habeatur ac temporis, illud te moneo; eos Authores diu noctúq. eſſe peruolutandos è quibus non modò linguæ cognitio verùm etiam doctrinarum præcepta & ornamenta hauriantur. Talis eſt Iſocrates, a quo præter elegantiam quæ in hoc Oratore & Philoſopho eſt maxima, vitæ præcepta mirificè enitent. Talis Dionyſius Halicarnaſſeus qui cum dicendi excellit laude tum ad Romanam antiquitatem nos informat egregiè. Atque huic affinis eſt Atrianus; hic enim ſic Alexandri ſcribit Hiſtoriam vt & perpolitus videri poſſit ac dulcis, & verò Græciæ atque Aſiæ monimenta nobis obiiciat. Talis denique Ariſtoteles cum in Rhetoricis cum maximè in Moralibus ac Politicis libris præſefert enim admirabilem Orationis proprietatem ac nitorem, ſimúlq. Eloquentiæ Ciuiliſq. prudentiæ præcepta ſic docet vt nihil perfectius. Scio Platonem ac Demoſthenem, Lucianum quoque, & ex Poëtis Ariſtophanem, eſſe Atticiſsimos: ſed tamen priores illi maiore cum doctrinarum queſtu compendióque, ac citiùs commodiúſque peragrentur. Sed de his tuus te admonebit Lector: quem quòd eximium inueneris ac delegeris lætor e quidē vehementer. Iam verò bellè etiam cecidit vt in Commentarium incideris quem ipſe non ita pridem emiſi in Ariſtotelis Poëticen: quæ enim illi præfigitur Epiſtola, librorum quos ſcripſimus, cathalogum continet œconomiámque omnem. Librum tamen emiſi paulò poſt quem certis de cauſis maximè velim vt perlegas, Italicè diſſerit: nec meo ſed Michaëlis Fontis nomine editus eſt. Facilè autem ad Boſii Equitis peruenerit manus, cum (quod tu ſcribis) ſic delectet librorum vanitas, vt Muſæum Regio penè inſtruat ſumptu. Fore etiam ſpero vt breui alia quædam ex opella noſtra ad te perueniant monumenta quæ interim excuduntur. Supereſt autem vt me in dies certiorem facias vbi ſis, atque inprimis qua ratione tutò meæ ad te perferantur: tuæ enim mihi, etſi ſeriùs quam velim redduntur, redduntur tamen. Vale atque harum tarditatem literarum ne mireris, quòd non ante Idus Octobris tuæ mihi allatæ ſint. Patauii XVI. Kal. Decemb. M. DC. XV.

IACO-

IACOBO VEZZANO VIRO OPTIMO & ornatiſsimo.

Paulus Benius S. D.

QVas ad me ſuperiore anno dediſti literas, has non accepi modò, verùm etiam & cupidiſſimè legi, & aſſeruo diligenter. Itaque nihil eſt cur ſuſpiceris tuum a me officium deſiderari, cum ei cumulatiſſimè ſatisfeceris. Quin etiam illud tibi perſuadeas velim, me de tua humanitate ac virtute ſæpè cogitare, téque vehementer diligere. Id quod literis etiam atque etiam declaraſſem in dies, niſi illud mihi ſignificaſſes, tibi certum eſſe & conſtitutum breui Romam proficiſci. Quid enim arctioribus beneuolentiæ nodis me illi obſtringam, cuius cõſuetudine mihi deinde carendum ſit? Ergo ſatius eſſe duxeram ſitim quam explere haud poſſem, compeſcere interim quàm excitare. Quamquam (vt verè fatear) quæ mihi epiſtola abs te hodie reddita eſt, meum iterum incendit pectus. Quid enim ſi fortè cogitationem illam aut voluntatem abieceris? Sed de his coram. Interim enim te expecto, & auidiſsimè: téque propterea obteſtor ne ſpem fallas meam. Ita quidẽ qui ſuperiore anno recuſaſti ad me aduentare cum ſperarem maximè, nunc inſperatus præſto eris. Interea ſic ſtatuas, meam domum tibi amico optimo ſic patere, vt Patauij ſine mei offenſione eam declinare haud poſsis. vbi etiam quoniam prope diẽ fiet ſcholarum intermiſsio & verò tui cauſa ocioſus eſſe peruelim, me planè vacuum atque omni opere ſolutum inuenies. Vale. Datum Patauij X V. Kalend. Februarij. M. DC. XV.

IACOBO VEZZANO AMICO OPTIMO.

Paulus Benius S.

DOleo ſanè tuam vicem mi Vezzane, ac tuas moleſtias, prout debeo, moleſtè fero. Quòd ſi eas dicendo abſtergere poſſem aut etiam lenire, longiores equidem ad te literas darem, atque adeò aures tuas obtunderem. Sed prohibet hoc orationis meæ ieiunitas ac ſuauitas. Illud tamen dicam, morbum tibi eò ferendum libentiùs, quod tale morbi genus longam ſanitatem afferre ſoleat. Sororis amiſsio remediũ habet nullum, ita vt neceſsitati pro tua prudentia parere debeas: præſertim verò quòd eo planè conſilio ad bonas artes ac doctrinas incumbimus, vt diſcamus aduerſam fortunam æquo perferre animo. ita quidem ad Muſæolum noſtrum ac libros quaſi ad portum confugiamus oportet ſi quid minùs acciderit proſperè. Denique ſic ſtatuo; eos qui diurnis nocturniſq. vigiliis doctrinarum euoluunt monumenta, atque optimis diſciplinis imbuunt pectus, minùs ſibi conſulere, ſi ad honores inde, ad diuitias, ac fluxa huius vitæ buna, magnopere aſpirent quæ plerunque ignaris obtingũt & imperitis. Itaque illud in primis ſpectandum, vt inde aduerſam fortunam, quod indocti nequeunt, celſo animo feramus ac moderatè. Id quod tibi interim omninò liceat, qui Græcè etiam doctus, ſuauiter in literis verſari poſsis, ac mœrorem eluere omnẽ. Supereſt vt tuum de perfectione conſilium probem; tametſi optãdum ſit ne interim ob quinquemeſtrem intercapedinem aut moram impediatur. Mihi certè tuus aduentus erit iucundiſsimus: tibi etiam, niſi mea ergo te voluntas optima authoritatis mediocritate vel potiùs tenuitate prohibeatur, non inutilis: & verò ad animum in hoc doctrinarum Theatro altiùs excolendum, peropportunus. Cura vt valeas. Datum Patauij I I I. Kal. Maij.

M. DC. X V I.

PERIL-

Digitized by Google

PERILLVSTRI ET EXCELLENTISS. VIRO Franciſco Franco Vtinenſi Aquileiæ Canonico ornatiſſimo, & Patriarchatus Generali Vicario digniſſimo.

Pro Petro Prato Vtinenſi.

CVM triennio toto Philoſophiæ operam nauauerim, ac propterea mecum ipſe tandē ſtatuerim, ingenioli mei ſpecimen aliquod præbere, ac, ſi fieri poſſit; laborum quos in Philoſophico puluere atq; curriculo ſuſtinui, aliquos fructus referre haſce mihi theſes proponendas exiſtimaui, quas Patauij pro virili parte mea publicè defenderem. Eò tamen interim mentem cogitationémq. conieci, vt eas alicui dicarem, qui tum Doctrina ac Virtute, tum Nobilitate atque Authoritate; ſed in primis meritis ac Chriſtiana pietate, excelleret. Itaque tu mihi ſtatim veniſti in mentem Franche optime, qui non modò Iuriſprudentiæ ac Theologiæ laude flores, & in Aquileienſi Eccleſia Canonicatus ſplendore ac Virtutis meritorúmque gloria fulges, verùm etiam ob egregiam pietatem ac rerum gerendarum experientiam & dexteritatem ab Illuſtriſſimo & Reuerēdiſſimo Patriarcha Vicarius Generalis conſtitutus es. Quídni igitur eas tibi dicem, ac ſub tui nominis auſpicijs haſce vigilias edam? præſertim verò quòd mihi Patronum optimum fore magnopere & ſperem & cupiam: Age dum igitur humaniſſime & ornatiſſime Franche, ne graueris meas lucubrationes, quales quales ſint, hilari fronte excipere, méque in eorū numerum referre, qui cum te vnicè obſeruant & diligunt, Virtutémque tuam admirantur, tum verò tua veſtigia, ſed quid dico veſtigia? tuum ſplendorem ac decus, veluti fulgentiſſimum Patriæ noſtræ ſydus ſpectandum, ac, ſi quomodo fieri poſſit, imitandum exiſtimant. Ita ſanè, vbi ſenſero meum hoc officium tibi non iniucundum, quin, quod tua mihi probitas ſuadet ac pollicetur, pergratum, cecidiſſe, præcipuum laborum meorum fructum me percepiſſe, & diurnas nocturnáſve vigilias fœliciter collocaſſe, iudicauero. Vale. Datum Patauii Prid. kal. Maii. M. DC. XVI.

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. PRINCIPI Hippolyto Aldobrandino, Abbati generoſiſſimo atque Heroicarum virtutum laude cumulatiſſimo.

Pro Iohanne Baptiſta Typographo.

CVM præſens hoc monumentū typis exprimere decreuiſſem vt de more interim honeſto hoc labore meæ paupertati proſpicerem, illud etiā venit in mentem vt illud, vel quia argumentum cōtinet pulcherrimū, vel quia ab Authore honeſtiſſimo ac doctrinæ laude clariſſimo proficiſcitur, tibi Princeps Illuſtriſſime & Excellentiſſime dicarem. Quídni enim hæc etiam paupertati meæ conſulam, ſi quo modo poſſim? Aut cur non omnino ſperem fore vt parem in te cum nobilitate ac virtute, vel potiùs cū Heroicis virtutibus Heroicáque nobilitate, pietatem ac liberalitatem experiar? Denique Priſci illius ſapientis dictum Δός τι, καὶ λάβε τι, mihi quidem digniſſimum videri ſolet tum ijs qui fortunæ bonis ſpoliati, diurnis nocturniſque laboribus victum quæritant: tum ijs, qui cum fortunæ bonis abundent, alienis incōmodis & egeſtati ſubſidio eſſe & poſſunt & debent: præſertim verò cum illis ea dicantur quæ & honeſtiſſimam voluptatem per ſe afferunt, & verò ad prudentiam ac ſapientiam mirificè conferre poſſunt. Excipe igitur Illuſtriſſime & Excellentiſſime Princeps venuſtum hūc

libellum

libellum in quo quicquid de mari quæri poteſt vel explicari, quæritur explicatúrq. copioſè. Atque interim viue fœlix, ac te Maiorum tuorum ſplendori, optimarum artium ſtudijs, Vrbis huius Florentiſſimæ, atque adeò Sereniſſimæ Reipublicæ amori Chriſtianæque Eccleſiæ dignitati & vtilitati, cui vel maximè natus es, diù ſerues incolumem. Datum Patauij X. Kal. Octobris M. DC. XIII.

SIXTO V. PONT. MAX.

Pro Capitulo & Clero.

NON poſſumus non libenter amplecti ſingularem in nos Beatitudinis veſtræ benignitatem, qua Illuſtriſſimum Paſtorem noſtrum Ioãnem Franciſcum Maurocenum in Cardinalium numerum cooptauit. Vt enim egregium Senatorem prius, tum verò vigilantiſſimum Præſulem fuiſſe perſpeximus, ita etiam ampliſſimum hunc honoris gradum quo auctus & cohoneſtatus eſt, magno cum Ciuitatis noſtrę bono, totiúsq. in primis Cleri huius fructu ac dignitate, Venetæ quoque Reipub. ornamento ac ſplendore fore, non dubitamus. Nam quàm magnam Chriſtianæ Reipublicæ vtilitatem in dies magis ac magis allaturum eum ſperemus nihil eſt quod tuæ commemoremus Sanctitati, quæ tum excellentem eius prudentiam pari cum pietate ac probitate coniunctam optimè perſpexiſſe, tum præſertim incredibilem eiuſdem rerum gerendarum experientiam atque cognitionem magnopere probaſſe oſtẽdit. Quamobrem ſupereſt vt Reip. Chriſtianæ bonisque omnibus ſummopere gratulemur tibíque in primis, Pater Beatiſſime, immortales gratias agamus. Dum enim admirabili Sanctitatis Veſtræ Prudentia & Charitate Brixienſem paſtorem tam præclaro beneficio affectum & eximio ſplendore illuſtratum, cernimus, intelligimus profectò hinc in Brixienſem quoque gregem, Eccleſiaſticúmque ordinem maximè, non exiguam huiuſce beneficij partem deriuari. Interim ordinem hunc vniuerſum ſingulari Beatitudinis Veſtræ patrocinio ſupplices commendamus: & qua debemus animi demiſſione ſanctitatis veſtrę pedes deoſculãres, Deum ſupplices deprecamur, vt illam etiam atque etiam ſeruet incolumem & ad ſummam eandem perducat beatitudinem.

ILLVSTRISS. ET EXCELLENTISS. PRINCIPI N. N.

QVotidie pelluntur (de Genethliacis inquit Tacitus) quotidie reuocantur. Ego verò contra; quotidie vocor, quotidie pellor. Qua de cauſa haud ſcio. Illud certè ſcio, Illuſtriſſime Princeps, me nullum officij genus prætermiſiſſe vnde & tibi & tuis internuncijs gratificarer, ac voluntatem meam optimam declararem. Nunc clauſula hæc ſit. Ego quidem te in poſterum etſi precibus ac muneribus accerſitus non accedam, domi tamen ſi tu ad me veneris vt receperas nouum docendi ſeu dicendi initium faciam: alioquin quoniam fidem meam liberauero, Siſypheum hoc ſaxum diutius mihi voluendum haud puto. Vale Princeps optime: ac me per nuncium, quicquid omnino ſtatuas quàmprimum certiorem facere ne graueris.

IOHAN-

IOHANNI HIERONYMO GAMBIO SERVITAE,
Patri optimo, & ſacræ Theologiæ Magiſtro ornatiſſimo, Concionatoriq. celeberrimo.

Pro Fratre Octauiano Ferrarienſi Seruita.

EGO verò tantum me tibi debere & ſentio & fateor, ornatiſſime Gambi, quantum nec perſoluere vnquam poſſim, nec verbis complecti ſatis queam & explicare. Denique quantum homo homini obſtringi poteſt, tantum me tibi obſtrictum atque deuinctum eſſe profiteor. Et quidem ſi parentibus multum debemus quòd ab eis ſecundùm Deum accepimus vt ſimus ac viuamus, quidni ei plurimũ tribuamus a quo accepimus vt benè ſimus, atque inter Dei famulos referamur? Ego ſanè tua opera, Pater optime, in hanc Religioſam familiam ſum cooptatus: a te humanis diuiníſque doctrinis ſtrenuè ac peramanter ímbutus: tuis religioſis hortationibus ac monitis quotidie magis ac magis in via Domini confirmatus: in primíſque tuæ ſanctimoniæ ac probitatis exemplis quibus mihi præluxiſti ſemper, ad virtutem excitatus. Vt propterea ſi quid in me eſt, quod tamẽ longè exiguum eſſe & ſentio & doleo, id ego Paternæ beneuolentiæ tuæ & charitati acceptum referre debeam. Non committam igitur vt cum Theologicas haſce theſes edere decreuerim, non Paternitati tuæ illas dedicem; aut etiam ſub alio quàm tui nominis patrocinio ad eas tuendas in arenam deſcendam. Accipe igitur Pater religioſiſſime, atque ornatiſſime, mecum hoc, quale quale ſit, erga te obſeruantiæ pignus: ídque eò libentiùs quòd quicquid tuemut, id ex Beati Thomæ doctrina, cuius tu interpres ſtudioſiſſimus & defenſor acerrimus ſemper fuiſti, tuemur ac diſputamus. Quod ſi per ſummas occupationes quibus publicè, vel in Sacræ Theologiæ explanatione vel in diuini verbi prædicatione Ferrariæ deſtineris, noſtras tibi licuerit Theſes percurrere, id verò certo ſcias nobis iucundum quàm quod iucundiſſimum fore. Vale. Datum Patauij XIV. Kalend. Ianuarij M. DC. XIV.

SERENISSIMO FRANCISCO MARIAE II. VRBINATIVM DVCI VI.

Paulus Benius Eugubinus fœlicitatem.

CVR Celſitudini tuæ dicauerim meum hoc monumentum, is facilè intelliget, cui perſpectum ſit qualis tu Dux Sereniſſime, in optimis doctrinis progreſſus feceris: vel quantas præclarum hoc Ariſtotelis opus habeat ſalebras & difficultates. ſtatim enim fatebitur tuo planè ingenio ac ſapientia eſſe digniſſimum. Quod ſi huic perſpecta quoque fuerit mea erga te obſeruantia ſingularis ac veneratio, is ſanè conſilium meum non agnoſcet modò, ſed probabit, opinor, laudabitq. mirificè.

Quamquam illud etiam ſtatim ex me requiret ac ſciſcitabitur, quod tu fortaſſe, Princeps optime ac ſapientiſſime, pro tua incredibili prudentia atque animi moderatione afferre non auderes. Cur ſcilicet ipſe non multò antea lucubratione aliqua meam erga te venerationem & obſeruantiam teſtatus ſim. An non viceſimus annus agitur ex quo tu varias lucubrationes publicis literis conſignare cœpiſti? Nónne agrorum inſtar quotannis aliquem ingenioli tui fructum procreare ac mortalibus extare voluiſti? Cur igitur is quem maximè omnium inter mortales obſeruas & colis (ac iurè quidem colis) non modò ſeriùs quàm par erat, ſed poſtremus omnium, pignus ac monumentum obſeruantiæ excipit tuæ?

Grauis

Digitized by Google

Grauis ſanè poſtulatio, vel potiùs accuſatio: ſed quam tamen comprimam, vt ſpe-
ro, ac mira facilitate diſſoluam. Ergo vigeſimus agitur annus ex quo commentatio-
nes varias in lucem proferre cæpi, fateor. Quotannis opus aliquod vigiliarum mea-
rum in publicum emiſi: non inficior. Sed tamen illud etiam veriſsimè affirmare
poſſum, me nunquam antea perſectum opus vllum & abſolutum exaraſſe aut literis
conſignaſſe: hoc primum eſſe quod reuera abſolutum ſit atque perſectum. Mirabi-
tur id ſortaſſe quiſpiam, atque adeò incredibile eſſe clamabit & commentitium. Er-
go vt me inuidia eximam omni, rem demonſtrabo planiùs.

Principiò quidem librum emiſi ſeu Dialogũ in quo diſputabatur A N ſiue Acto-
ri, ſiue Reo, & in vniuersùm Oratori ingenuo; liceat in iudicijs & concionibus affe-
ctus concitare, ac iudicum animos flectere & permittere. Vbi ſanè rem ſic peregi,
vt diſceptationem ac iudicium ad proximas diſputationes reijcerem quas in Ariſtote
lis Rhetoricen inſtituebam. quas ſanè diſputationes conſeci equidem; ſed tamen cũ
ijs commentatijs coniungendas cenſui quos in Ariſtotelis Rhetoricam ſcriberem.
Ita quidem cum eiuſmodi Commentarios nondum vulgauerim (vulgabo tamẽ bre-
ui, benè iuuante Deo, ac ſorſitan intra paucos menſes) inchoatum veriùs quàm abſo-
lutum reliqui eum dialogum.

Paulò poſt in Platonis Timæum, hoc eſt in Naturalem omnem atque diuinã Pla-
tonis & Ariſtotelis Philoſophiam, triginta libros conſcripſimus: è quibus primã De-
cadem vulgauimus priùs. cúmque mox ad reliquas duas feſtinarem, iámque operæ
vrgerentur ſtrenuè, ecce tibi a Clemente VIII. iuſſus naturalem Ariſtotelis Philoſo-
phiã in Almo Vrbis Gymnaſio explicare, inſtituto labore ſuperſedere cogor, & De-
cadem ſecundam in medijs veluti ſpatijs deſtituere. Et quamquam ſæpè animũ ea
ſubiit cogitatio, vt primo quoque tempore Decades illas abſoluerem, vel potiùs ede-
rem, prohibitus tamen ſum vel occupationibus grauiſſimis, vel ſumptibus propè im
menſis, vel librariorum cunctatione vel ætate aut potiùs ſenectute, cui ſæpè affecta
acceſsit valetudo. Et tamen Dei beneficio fore ſperamus vt intra biennium ſpiſſum
hoc opus ac monumentum ampliſsimum ad tuas Sereniſsimíque Principis manus
perfectum atque omni ex parte abſolutum perueniat, ac publicæ poſterorum me-
moriæ conſignetur.

Porrò autem non multò poſt de Eccleſiaſticis Baronij Cardinalis Annalibus &
quàm egregiam Theologiæ ſtudiis ac Dei Eccleſiæ vtilitatem afferrent, libellũ con-
ſcripſi. In quo ſanè cum ad extremùm earum capita Dubitationum propoſuiſſem,
quibus mihi reſpondendum eſſet, vt quos tantopere celebrarem Annales, ab obtre-
ctationibus ac reprehenſionibus vindicarem; ſactum eſt vt ſcriptionem reliquã non
modò intermiſerim, ſed penitus prætermiſerim. Dum enim poſteriora Annalium
volumina (ſex enim tantùm ediderat Baronius eo tempore) præſtolor vt cumulatiùs
fidem liberem meam, facilè ſentio quam velox ſit hominis deliberatio ac propoſitũ:
opus contrà quàm ſerum ac tardum. ita vt cum celeri conſilio, pede claudo reſpon-
deat artiſex, acutè profectò ac ſcitè opificum Principem Vulcanum pede læſum &
claudum figuret ac fingat Antiquitas.

De Ferrarienſi quoque expeditione ad Clemẽtem VIII. exarauimus libros duos:
qui omnibus abſoluti numeris inde mediusfidius videri poſsint, quòd & exitus iudi-
cio ſententiaéq. noſtræ ſtatim omni ex parte reſpondit: & verò munificentiſsimus il-
le Pontifex mox nobis tum literariæ militiæ ſtipendium longè auxit, tum pẽſionem
vnam atque alteram gratificatus eſt: maioribus nos beneficiis cumulaturus, niſi pau
lò poſt nobiliſsimam Patauinam Academiam Romanæ prætuliſſem. Sed tamen (vt
fatear id quod eſt) tertius quem identidem promittebam liber, in eo quoque opere
deſideratur. Itaque cum Vincentius Pinellus, hoc eſt curioſiſsimus atque acerrimus
reconditæ ſcriptionis conquiſitor, eos libros (quos tamen legendi tantùm cauſa com
modaram) per amanuenſes clam deſcripſiſſet, &, vt fit, amicis aliquando oſtẽdiſſet,
eorúmq. copiam feciſſet Principibus quibuſdam viris, factum profectò eſt, vt multi
tertium a me efflagitent, quem ne inchoaui quidem vnquam, tantum abeſt vt
perfecerim.

Sed & interim de Tyberinis elunionibus, déque optima illarum arcendarum ra-
tione, duos libros (vernaculo tamen ſermone) emiſimus: in quibus tum multa ſi-
luimus

luimus quæ partim Clementi VIII. coram expoſuimus, partim experimentis ac ſcriptis inſuper demõſtrare aggrediebamur; cum a Sereniſſima Republica Veneta ad Patauinum Gymnaſium perhonorificis cõditionibus inuitati, cum Medoaco Tyberim commutantes, opus imperfectum reliquimus.

Atque Patauii de Comœdia & Tragędia metrorum vinculis ſoluenda librũ confeci primo. in quo dum pugno, Non poſſe ſatis, niſi ſoluta oratione, aut illarum decorem ac dignitatem retineri: aut ſolidam vtilitatem honeſtámque voluptatem percipi; multa ſanè quæ mihi altiùs comprobāda eſſent & cõfirmanda, reijcere cogor ad hos ipſos quos tunc meditabar, nunc verò peruulgo, Commentarios in Poëticā Ariſtotelis; ita vt ne ille quidem liber expletus ſit vndique atque perfectus.

Cum verò hunc edidiſſem librum, ecce tibi, vt me obtrectatoris moleſtia eximā, qui in me inueheretur & ſcriberet; librum alterum celeriter elucubrari cogor, quo aduerſarij conatus, publicas quaſdam eius vigilias coarguens, anteuerterem. Interim tamen vix in priorem monumenti illius partem dubitationes vulgaui meas, cum aduerſarius conquieuit, mecúmque, vt perhumaniter cum eo egeram, & inter diſputandum honorificè illum tractaueram, in gratiam redijt. itaque imperfectum apparere malui librum, quàm non amicitiam pro virili parte mea tueri & edere.

Iam verò quid de Comparatione dicam, qua Torquatum Taſſum, egregium illud Heroici Poëmatis lumen, cum Homero & Virgilio contuli, vt Heroici Poëmatis lumen, cum Homero & Virgilio contuli, vt Heroici Poëmatis palmam illi omnino deferendam eſſe oſtenderem? Hanc profectò, cum ea perorassem quæ ad Inuentionem pertinent, & ad Diſpoſitionem vix aggreſſus eſſem, publicaui. dum enim amicis reſiſtere haud valeo, qui illam enixè petunt, ſeu veriùs impatientes moræ extorquent, nec mihi ipſi, qui abſoluere illam cuperem, ſed aliorum voluntati ſatisfacio, caput ac pectus offert quidem, cæteris membris mutila prodit vel deſtituta. Et quamuis nunc tandem tres huic monumento libros addiderim, ita vt Comparatio alicui abſoluta videri poſſit, verè tamen quæ pars ad Elocutionem pertinet, deſideratur: & ad Heroicum Torquati Poëma in quod Notationes ſeu Commentarios paramus, a nobis reijcitur.

Quod ſi interea huiuſmodi Notationes in nonnullorum manus emanare cœperunt, hæ quoque inchoatæ ſunt tantummodo, vix vt caput appareat. Tametſi hę quidem (vt ingenuè fatear) nobis inuitis emanarunt. cum enim furto è Muſæo vnà cũ carminibus quibuſdam ac vigilijs id genus aliis, ſublatæ nobis fuerint, factum eſt vt ſerpere cœperint ac per cuniculos diuulgari, Sed, vt ſpero, breui ab Authore illæ ſuo in meliorem formam redigentur & emittentur.

Atque idem fermè dixerim de Commentariis quos in Virgilii Aeneidem confecimus. etenim præterquam quod publicam lucem ignorant adhuc, in ſexto libro terminantur, ita vt in mediis ſubſtiterint ſpatiis.

At quid de libris quos de Hiſtoria ſcripſiſti ac poſteritati commendaſti? An non integri ſunt atque perfecti? Nónne ad Romanam Græcam, Barbaram nos Hiſtoriā abundè inſtituunt, vt ex ordine intelligentérque illam euoluamus? Inſtituunt; fateor: & de tota Hiſtoriæ vi & natura docent: & Controuerſias quæ ſeſe obiiciunt, expediunt, & quî pro dignitate vel iudicari vel ſcribi poſſit oſtendunt; legibus etiā promulgatis, & vtilitate quæ ex Hiſtoriæ tractatione in omnes hominum ordines emanare poteſt, commonſtrata. Sed tamen ad poſteriora ſecula non deſcendimus. Cum enim mihi non liceret eas perluſtrare hiſtorias quæ vernaculis tantùm, iiſque longè variis, multarum gentium linguis continentur, ſatius duxi hac in re lampada iis tradere quibus & ſuppeteret ocium, & verò earum linguarum non deeſſet cognitio.

Quod ſi pro Italica lingua (ſucciſiuo nimirum tempori ac manſuetioribus ſtudiis indulgentes vt amicis gratificaremur) edito libro certauimus ac ſeculi huius ſtylum priſco longè præſtare, quin veterem impolitum ac rudem, noſtrum ſuauem & elegantem, eſſe docuimus, id verò in ſoluta oratione tantùm oſtendimus, de carmine adhuc ne verbum quidem. Quid plura? cum hac de cauſa quadripartitam aut etiam quinquepartitam Diſputationem meditarer, primam tantùm partem expleui. In qua etiam, etſi apud æquos rerum æſtimatores & veritatis amatores ingentē plauſum Italia tota gratiâmque collegimus, talem tamen ac tantam inuidiam (vt Solis

ſplen-

ſplendor, licet ſalutaris, ægros offendit oculos: ac Veritas quò clarior eò maius odiũ parit) ſubticimus apud aliquos, vt reliquas huius operis partes, quamuis honeſtiſſimas atque pulcherrimas, non modò non vrgebam, ſed vel promiſiſſe pœniteat. Et quamquam vndique ferè efflagitentur, & vt fidem liberem inſtent non amici modò ſed ignoti etiam, malim tamen opus ingenuis viris & eruditis grauiſſimum & optatiſſimum deferere, quàm inuidiam offenſionéſque diurnis nocturniſque vigiliis atque laboribus tanquam mercari. præſertim verò quòd (vt video) cum iis agimus qui eò irritantur magis & exulcerantur, quò magis ſe perſpicuis argumentis coargui ſentiunt atque conuinci. Et quanquam honeſtatem adamanti virtutémque ſectanti, & Cynicos, & Momos floccifacere licet atque deſpicere, (VIRTVS enim ac VERITAS Inuidiæ ac Furori ſuperior tandem exiſtat neceſſe eſt) proindéque haud cunctãdum mortales iuuare quòd maledici caninos dentes acuant, ac virus euomant, ſiue (vt dicam planiùs) conuicia veluti è plauſtris effundant pro argumentis, veruntamen alienæ iracundiæ atque furori aliquid concedere, imò verò prorſus ignoſcere, quin eorum vicem tanquam delirantium dolere, cum celſi animi eſt ac nobilis tum Chriſtiani vel maximè.

Ad extremùm quinquaginta Orationes (quarum etiam exempla ad te Dux Sereniſſime mittimus) poſteritati hominum ac memoriæ conſignaui, nec tamen quod optaueram ac mihi propoſueram explere potui; vt ſcilicet continenter Epiſtolas, Epitaphia, Epigrammata, illis adiungerem typíſque mandarem. Itaque hæc quoque polliceri tandem potui, perficere certè non potui.

Quis igitur non animaduertat veriſſimè illud a me fuiſſe ab initio pronunciatum, quæ ante hoſce Commentarios edidi non tam omnibus eſſe abſoluta nůmeris quã inchoata: proíndeque nunc primùm, quoniam Ariſtoteleam Poëticam omni ex parte explanaui, & ab initio ad finem vſque pro virili parte mea dilucidaui, idque centum inſuper Poëticas Controuerſias diſceptans vt ne dubitationem vllam diſſimularem, abſolutum opus promulgaſſe?

Quæ cum ita ſint, iam nec quiſquam, opinor, tarditatem reprehendet meam & cunctationem quæ obſeruantiam refert venerationémque ſingularem, nec tu, Dux Sereniſſime, monumentum quod Celſitudini tuæ ſexagenarius, do, dono, ac dico, niſi celſo gratóque animo (quod bonum, fœlix, fauſtúmque ſit) atque hilari fronte excipies. Vale Dux optime: téque Principi ſuauiſſimo ac nobis omnibus diu incolumen ſerua. Datum Patauii Idibus Iulij M. DC. XIII.

ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. D.D. IOHANNI Delphino Abbati & Canonico ſplendidiſſimo.

Pro Ioſepho Fontana.

NOn te fugit, Abbas Illuſtriſs. ac Reuerendiſs. eum qui in arenam deſcendat certaturus, rectè facere, ſi Patronum ſibi deligat, qui præſto illi ſit, & conſilio atque authoritate, quaſi telo & clypeo, eum confirmet ac muniat. Cum igitur mihi Iuriſprudentiæ lauream a præclariſſimo Iuriſconſultorum Collegio poſtulanti, mandatũ fuerit, vt de more priùs literarum certamen ſubirem, & in Cæſarei Pontificiíque Iuris campo mearum virium, quales quales illæ ſint, ſpecimen darem, haud mihi cõmittendũ putaui, vt ſine ſtrenuo aliquo laudatiſſimóque Patrono ex vmbra in Solem proditem & cum hoſte congrederer. Qua in re non magnopere mihi cogitandum fuit aut circũſpiciendum quem maximè deligerem. Tú enim Delphine optime ac ſtrenuiſſime occurrebas inprimis, in quo eximia ſiue nobilitatis ac generoſitatis, ſiue ingenii atq; doctrinæ, ſiue denique pietatis ac probitatis elucent ornamenta, quique in non diſſimili certandi genere magna cum gloria ſæpè verſatus es. Etenim ſat ſcio te non ita pridem ad Iuriſprudentiæ ac Theologiæ lauream ac laudem, quam etiam non ſine in-

V genti

Digitized by Google

genti omnium approbatione ac præconio adeptus es, aſpirantem & contendentem, præ ingenii ac doctrinæ magnitudine fuiſſe ſemper

Et dictis vrgere, & reſpondere paratum:

ita vt victor paſſim ac magna cum gloria diſcedens, eximiæ eruditionis admirabiliſque ſcientiæ atque virtutis ſignificationem dederis. Quæ cum ita ſint, ad te confugio, vir fortiſſime: tuum patrocinium flagito, Abbas ornatiſſime: ac Iohannis Delphini authoritatem & nomen, quod fœlix, fauſtúmque ſit; mihi, cum athletis fortiſſimis certaturo, incredibili adiumento fore haud dubitans, has tibi theſes, quas obſeruantiæ quoque ac venerationis argumentum eſſe velim & pignus, do, dono, & dico. Vale & quamdiutiſſimè Vale. Datum Patauij Idibus Ianuarij M. DC. XVIII.

AVRELIO PALAZOLO.

Paulus Benius S. P. D.

TV verò, Aureli Ornatiſſime, tuis me literis mirificè recreaſti: panegyrico aut munuſculo propè beaſti. Quid ni enim ijs literis reficiar ac recreer, ex quibus perſpexerim te rectè valere, ac negocium illud diligenter curare, quo noſtra dignitas agitur, atque adeò reliquæ vitæ meæ præſidium ac decus continetur? Aut cur tu, cum a me vnicè diligaris, eo panegyrico non me beaueris, in quo virtutis tuæ monumentum pulcherrimum & eloquentiæ pleniſſimum mihi extare voluiſti? præſertim verò cum fore ſperem, vt quos ingenij fœtus vel domi alis ac literis condis, vel foues animo, hos indies non ſine magno hominum bono in lucem prodire patiaris? Itaque tuâ mihi epiſtolâ nectar, panegyrico ambroſiam, propinaſti. Quanquam de panegyrico fortaſſe aliàs, multa enim, vt video, complectitur paucis: ita vt non modò iterùm ac tertiò, quod ſanè feci, mihi ſit perlegendus, ſed ſepties, amanti præſertim, ſit repetendus. Denique ſic meas implet aures & capit, ſic delectat animum, ac pectus perfundit voluptate, vt ſuſpicere illum cogar, & ſine ſatietate mirari. Interea ingentes, prout debeo, tibi gratias ago: quas aliquando etiam teferam, ſi quo modo potero.

Bidellus noſter, heſterna die Venetias ſe contulit, accerſitus, vt aiebat, a Triumuiris literarijs ob Gymnaſij negocia. Conuenient igitur, ac fortaſſe ſupplicem quem obtuli libellum (obtuli autem Marcheſino qui a ſecretis eſt) audient, & decreto munient ſuo. Te igitur, mi Aureli, obſecro & obteſtor, vt primo quoque tempore ſupplex ſis Mecœnati noſtro Ampliſsimo, vt honorificum mihi ſtipendium, tertia ſcilicet parte auctum, decernatur. Vale Palazole candidiſsime: ac me negociúmque meum Bruſonio noſtro, ſi opus ſit, etiam atque etiam commenda. Patauij IX. Cal. Februarij M. DC. XVIII.

NICOLAO VALERIO SENATORI ORNATISSIMO atque optimo.

Antonius Carminatus.

NVnquam mecum ipſe reputo (reputo autem ſæpiſsimè) tuum erga Rempublicam ſtudium ſingulare, admirabilémque charitatem, quin te etiam atque etiam ſuſpiciam & diligam: præſertim verò cū animaduerterim te immatura propemodum ætate maturos ac ſuauiſsimos fructus Patriæ, quam vnicè diligis, offerre cœpiſſe. Hac igitur de cauſa vix Patauinum Gymnaſium, in quo aliquot annos verſatus ſum, reliqui, & Venetijs forum frequentare cœpi, cum de te audiens, téque ab om-

omnibus celebrariintelligens,non potui non tuam virtutem obſeruare & colere, ac
ſimul opportunam occaſionem optare vnde me meámque familiam in tua clientela
& patrocinio collocarem. Quid plura? cum ſuperioribus menſibus Michaël Zanar-
dus Theologus ac Philoſophus clariſsimus ſuas. ille ex Philoſophiæ ac Theologiæ
penetralibus deprompta vigilias mihi perlegendas, pro ea quæ inter nos intercedit
familiaritas, obtuliſſet; atque illas ipſe pro ingenioli mei tenuitate deguſtare cœpiſ-
ſem, aptiſsimas eſſe iudicaui quas, ſi per eum mihi liceret, tibi dicarem, méque hoc
officii genere hac obſeruantiæ ſignificatione, tibi deuinctum oſtenderem: id quod eò
vehementiùs cupiebam, eo ardentiùs animo agitabam, quod multorum ſermone
percepiſſem, eiuſmodi lucubrationes ingenio ac doctrina eſſe pleniſsimas. Illum igi-
tur adiui, enixéque rogaui, vt hanc mihi poteſtatem facere, ac pro noſtra neceſsitudi-
ne optatis meis ſatisfacere, ne grauaretur. Quid moror? Tanta animi aſſenſione ac vo
luntate id conceſsit, ac tribuit, vt diceret ſe in lucro maximè ac ſingularis beneficii lo-
co id ponere & reputare Nicolaum Valerium (inquit) adoleſcentem Patauii pri-
mùm ipſe perſpexi Gymnaſium diligenter dum frequentarat in celeberrima Recu-
peratorum Academia magno cum omnium plauſu diſſerentem audiui, enim inſu-
per intellexi non modò eloquentiæ ac Philoſophiæ ſtudiis animum excoluiſſe, ve-
rùm etiam Sacram Theologiam attigiſſe. ſed & eundem, dum Venetiis verſor video
quotidie in hac luce hominum publicè priuatímque pro Patria laborare ac deſudare,
itaut omnibus ſit carus, in oculis feratur ab omnibus, nemo non ei proſpera & fœli-
cia exoptet omnia. Et ipſe non auidiſsime exoptabo meas illi lucubrationes dicari?
Agedum igitur Antoni ſub fœlicibus Nicolai Valerii auſpiciis illas edito, ac nos eius
amori, tutelæ, ac patrocinio, quod fœlix fauſtúmque ſit, adiicito. ſic iſte. Vt propterea
me perbeatum exiſtimauerim, qui tandem talem ac tantam opportunitatem nactus
eſſem vnde me tibi dicarem; quod nunc præclara hæc tibi monumenta offerens, cu-
pidiſsimè facio. Vale. Datum Venetiis Kal. Aprilis M.DC.XX.

CAMILLO VENANTIO. S.

QVod enixè a te flagitaueram vt de inter regno iſto me certiorem
faceres, quique nobiles ſpargerētur rumores, quæ ſpes eſſet præ-
cipua, cui maximè clauus Eccleſiæ deferēdus & Chriſtianæ Rei-
publicæ gubernacula committenda viderentur, ad me perſcribe-
res, id egregiè tu quidem præſtitiſti Camille optime. Sed dū tuas
literas perlego, dum attentè momenta rerum æſtimo, ecce tibi re-
pente de Bononienſis Eccleſiæ Archiepiſcopo & Cardinali affer-
tur nuncius, & Gregorii XV. nomine, quod fœlix ſanſtúmque ſit, Summus Pontifex
renunciatur. O factum egregium ac ſingulare, ſiue celeritatem electionis, ſiue miram
Patrum conſenſionem, ſiue Paſtorem ipſum, ſpectes. Ego ſanè Adoleſcens primùm
Adoleſcentem illum noui, dum Bononiæ Theologiæ ponerem tyrocinia. Memini
enim me illum ſæpè cum grauiſsimis Gymnaſii Doctoribus congredientem cerne-
re, ac de iis, quæ iam tum a Doctore exceperat, acriter nec ſine magna Auditorum
frequentia diſputantem: itaut inter eos qui Iuriſprudentiæ operam darent, optimè
audiret, atque ingenii, doctrinæ, ac diligentiæ laude ſummopere commendaretur.
Nec multò poſt cum inde Patauium profectus eſſem ac Romam poſt Quinquen-
nium rediiſſem, eundem in iſta luce hominum ac Gentium Theatro agnoui, vbi va-
riis dignitatis muneribus perfunctus eſt. Ita demum cum quintum opinor & Qua-
drageſimum annum Romanæ Curiæ ac Dei Eccleſiæ operam nauauerit ſuam, inte-
rimque Bononienſi Archiepiſcopatu, & purpura ornatus ſit, ad ſummum humanæ
dignitatis gradum euectus eſt. Sed quid dico humanæ? immò & humanæ & diuinæ:
in qua Dei ipſius in mortales effulgeat poteſtas. Vtinam igitur vltima primis ac me-
diis reſpondeant: vtinam poſtremus actus ſit omnium pulcherrimus, itaut per eum
Italiæ atque adeò Chriſtianæ Europæ pax vel reſtituatur vel conſeruetur ac diuinæ
gloriæ in dies magis ac magis ſeruiatur. Quod ſanè ſi Gregorii XIII. annos vixerit,

Digitized by Google

prolixè ſperandum erit. Itaut pro eius incolumitate & vt illi copioſa Spiritus ſancti gratia ſemper adſiſtat peccandum ſit vehementer. Tu ſi quid mihi pro more de rebus vrbanis, ac præcipuè de tanti Pontificatus incunabulis ſignificaueris adhuc, magno me beneficio affeceris. Vale. Datum Patauij IX. Kal. Martij Anno M.DC.XXI.

IOANNI BAPTISTAE LAVRO
Viro Clariſſimo.

Paulus Benius Romam S.

PRæclarè tu quidem facis, ornatiſſime Laure, qui me ſic excitas ad ſcribendum, vt meas occupationes agnoſcas & fatearis. Optaſſem tamen vt præter occupationes mei quoque ingenij tarditatem excuſaſſes & ſenectutem. Quanquam ſic me prouocas humanitate ſingulari, ſic me allicis munuſculo leporis elegantiaéque pleniſſimo, vt tecum longior eſſe cogar, & epiſtolæ tuæ ſuauitatem ſaltem orationis longitudine compenſare. Gaudeo ſanè vehementer quòd politioris literaturæ & eloquentiæ decus toto pectore amplectaris: hinc enim fiet vt tuis Ciuibus induſtriam mirificè probes. Itaque dum in Iuriſprudentiæ Curriculo magna cum laude verſantur, erit quod tua quoque veſtigia conſectentur, vt priſcis Iureconſultis euadant quamſimillimi. Tametſi illud tibi in primis gratulor, quòd in iſta luce hominum degis ac gentium theatro, vbi Virtuti propoſita ſunt præmia: etſi enim ſpes fallit ſæpè aliquos, aliqui etiam in medijs palęſtræ iſtius ſpatijs concidunt, multi tamen, labore comite ac patientia, ſed virtute in primis, optatos referunt fructus. Quod vt tibi fœliciter aceidat, & cupio & ſpero. Interim vtinam mihi liceret aliquid ad te viciſſim ex lucubratiunculis noſtris vigilijſque tranſmittere, vt extaret tibi mutui argumentum amoris ac pignus. Sed cum ob viarum interualla nulla mihi ſeſe in præſens offerat opportunitas, eam ſaltem auidiſſimè præſtolabor. Iam verò tibi plurimum debeo mi Laure, quod Lucam Benium gentilem & cognatum meum tam bellè ornaſti: vel potiùs ſuis virtutibus Cæſariſque teſtificatione Clariſſimum illum quidem, ſed ſitu & ſqualore penè obſitum, ne dicam temporis veterno iam planè obrutum, ex obliuione vindicaſti, ac tuis pigmentis & luminibus in priſtinum ſplendorem reuocaſti. Perge igitur. Quot enim Proceres ornas, imò verò quot epiſtolas ſcribis, tot tibi laureas imponis. Quid plura? quoties ſtylum aſſumis, ſiue ſoluta oratione ſcribas ſiue carmine, toties Patriam, & ſi alioquin Auguſtiſſimam, reddis Auguſtiorem. Vale. Datum Patauij 3. Kal. Nouembris. M. DC. XXI.

ORNATISSIMO VIRO
Ioſepho Laurentio.

Paulus Benius S.

AGnoſco, mi Laurenti, humanitatem ac virtutem tuam. Cum enim in me nihil ſit vnde præclaram voluntatem iſtam ac beneuolentiã promeritus ſim, id cogor tuæ humanitati ac virtuti acceptum referre totum. Epiſtolas tuas, ſtatim atque in lucem prodierint, perlegam libentiſſimè & complectar toto pectore. Spero enim fore vt cum Italica, qua Lucenſes florent, eloquentia, Romanam quoque coniungas. Denique erunt mihi germanum ingenij tui argumentum & præclarum eloquentiæ monumentum. Interim pro comperto habeas me tibi mutuis beneuolentiæ nodis obſtrictum eſſe. Vale, fœlixque viuas ad multa luſtra. Datum Patauij 3. Kal. Ianuarij. M. DC. XXII.

EPISTOLARVM FINIS.

INDEX EPISTOLARVM
ET PRAEFATIONVM.

ANdreæ Mauroceno. car.28
Antonio Bonciario. 33
Antonio Maria Saluiato. 5
Archiepiſcopo Cracouiæ. 24
Aurelio Palazzolo. 46
Baldo Angelo Abbatio. 20
Baltaſſari Bolognetto Generali Seruitarum Magiſtro. 26
Camillo Venantio. 47
Clementi VIII. 2
Cynthio Aldobrandino. 3
Epiſcopo Torcellenſi Antonio Grymano. 28
Ferrarienſis Seruitarum Cœnobij Patribus. 33
Franciſco Bartholino ad eundem. 36
Franciſco Franco. 40
Franciſco Mariæ II. Vrbinatum Duci VI. 31. & 42
Franciſco Quirino 36. eidem. ibid.
Fratri Franciſco Mantuæ Epiſcopo. 19
Georgio & Marino Cornelijs fratribus. 30
Hieronymo Porto. 25
Hippolito Aldobrandino. 26. & 49
Iacobo Vezzano 37. eidem ibid. eidem 38. eidem 39. eidem ibid.
Iohanni Cornelio. 17
Iohanni Delphino. 45
Iohanni Hieronymo Gambio. 32. & 42
Iohanni Baptiſtæ Lauro. 48
Ioſepho Laurentio. 48
Lectori in Ariſtotelis Poeticam 11. eidem in Ariſtotelis Rhetoricam 12. eidem in Diſputationibus Rhetoricis 16. eidem de lue Venerea 21. eidem de re Anatomica. 23
Maphæo Barbarino. 5
Nicolao Cornelio. 29
Nicolao Valerio. 46
N. N. 41
Paulo V. 31
Petro Aldobrandino. 8
Philippo Seiæ. 17
Rainutio Farnenſio. 22
Raphaeli Bonetto. 30
Sixto V. 41
Tyberio Ceſario. 7
Vincentio Rodulpho. 10

FINIS.

Sequuntur Primò Elogia & Emblemata: quæ fermè monumentis dicandis inſcribendiſue ſeruiunt.
Secundò Epitaphia; quæ pia mortuorum ornamenta & viuorum ſolatia, meritò appellaueris.
Atque hæc ſanè omnia vel quia ordinata ſunt ſatis, vel quia ſuum illa referunt argumentum, vel quia non latè manant, Indice egent nullo.

Tertiò conſequentur Epigrammata quædam & carmina: quorum vſum ſuo loco perdiſces, atque hæc etiam nullo indigent Indice.

EPITAPHIA ET ELOGIA,
QVÆ PARTIM CLARORVM VIRORVM SEPVLCHRIS,
Partim Libris ac theſibus dicandis,
PARTIM MONVMENTIS ALIIS ORNANDIS,
poſteritatique conſignandis, adhibita ſunt.

AD BENEDICTVM IVSTINIANVM S. R. E. Cardinalem ampliſſimum.

Paulus Benius Eugubinus.

Quod tibi nuper, ſiue tuæ in me pietatis ac beneficentiæ, ſiue meæ in te voluntatis & obſeruantiæ, priuatim extabat monumentum; nunc;
Quod Bonum, fœlix, fauſtúmque ſit, publicis literis mandatum, ac religioſiſſimi ornatiſſimíque nominis tui authoritate ac ſplendore munitum & illuſtratum, alacri animo excipere & fouere pro tua ſingulari benignitate ne dedigneris.

SERENISSIMO AC VIGILANTISSIMO Venetæ Reipublicæ Principi Leonardo Donato:

Inclyto & excelſo Patrum Senatui:

Illuſtriſsimis, & excellentiſſimis Patauini Gymnaſij Moderatoribus.
Franciſco Molino Equiti Ornatiſſimo & Diui Marci Procuratori integerrimo,
Franciſco Contareno & Auguſtino Nano Equitibus ſplendidiſſimis;

Paulus Benius ſuum hoc de Hiſtoria monumentum,
quò Venetæ Nobilitatis Iuuentus ad præclaram rerum geſtarum cognitionem altiùs informetur,
& egregium
Reip.
præſidium & ornamentum
etiam atque etiam
amplectatur,
Dat,
Donat ac Dicat.

VINCEN-

VINCENTIO PISANO
Senatori Optimo;

Ac non modò Patriæ ſplendore, familiæ antiquitate, maiorum gloria, diuitiarum amplitudine, omnibus denique fortunæ bonis ornatiſſimo;
Verùm etiam vitæ integritate, ac morum ſuauitate, vnde omnibus charus eſt; liberalitate quoque ac magnificentia, cæteriſque animi virtutibus ac dotibus cumulatiſſimo;

Paulus Benius Eugubinus quinquaginta haſce Orationes, quod bonum fauſtúmque ſit, dat, donat ac dicat.

REVERENDISSIMO PATRI
BALTASSARI BOLOGNETTO
Generali Seruitarum Magiſtro.

Ob egregiam illius ſiue pietatem & eloquentiam ſiue doctrinam ac ſapientiam, qua inter diuini verbi Concionatores ac Sacræ Theologiæ Doctores iamdiù Italiâ totâ mirificè floreat, ſiue integritatem atque prudentiam vnde à Paulo V. Summo Pontifice ſuo ordini mira cum omnium lætitia & approbatione præpoſitus eſt;

Iulius Guaſtallenſis Seruita grati animi ac venerationis ergo haſce Theſes ex Sacra Theologia depromptas dat, donat, ac dicat.

PLA-

PLATONIS POETICA,

Ex varijs illius locis excerpta.

Quam ſanè Clariſſimo Adoleſcenti Andreæ Dandolo ac non modò ſanguinis ſplendore & Maiorum gloria, verùm etiam animi præſtantia, & ſuauitate morum, liberalibúſque diſciplinis mirificè florenti,

Paulus Benius Eugubinus obſeruantiæ cauſa dat, donat, ac dicat.

PLATONIS RHETORICA,

Quam ex varijs illius Dialogis collectam

Clariſſimo atque omnium virtutum ſplendore ornatiſſimo Adoleſcenti Thomæ Maurocено.

Paulus Benius Eugubinus dat, donat, ac dicat.

AD REVERENDISSIMVM PATREM
MICHAELEM ANGELVM ZANASCVM
B. Laurentij Canonicorum Generalem Magiſtrum.

Quæ in Religioſæ Familiæ Moderatore præſidia requiruntur, Charitas, Prudentia, Vigilantia, hæc in te ſic elucent Pater Optime, vt Iuſtinianeus ordo iam ad B. parentis Laurentij conſortium, atque adeo Cœleſtis Patriæ portum, aſpiret.

Perge igitur celſo animo, & ſic habeto: et idcirco tum ingenio ac doctrina, tum pietate Deíque timore, tum authoritate, atque eorum quos regis, amore, ornatum ac ſeptum, vt caram Deo ſobolem tibi commiſſam ad Cœli ſedes tutiùs euehas: vbi cum illa perbeatus in æuum degas.

Pro

Pro Thorace atque armis reliquis Venetæ Reipublicæ ab Henrico IV. Galliarum Rege dono tranſmiſſis Inſcriptio.

Quæ Galliarum Nauarrhæque Rex inclytus HENRICVS IV.
Amoris ergo dat ac donat
arma,
hæc bellicæ virtutis, qua, incredibili multorum inuidia ſuperata,
nobiliſſimas victorias, florentiſſimum Regnum, im-
mortalem gloriam, tutiſſimam denique pa-
cem ſibi comparauit ac peperit;
SENATVS Vni-
uerſus
MONVMENTVM AVGVSTISSIMVM
extare iubet.
Anno a Partu Virginis M. DC. III. ab Vrbe condita M. CCC.
MARINO GRIMANO PRINCIPE.

MARCO QVIRINO VENETO SENATORI OPTIMO,
PATAVIIQVE PRÆFECTO VIGILANTISSIMO,

Qui vtroque Medoaco incredibili induſtria & celeritate refoſſo & perpurgato,
non modo nauigationem iandiu impeditam ac penè collapſam reſtituit
ac magno eum publicæ rei bono tutiſſimam reddidit; verùm
etiam alueum ipſum Ateſini agri ſtagnantibus aquis hau-
riendis, aſſiduiſque eluuionibus prohibendis,
aptauit & communiuit;
Ateſtini, cum interim finitimos campos aquis longè latéque obrutos, ſuos con-
tra ſapientiſſimi ornatiſſimique PRAETORES induſtria planè in-
columes, cernerent, immortalis beneficij publicum hoc
monumentum extare ac poſterorum ſuorum
memoriæ quam diutiſſimè com-
mendari voluere.
Anno ſalutis M. DC. III.

Cum lapidis anguſtiæ propoſitum Emblema non caperent, quod ſequitur ſuffectum eſt.

MARCO QVIRINO PATAVII PRAEFECTO
ORNATISSIMO.

Qui Medoaco ſumma celeritate refoſſo nauigatione reſtituta, alueo ipſo ſta-
gnantibus aquis hauriendis eluuionibuſque prohibendis inſtructo;
ſuam ille induſtriam & vigilantiam domi foriſque mirificè
omnibus probauit, Areſte, exteros multorum
campos aquis obrutos, ſuos contra Præfecti
optimi cura incolumes cernens;
hoc immortalis beneficij
monumentum ex-
tare voluit.
Anno Salutis M. DC. III.

MA-

MARINO GRIMANO PRINCIPI OPTIMO.

Hic multis ac magnis Reipub. honoribus ſumma cum gloria decurſis, atque incredibili Patrum voluntate & conſenſione ac populorum a quibus mirificè diligebatur lætitia & gratulatione, Dux renuntiatus; ſingulari pauperes charitate, amicos ſtudio, Rempub. Venetúmque Imperium vniuerſum æquitate complexus eſt & vigilantia, qua pecunijs, armis, annonæ, magnificis ædificiis optimis artibus, ſupra hominum memoriam Vrbem muniuit & exornauit, eiuſdem fines propagauit; Eridano etiam ac Medoaco ad meliorem curſum reuocato, ac Palma, hoc eſt fortiſſimo Chriſtianæ Reipublicæ propugnaculo, ædificata; cum ſummis Regibus fœdera renouauit, noua etiam conſtituit ita vt Reſpub. ac Patria non tutiſſima ſolum, verùm etiam perbeata videri poſſet; tandem admirabile ſui deſiderium domi foriſque relinquens ſenectute extinctus eſt.

Vixit annos LXXIII. Menſes VI. Dies XXIV.
Præfuit annos XII. menſes VI. Dies XXIII.
Obiit IIX. Kal. Ian. M. DC. V.

AD SERENISS. FRANCISCVM MARIAM II. VRBINI DVCEM VI.

Dum viginti Voluminibus integris prodeunt in lucem

BENIANAE LVCVBRATIONES,

Vniuerſum ingenuarum doctrinarum Campum, eruditiſſimorúmque virorum aures, peragraturæ;

FRANCISCO MARIAE FELTRIO E RVERE SERENISSIMO VRBINI DVCI,

Primum hoc Volumen dat, donat, ac dicat

Author:

Et quem in vigiliis penè immenſis, Virtute ac Fama plaudente, doctiſſimorúmque hominum iudicio & conſenſione accedente, auſpicem Ducémque deligit, ac Mecænatem ſibi ampliſſimum ſplendidiſſimúmque depoſcit;

Huic, vt Nato ac Nepotibus Optimi Principis Ideam quamdiutiſſimè præferat, Neſtoreos annos ab Largitore bonorum omnium deprecatur.

AD

AD SERENISSIMVM FEDERICVM Vbaldum Vrbini Principem.

QVI VARIIS POPVLIS REGENDIS SERENISSIMO DVCI ET PARENTI OPTIMO;

Non ſecus atque Atlanti Hercules, ſucceſſiſti: atque illius pietatem, diligentiam, æquitatem, tibi non modò imitandam & æquandam, verùm etiam, ſi fieri poſſit; ſuperandam propoſuiſti: &, vt a teneris annis Heroicum huiuſmodi opus vrgere cœpiſti, non ſine optima perficiendi ſpe id conaris,

Vnde ſenis complent Genitoris gaudia mentem;

Ne graueris noſtros etiam, quos in Ariſtotelis Poëticam conſcripſimus Commentarios, ac Parenti Sereniſſimo dicauimus, in tuo ære & clientela excipere.

Præſertim verò cum multis partibus aucti ſint.

Nam præterquam quod Platonis Poëticam, quam ex varijs illius libris fideliter diligentérque collegimus, illis addidimus:

Virgilianæ inſuper Aeneidis explanatione ac perfecti Herois demonſtratione, ne dicam oſtentatione, eoſdem cumulauimus, vt cum præceptis exempla, & praxim cum Theoria, iungeremus.

Ita fore ſperamus, vt Muſarum ſtudioſis gratificemur: tibi verò tuotum maiorum veſtigia ſectanti, & ad Heroicam gloriam contendenti, pulcherrimum & admirabile extet exemplum.

Vale, Princeps Optime, téque Feltriæ Familiæ, tuis Populis, Chriſtianæ Reipublicæ, vnà cum Parente Optimo diu ſerues incolumem.

Dat. Patauii Kal. Sextilis, Anno M. DC. XXII.

PRO GYMNASIO PATAVINO.

Sic ingredere, vt te ipſo quotidie doctior, ſic egredere, vt Patriæ Chriſtianæque Reipublicæ quotidie vtilior euadas.
Namque harum mœnia Athenarum hoc vno Conſilio Princeps noſter optimus
MARINVS GRIMANVS extolli ac laxati iuſſit
IOHANNE CORNELIO PRAETORE
& ANTONIO Priolo PRAEFECTO
Procurantibus.
Anno Salutis humanæ M. DC.

Propoſita tamen Inſcriptio ob loci anguſtias in hanc formam contracta fuit.

Sic ingredere, vt te ipſo quotidie doctior: ſic egredere, vt Patriæ Chriſtianæque Reipublicæ quotidie vtilior euadas.
Ita demum Gymnaſium a ſe fœliciter ornatum exiſtimabit IOHANNES CORNELIVS PRAETOR & ANTONIVS PRIOLVS PRAEFECTVS.
Anno Salutis M. DC.

Digitized by Google

LAVRENTIO PRIOLO PRINCIPI OPTIMO.

Hic domi foriſque varijs Reipub. muneribus ſapienter & integerrimè adminiſtratis, ac per omnes ferè dignitatis gradus euectus, Princépſque tandem vel inuictus renunciatus, vix tres annos, vt caducæ ſunt res humanæ, ampliſſimam ſuſtinuit dignitatem; cum morte, nec ſine ingenti Reipub. vulnere præreptus, vſque adeo incredibile ſui reliquit deſiderium, vt ei ſtatim Hieronymus frater, quippe Laurentio non minùs prudentia & virtute quàm ſanguine coniunctiſſimus, mira Patrum conſenſione ſuffectus ſit.
Vixit ann. LXXIV. menſ. III. dies 11.
In Principatu ann. III.

HIERONYMO PRIOLO PRINCIPI OPTIMO.

Hic grauiſſimis in Rep. muneribus, ipſa etiam Procuratoria dignitate, perfunctus, denique Laurentio fratri Principi Optimo ob ſingularem prudentiam, induſtriam, & integritatem ſuffectus; ſceleratiſſimorum hominum compreſſa audacia, bonorum induſtria & ſtudijs ad virtutem excitatis; ciuibus, aduenis, omnium hominum ordinibus annonæ vbertate ſubleuatis, ac Iuſtitiæ & pacis artibus erectis, commiſſam ſibi Remp. florentem ac propè beatam relinquens, Naturæ debitum breui nec ſine ingenti omnium mœrore perſoluit.
Vixit ann. LXXVII. menſ. XI. dies XXI. In Principatu ann. III.

NICOLAO RANDONIO.

Iuriſconſulto Clariſſimo vtriuſque Signaturæ Referendario, qui cum diu ſuam ille doctrinam, prudentiam ac fidem, Summo Pontifici ac Romanæ Curiæ probaſſet & idcirco nobilis Romanus vnà cum familia vniuerſa creatus atque alijs honoribus multis ornatus eſſet, tandem in Patria extremum diem clauſit.
Atilius. . . . .
Vixit annos... Obiit Anno M. D. LXXXVII.

D. O. M.

D. O. M.

F. MARTINO GARZES Magno Magiſtro; qui tum generis nobilitate atque prudentia, tum verò pietate Chriſtianiſque virtutibus clatus Rep. non pacata ſolùm, ſed aucta, atque optimis legibus inſtructa, Inſula quoque ad Gaulos vſque munita, publica denique re fœliciter adminiſtrata, deceſſit;
F. Vincentius Fardella mœſtiſſimus P.
Vixit annos LXXV. Obijt VII. Id. Febr. M. DC. I.

D. O. M.

Martino Garzes Magno Magiſtro, qui nobilitate, prudentia, Religione clarus, Repub. à ſe pacata, aucta, Legibus inſtructa, Vrbe ad Gaulos vſque munita, publica re ſœliciter adminiſtrata, deceſſit.
F. Vincentius Fardella P.
Vixit annos LXXV. Obijt VII. Id. Febr. M. DC. I.

FRANCISCO SORANDO RAVENNATI.

Hic à Senatu Veneto ob egregiam indolem adoleſcens adhuc ducentis leuis armaturæ equitibus præfectus, cum annos quadraginta iniquiſſimis Reipublicæ temporibus ſtrenuè militaſſet atque hoſtes crebris & inopinatis incurſionibus, vnde etiam Farfarellus ab eis appellabatur mirificè vexaſſet, ſic fidem ille ſuam reique militaris virtutem propugnandis oppugnandiſue probauit omnibus, vt Senatus non modò ſtipendia illi ampliora, eáque perpetua, verùm etiam quinque eiuſdem filijs militares honores perpetua item ſtipendia, bello pacéque decreuerit.
Vixit anno ...... Obijt......
Franciſcus ex Marco Antonio filio nepos P. C.

X D.O.M.

D. O. M.

GABRIELI PALEOTTO S. R. E.
Epiſcopo Cardinali Sabinenſi, ac primo Archiepiſcopo Bononienſi
Doctrina, Probitate, Prudentia non Vrbe ſolùm, ſed toto Reipubl. Chriſtianæ orbe, celeberrimo,
Euangeliſta Carbonefius I. V. D. Bononienſis, ac Principis Apoſtolorum Baſilicæ Canonicus, Domino munificentiſſimo ac Principi optimo hoc grati animi monumentum extare voluit.
Obijt Anno Domini M. D. LXXXXVII.
Aetatis ſuæ L X X I V.

PRAETORIANI LAPIDIS INSCRIPTIO.

Iohanni Cornelio Prætori integerrimo & ſapientiſſimo, bonarúmque artium Patrono optimo, ac Mœcenati ſplendidiſſimo; Cæſarei Pontificiúque iuris ſtudioſi, honoris ergo ac beneuolentiæ poſuerunt.
Anno M. DC.

EXCITATAE DOMVS INSCRIPTIO.

Quam olim Ezelini crudelitate fœdatam, mox ſacris Benedictinorum ædibus ac templo nobilitatem, denique vetuſtate pene conſumptam peramœnus hic, Cereríque & Baccho gratiſſimus, aëre etiam, proſpectu camporúmque vbertate fœliciſſimus, extollit collis Domum, Hanc Vincentius Ceratus Patritius Vicentinus à fundamentis inſtauratam, & in hanc amplitudinem excitatam mœnibúſque munitam, Genio, Hilaritati, honeſtóque ocio addixit.
Anno ſal. M. DC. I.

D.O.M.

D. O. M.

NICOLAO QVIRINO,
qui domi foriſque varijs honoribus decurſis, Cypri tandem
cui præerat, vitam fœliciter pro Repub.
reddidit.
Marcus filius, Patris optimi ac ſuauiſſimi cineres in hoc ipſo,
quem viuens ille ſibi extruxerat tumulo, mœſtiſſi-
mus poſuit.
Vixit annos LX. menſes. . . dies. . . Obijt. . .
Kal. M. D. LXXI.

NICOLAO QVIRINO,
qui multis, iiſque honeſtiſſimis Reipub. muneribus perſunctus,
tandem Cypri dum turbulentiſſimis temporibus Re-
gno vniuerſo ſtrenuè operam nauat, magno
cum omnium dolore extinctus eſt.
Marcus filius Patri optimo & ſuauiſſimo P. C.
Anno Sal. M. DC. V.

IN FRANCISCI VIDVAE
FVNERE.

Pauli Benij Eugubini pia nenia.

Quandoquidem nec morum ac vitæ probitas, nec ardens pietas, nec excel-
lens Iuriſprudentiæ laus, qua Patauino Gymnaſio quaſi nouum
Sydus affulſeras, nec florens ætas & vigens corporis
robur, efficere potuit, quin te mors in me-
dio vitæ curriculo abriperet, ac
Patria, Lycæum, affi-
nes, amici
in-
credibili tui deſiderio tenerentur, hanc amici optimi,
quam non ſine multis lacrymis exarat, virtu tis
tuæ teſtificationem accipito, illique in
tanto mœrore conſolationem
aliqnam impetrato.

Et quoniam te a numine in Cœlum beatámque vitam euectum piè cre-
dimus, tuis nobis precibus obtineas, vt Iuſtitiam pieta-
témque colamus, ſanguinem quoque ip-
ſum ac vitam pro Religione, ſi
opus ſit, profun-
damus.

IN FRANCISCI VIGNELLI MEDICI CLARISSIMI OBITV.

Illud ſcilicet verebar, mi Vignelle, ne dum tu me alióſque multos non modò ſemel atque iterum, ſed tertiò ac ſæpiùs, ab interitu vindicaſti, implacabile Mortis odium ſubires: quæ in te clam deſæuiret.

Sed nil effeciſti Mors inuida & ſæua: quem enim breui hac mortalique vita ſpoliaſti, is ob pietatem egregiámque virtutem immortalitate donatus eſt: vbi tua iura perpetuò conticeſcent.

PRO AVLA INSCRIPTIO.

Quæ ſummis anguſtijs premebatur aula, & in ſqualore iacebat ac ſitu, hanc Ioannes Maripetrus Præfectus; vt Aedibus dignitas, Vrbi ſplendor, Præfectis decus, Ciuibus commoditas, accederet in primis verò ſuam Patauinis beneuolentiam declararet, in hanc ſanè amplitudinem, Oſtio etiam, veſtibuloque laxato & exornato, ac formam adduxit.

Anno M. DC. VII.

EXIMIÆ
ET INCOMPARABILI
IO. BAPTISTÆ
FOSCARENI
IVSTITIÆ ATQVE PRVDENTIÆ,
QVA
PRÆTORIS OPTIMI
IDEAM OSTENDIT
POSTERITATI;
NOTARIORVM ORDO
OB INCREDIBILEM
IN EVM OBSERVANTIAM
HOC EXTARE VOLVIT
MONVMENTVM.
ANNO SALVTIS
M. DC. XIV.

Digitized by Google

D. O. M.

Sacellum hoc Deiparæ Virgini ac S. Nicolao dicatum Nicolaus Vendraminus, Paulo V. annuente, excitauit:
Franciſcus Vendraminus Venetiarum Patriarcha, & deinde S. R. E. Cardinalis, ſolenni ritu & pompa, cui Leonardus Donatus Princeps interfuit; conſecrauit:
Demum idem Nicolaus, cum è Patauina Præfectura rediſſet, hoc monumento Poſteris commendauit.
Anno Sal. M. DC. XIIX.

D. O. M.

NICOLAVS VENDRAMINVS
Cum domum hanc magnificè inſtauraſſet; atque in præſentem amplitudinem adduxiſſet; Sacellum hoc PAVLO V. annuente, pietatis cauſa DEIPARAE VIRGINI ac Sancto NICOLAO excitauit:
FRANCISCVS VENDRAMINVS
Venetiarum Patriarcha, & deinde S. R. E. Cardinalis, ſolenni ritu ac pompa; cui præter propinquos; LEONARDVS DONATVS Princeps magna cum Optimatum frequentia interfuit, & ſplendido conuiuio exceptus eſt; conſecrauit:
Idem Nicolaus, cum è Patauina Præfectura rediſſet, Nicolao Donato Venetiarum Principe iam tum renunciato, mox etiam Antonio Priolo in eius locum ſuffecto, tandem monimento hoc communiuit, & Poſteris commendauit.
Anno Sal. M. DC. XIIX.

D. O. M.

ZACCHARIAS SAGREDVS
PRÆTOR
Publico Vrbis commodo & ornamento, & vt ſuæ in eam beneuolentiæ extaret monumentum.
Anno Salutis M. DC. XIIX.

D. O. M.

ZACCHARIAS SAGREDVS
PRÆTOR
In publicum Vrbis commodum & ornamentum, ac ſuæ erga illam beniuolentiæ teſtificationem & monumentum Aere proprio.
Anno Salutis M. DC. XIIX.

D. O. M.

D. O. M.

Iacobo Mazonio nobili Cæſenati, ac tum Græcæ & Latinæ Linguæ notitia, tum Philoſophiæ ac Theologiæ laude, Clariſſimo, & ob egregia quæ edidit doctrinarum monumenta, toto Chriſtiano orbe celeberrimo, multis etiam Principibus ob prudentiam morúmque ſuauitatem, cariſſimo; Paſulina Paſulinia coniux & Iulia filia mœſtiſſimæ poſuere.
Vixit annos LX.... obijt anno M. D. XCVII.

D. O. M.

Iacobo Mazonio linguis, doctrinis, nobilitate, prudentia, morum ſuauitate, literarum monumentis, Clariſſimo, Paſulina coniux & Iulia filia mœſtiſſimæ poſuere.

D. O. M.

Iohanni Mariæ ac Diamanti Merſis, Parentibus optimis, ne cariſſimorum capitum memoria intercideret; Dominicus filius Cathedralis Eccleſiæ Decanus, ac Ioſephus & Io. Iacobus fratres; Baptiſtæ fratris ſuauiſſimi, eiuſdem Cathedralis Canonici huc oſſa inferentes, ſibi etiam, mortalitatis memores, ac poſteris, conſulentes; poſuere.
Anno Salutis M. DC. XX.
Matura illi ætate, cum iam ſexageſimum annum exceſſiſſent, alter immatura, cum vigeſimum quartum vix attigiſſet, deceſſerunt.

D. O. M.

Iohanni Mariæ ac Diamanti Merſis, Parentibus optimis, ne cariſſimorum capitum intercederet memoria, Dominicus filius Cathedralis Eccleſiæ Decanus, ac Ioſephus & Io. Iacobus fratres poſuere.
Anno Sal. M. DC. XX.
Huc etiam Iohannis Baptiſtæ fratris ſuauiſsimi, eiuſdem Cathedralis Canonici oſſa intulere: Sibi etiam, mortalitatis memores, ac poſteris conſulentes.
Matura illi ætate, cum iam ſexageſimum annum exceſsiſſent, hic immatura, cum vigeſimum quartum vix attigiſſet deceſſerunt.

D. O. M.

Iohanni Mariæ Merſi, Diamanti Vxori, & poſteris.

SVB

SVB LAPIDE MAXIMI, ET SYLVESTRI VALERII, dum hic fratri in Præfectura ſuccederet.

Sors vnit: dulcis ſed magis vnit Amor.
aut
Sors iungit: dulcis ſed mage iungit Amor
aut
Pari beneuolentia.

PRO EORVNDEM FRATRVM TABVLA.

Maximo Valerio in Patauina Præfectura ſuccedit Syluester frater: Et quam vterque Magiſtram coluerat Vrbem, pari beneuolentia ſtudióque complectitur & adminiſtrat vterque.

AVTHOR DE IISDEM.

Quos meritis claros euexit docta vetuſtas
Tyndaridas aſtris, Vrbs Patauina refert.

Sed quoniam excidit Diſtichon; agedum alia quædam quæ veluti è naufragio collegimus, carmina ſubijciamus.

SEQVVNTVR IGITVR CARMINA QVAEDAM.

Pauca illa quidem, ſed quæ ſatis indicent, Authorem Latinas Muſas coluiſſe, Græcas etiam conſalutaſſe. Nam Italicas quoque adamaſſe, ex Italicis eiuſdem monumentis intelliges.

DE NIVE EXQVILIA SVB CANE.

Dum Canis è Cælo Mauortis ſæuit in Vrbem,
En tibi nix ſubitò contigit Exquilias.
An priſcæ redeunt gentis miracula? rurſus
Rore madet vellus, térraque ſicca riget?

In Andreæ Veturelli opus de Angelorum cuſtodia.

Aligerum cur læta cohors feſtinat in ædes
Vetturelle tuas: itque reditque vias?
An priſci redeunt populi ſpectacula; Olympus
Iacob, Scala, Deus, Cælituúmque Chorus?
An verò noſtram fallit per ſomnia mentem,
Morpheus, & falſis ludit imaginibus?
Haud reor. Aligerum glomerata recurrit imago
Inſomni, ac vigili mente, oculiſque, mihi.
Cur ergo? Andreæ forſan myſteria pandunt
Abdita, quæ doctis conſecrat ille typis?
Sic credo, nec vana fides, Veturellia quando
Nil mortale ſonat vox, monumenta, ſophos.

HOMO

HOMO DIGNOSCENDVS PROPONITVR IN ſepulchro ex Axiochi ſententia.

EN tumulus, celſo quem ſurgere conſpicis Hoſpes,
Spectandum pario ſtemmatibúſque polo;
Intus habet caluúmque caput, dentéſque reuulſos
Et collo & laceris oſſa relicta genis,
Carnéque nudatos humeros, & tergora, nec non
Pectora iuncturis vndique fracta ſuis
Quæque hominem demum ornabant crinéſque decúſque
Serpentes, vermes, puluis & vmbra tenent.
Fœlix ob fœlix qui nunquam naſcitur, aut quem
Et parit & luſtrat & necat vna dies.

AD CLEMENTEM VIII. PONT. MAXIMVM De Iauarino recepto (id quo ſub ipſa Ferrarienſi recuperatione contigit) Dialogiſmus.

CVM APOLOGIA.

QVid fragor heu tantus noſtras circuntonat aures?
Cur Tyberina ruunt fulmina MAGNE PATER?
An ſummos inter Reges concordia parta eſt?
Pacis & optatæ nuncius almus adeſt?
Num nouus Italiæ Proceres armauit in hoſtem
Ardor, & æthereus fœdere iunxit Amor?
Annoua gens repetit Petri ſacra paſcua? FORSAN
MOX DABIT ISTA DEVS. ſic reor ALME PATER.
Namque preces, lacrymæ, gemitus, labor improbus, ardens
Relligio ac Pietas talia dona ferunt.
At nunc quid leti? CRVCI IAM MOENIA CIRCVM
IAVARINA PATENS. Protinus ſic decuit.
Namque duce Alphonſo ſteterant, quem Rector Olympi
Imperijs iuſſit cedere cuncta tuis.

APOLOGIA.

Quo die Romam de Iauarino recepto allatum eſt, Clemens VIII. pro ſua pietate, tametſi podagra & chyragra afflictaretur, è Vaticano deſcendit ad S.Petri, vt Deo pro beneficio gratias ageret, quod prolixè fecit bonus Pontifex. Interim ex Adriani mole eduntur repentè lætitiæ ſigna: concurritur ad B. Petri templum. Interim Author nuncio lætitiæ cognito, ſcripſit præſens Epigramma quod Clementi, cui non ignotus erat, ad Vaticanum properè obtulit redeunti, eidémque, iuſſus, argumentum expoſuit totum. Delectatus eſt Clemens, cum audiret Iauarinum ab Alphonſo in eam formam extructum ac munitum: nec dedignatus eſt Epigramma iis qui aſtarent Proceribus, legendum tradere, quod poſtea inuidiam minimè effûgit. Fuit enim qui diceret *Crucis* priorem non rectè produci: hemiſtichium quoque illud. *Protinus ſic decuit*, eſſe falſum ob Dactili poſitionem: ad extremum illud, *Cedere cuncta*, licenter cani & præpoſterè. Sed dubitationibus ſingulis itum eſt obuiam. Ac prima quidem compreſſa eſt cum ratione tum authoritate ratione, quia cum crux a Græca voce κρύω deriuetur, & κρυ longa ſit ob diphtongum, crucis prior producatur neceſſe eſt. Authoritate, nam qui cecinit

Vendit

Vendit Alexander Cruces, Altaria, Chriſtum.
Vendere iurè poteſt: emerat ille priùs,

temeritatis & arrogantiæ fortaſſe potuit reprehendi, metricæ inſcitiæ reprehendi nullo modo poteſt. Eodémque modo repreſſa eſt altera dubitatio: Authoritate.nam Catullus quoquo cecinit

At fixus noſtris tu dabis ſupplicium.

& Q. Catullus

Formido. quid ago? da Venus conſilium.

ſic Manilius in Aſtronomico

Formoſus Phœbus geminos Cyllenius cancrum.

& M. Tullius

Delphinus iacet haud nimio luſtratus nitore.

quid multa? Valerius Aedituus bis vno Diſticho poſitione terminauit Dactilum cum caneret

Quid faculam præfero Phileros, qua nil opus nobis?
Aut imber Cælo candidus præcipitans.

mitto nemoroſa Zacintos Virgilii, Aequora Xerſes Lucani, lucentes ſmaragdis Ouidii. Ratione, quia cum *Protinus* antea benè cadat & aures ſuauiter afficiat, quàm ſuccedentis Conſonantis grauetur ſono, & aliquid temporis inter duas illas voces intercedat, poſitionem vix agnoſcunt aures: & ob id priſci Poëtæ frequenter ſuccedentis Conſonantis iniuriam contemnebant. Denique qui diſtinctè legit, vt par eſt, offenſionem ſentit nullam. Adde quod hoc gaudent priuilegio quæ in us terminantur voces, vt Protinus, quemadmodum pleraque ex recitatis exempla confirmant: inter quæ eſt Diſtichon Valerii, de quo Gellius quo mundius, venuſtius, limatius nihil; quin propoſita illa carmina reputat ſuauiſſima. Et hac de cauſa nos horum memores de induſtria cecinimus *Protinus ſic decuit*. alioquin in promptu erat Protinus hoc decuit, vel quid ſimile. Poſtrema dubitatio Apologia eget nulla, cum totum pro maiore parte non a Poëtis ſolùm, verùm etiam ab Oratoribus, Hiſtoricis & Scriptoribus propè omnibus vſurpetur.

lib.19. c.9.

IN CLARISSIMI, ET EXCELLENTISSIMI MEDICI HERCVLIS SAXONIÆ LIBRVM.

De plica morbo inter Polonos ſic graſſante, vt capilli anguium effigiem exprimant, diſſecti etiam ſanguinem emittant.

EPIGRAMMA.

QVid miſer (infandum) cerno? gens inclyta pingues
Sarmatiæ toruus quâ rigat Iſter agros,
Vipereis flauos monſtris redimita capillos
Cernitur, vnde ſinus dira venena, petunt.
Num monſtroſa refert ætas ſpectacula? Regnis
Num tetrum Stygijs exerit Hydra caput?
An magè Gorgoneis nigri ſerpentibus orci
Panduntur poſtes Eumenidéſve ruunt?
Verum quid queror anguicomus ſi territat horror,
En nouus Alcides qui noua monſtra domet.

DE

DE LEONE LEONIAE FAMILIAE INSIGNI

Emblema.

Cur Leo terribilis vultu conſurgit, & imis
Inſiſtens pedibus tollit ad aſtra caput?
Calcat humum, gaudet cæli conuexa tueri,
Namque premens ſpernit, ſuſpiciénſque colit.
Aſt capiti diadema nitens cur eminet alto?
Virtuti ac Sophiæ præmia celſa refert.
Bina quid caudæ? geminis Cyllenius alis
Extollit virgam, qua fera bella vetet.
Cur vibrat linguam? haud vibrat: ſed feruidus auſis
Aeſtuat excelſis, quæ generoſus obit.
Quid triplex color ille? Docet per ſæcula Genti
Quos HEROAS referent Arma, Tiara, Toga.
Fælix ergo Leo: fælixque Leonia proles,
Quam Sophia & Virtus, fama genúſque beat.

BIPATENS LAETATVR ASYLVM

Bellone Principe.

Auguſtum Graijs Latio fœdauit Aſylum
Quæ ſubijt poſtes turba profana meos.
Hinc deuota iacent Diris mea nomina, cunctis
Inuidioſa Dijs, inuidioſa Viris.
Nec potis eſt tandem Pacis noménque decúſque
Siue Numæ pietas, emaculare nefas.
At cur hæc memoro demens? cur conqueror? An non
Inſtaurat noſtrum docta iuuenta decus?
Auſis Troiugenum cecidit mea fama ſceleſtis:
Aſſurgit ſacris Troiugenum ſtudijs.
En doctis Bipatens Animis reſerauit Aſylum
Dux Enetum Antenor quam tulit alma proles.
Sic fœdat me ficta proles Mauortia: vera
Bellona exornat, terque quatérque beat.

AD REVERENDISSIMVM PATREM MICHAELEM

Angelum Zanaſcum B. Laurentij Canonicorum Generalem Magiſtrum.

Quam tibi Cæleſtis commendat Paſtor ab Alto
Florentem ſobolem reſpice Magne Pater.
Huic dulces latices & paſcua læta reclude:
Protinus & ſæuos longiùs arce lupos.
Hoc tibi conſilio ſummi Regnator Olympi
Munera tanta dedit Mentis & ingenij.
Hoc tibi conceſſa eſt pietas, Prudentia, Virtus
Eloquij, per quod fundis ab ore melos.
Ergo age quos cernis famulos, pia germina Chriſti,
Dexter agas, ducens quò tua ſtella vocat.
Túque Deo dilecta cohors, Laurentius alter
En tibi prægreditur: carpe ſalutis iter.

IN

IN OBITV ILLVSTRISS. AC REVERENDISS. SYLVESTRI ALDOBRANDINI S.R.E. Cardinalis Ampliſſimi.

DVm Praga fatis Caeſar concedit iniquis,
En Romae claudit lumina Caeſareus.
Sic fratri nomen frater iam cedit vterque:
Stemmata quiſque dicat purpureúmque decus.
Tyndaridum ſileant igitur miracula: namque
Bis micat hic pietas: hîc geminatur amor.
Quid? fratrem redimens Pollux, demergitur vndis:
At Caelum Caeſar, Caeſareúſque petit.

In generoſum Adoleſcentem Chriſtophorum Gatterterum varias theſes diſputaturum.

BElla moues vnus tot dum Gatterter in hoſtes
Pugnae cur ſtimulat pectora tantus amor?
Me ſophiae ſtimulat decus. Ergo victor abibis.
Quae incendit pectus namque trophaea dabit.

Author De Hiſtoria cum ſuos de Hiſtoria emitteret Libros.

PHaebus vt abſcedens tenebris replet omnia caecis:
At rediens ornat lumina cuncta ſuo.
Abſente Hiſtoria ſic mens iacet inſcia: Prudens
Fit redeunte: Toga, Martis & arte vigens.
Ergo abſens praeſenſue facit (mirabile dictu)
Ex ſenibus pueros ex pueriſque ſenes.

Franciſcus Leonius Comes Authori gratulatur.

MActe Beni, Herculeos ſtupeat Gens priſca labores;
Robur & vnde Poli ſydera fulcit Atlas.
Aeſonidémque Ducem extollat, terraque Mariſque
Dum ſauas faelix ítque redítque vias.
Nos robur Mentis triplex, doctóſque labores
Mille tuos, miris plauſibus excipimus.
Tu gemina clarus ſophia, claruſque Camaenis:
Melliſluíſque ſtylo, lacteus eloquio.
Túque virum obſcuris praefers iam lampada geſtis,
Omnigenámque vias ſternis ad Hiſtoriam.
Ergo eris ingenio Iaſon, Tirynthius, Atlas.
Ingenij poſcunt hoc monumenta tui.

Eiuſdem de Hiſtoria Dialogiſmus.

ERgo Senem pueros inter numerare iubemur,
Qui pectus vacuum geſſerit Hiſtoria?
Contrà puer canos inter proceréſque ſenéſque
Sedeat Hiſtoria munere? ſic equidem.
Aureus id clamat Plato: docet ore rotundo
Tullius: id monſtrant facta vetuſta Patrum.
At labor immenſus terret, flexúſque viarum
Obſcuri, quotquot vix labyrinthus habet.
Sat ſcio: ſed Benius flexus ſuperabit, itérque
Pandet. Quid multis? Daedalus alter erit.
Geſta igitur perdiſce virûm nunc auſpice tanto:
Namque erit hic tutus Dúxque Coméſque viae.

AD

AD EVNDEM RESCRIBIT AVTHOR.

MActe puer, generoſe Puer: ſic itur ad aſtra,
Virtute ac doctis artibus ingenij.
Clarus auis, aſt arte magis qua dulcia Mella
Fundit ab ore loquens, fundis ab ore canens.
Perge igitur ſpes rara Patris, ſpes altera doctæ
Vrbis ab Euganeis quam rigat vnda biceps.
Spero etenim nec vana fides; voluentibus annis
Liuius alter eris; Cynthius alter eris.

Ad Philippum Secam Cardinalem ampliſſimum. Epigrammata.

PVrpurei decus, alme Pater, columénque Senatus,
Necnon Felſinei gloria rara ſoli.
Protrahit o nimium patrius tua cæpta Lycæi,
Spéſque meas: longas eia age rumpe moras.
Sic latus Sophiæ pulcherrima tecta reuiſam
Rhenus vbi clarum tollit ad aſtra decus.
Romanæ hic lingua ſpargam (téque auſpice flores:
Múſaque mellifluum fundet ab ore melos.

Πρὸς τὸν αὐτόν.

Ἔννεπέ μοι, ἈΝΔΡΩ͂Ν ΚΎΔΙΣΤΕ, τὸ ἔργον ὅτ' ἔρξω.
Ἤρξον ὁ αὐτὸς σοῦ ἡγεμονοῦ καὶ ἀργοῦ;
Εἰ ῥέξω, ταχίως τε, μέγας ἐμοὶ ὄρχαμος ἔσσῃ.
Εἰ ἄλλως, ἦτοι ἔσσομ' ἄμυσος ἀεί.

Io. Priami Galli Cenſura in duo hæc ad Philippum Secam Epigrammata.

AD Phil. Secam. pro (*Segam*) Error leuis, fateor, qui tamen facilè caueri potuit, & verò debuit, ab eo præſertim qui benè dicendi rectéque ſcribendi laudem captat, captauíſ que non pœnitendam.

Purpurei decus alme &c. Vereor vt probari poſſit iſtud (decus alme) Priſciano. Non me quidem latet olim a bono Poëta vſurpatum *Decus addite diuis*. Quo ſanè exemplo vtrum ſe tueri velit, an verò poſſit, Epigrammatarius ipſe viderit.

Necnon &c. Iſta dictio (*Nec non*) quandoque tolerabilis in verſu; ſed quæ hoc loco parum eleganter, & ad explendam metri rationem dumtaxat poſita videatur. Quemadmodum & exclamatio quæ ſequitur. *Protrahit ò nimium &c.*

Rhenus vbi clarum &c.) Quod fluuiorum aliquis clarum tollat ad aſtra decus, mihi hactenus incompertum.

Romanæ hic lingua &c. hoc loco τὸ (*hic*) pro (*illic*) inſigni ſcilicet Enallage, poſitum, ſententia conuincit.

Téque auſpice &c. τὸ (*que*) παρέλκει.

Denique poſtremum Epigrammatis diſtichum mihi neſcio quid φορτικόν τι καὶ ἀλαζονικὸν ſpirat, quod non *ſatis benè congruit cum ſuperioribus*.

Iam verò de illo Græco Tetraſtico, cum in vniuersùm quid ſibi velit planè aſſequi nequeam, hoc tantùm annotabo.

In ſecundo verſu metri rationem nullo modo cōſtare. Prætermiſſam fuiſſe dictionem ἐμοὶ aliquando exiſtimaui, atque ita legendum ἤρξον ὁ αὐτὸς ἐμοὶ &c. Veruntamē de re mihi ignota nihil temerè ſtatuo, illud quidem aſſeuero τὸ (ἡγεμονοῦ) nuſquam apud Græcos auditum, ἀργοῦ rarò.

In tertio verſu, ταχίωσ τε &c. τό (τε) παρέλκει.

In quarto, & vltimo verſu ἔσσομαι ἄμυσος ἀεὶ. Quod omen Deus auertat, auertítque (vt video) ſatis.

Io. Priamus Gallus ſcribebat, ac partim rogatus, partim ingenij cauſa, ſcribebat.

AVTHORIS APOLOGIA.

SEcam &c. dixi quod talia cognomina, ſeu nomina familiarum ſint veluti lenienda vt nimirum a latinitate abhorreant, ſic Bentiuoli Bentiuolus, Gaetani Caetanus, Roberti Rupertus, Orangi Auriacus, Auogadri, Aduocatus Buſali Bubalus, Viſcõti Vicecomes, Moroſini Maurocenus, & ſimilia. Eodem itaque modo non incommodè Sega Seca latinè dici potuit. Quare non tam aſſerendum, quàm rationibus demonſtrandum fuit id errore non carere.

Pater alme &c. id almum appellamus, quod eſt ſanctũ, quid eſt igitur quod illius, qui ad ſummum Pontificem proximè accedit, dignitatem ac decus, ſanctum non liceat appellare? præſertim verò quod Epiſcopi quoque dignitas auguſta eſt & ſacroſancta. Sed fortaſſe aliò ſpectas (quod tamen me interim fugit) dum mihi ob illud alme Pater, ſuccenſes.

Necnon &c. id ſanè ſexcentis in locis a Virgil. vſurpatur. Quare in li. Geor. ſic cecinit.
Necnon & lini ſegetem, & cereale papauer. Et lib. II. *Nunc te Bacche canam, necnon ſylueſtria tecum.* Et paulò poſt. *Necnon & ſterilis, quæ ſtirpibus exit ab imis.* Et lib. III.
Necnon & pecori eſt idem delectus equino.

Denique (ne conſecter exempla omnia, quæ ſunt innumera) in eodem ferè carmine geminatum legitur.
Necnon & torrentem vndam leuis innatat Alnus
Miſſa Pado, necnon & apes examina condunt.

Ita demum in carmine quemadmodum frequentiſſimè ſic elegantiſſimè vſurpatur. Quamquam non poſſum non demirari id a viro erudito vix interdum tolerabile cenſeri in carmine, cum in ſoluta quoque oratione, orationis ſaltem variandæ cauſa, ab optimis Latinitatis authoribus, ac Cicerone ipſo vſurpetur.

Exclamatio vero illa, *Protrahit ò nimium patrius tua cœpta Senatus Spéſque meas.* quo pacto metri explendi cauſa ſit appoſita, non video: cum eò ſpectem totus vt indoleam tandiu protrahi ſpes meas: præſertim verò quia concipit ſignificationem doloris, & habet τὸ πάθος, ac propterea carmen ornat non mediocriter.

Rhenus &c. pro vrbe ſumitur quam alluit: quod eſt Poëtis vſitatiſſimum. Vrbs verò de qua loquor, vt eſt doctrinarum mater, ac Gymnaſio magnificentiſſimo inſtructa, non immeritò dicitur, *Clarum tollere ad aſtra decus.*

Romanæ hic lingua &c. Hic elegantius fortaſſe dicitur quàm illic; tantum abeſt vt inſignem enallagen habeat. Hinc Virgil. lib. I. Aene. ad init. (quem locum miror non occurriſſe viro eruditiſſimo)
Vrbs antiqua fuit &c.——*Hic illius arma.*——*Hic currus fuit.* Et lib. II.
Hic Dolopum manus, hic ſæuus tendebat Achilles.
Claſſibus hîc locus: hîc acies certare ſolebant. Et Egl. I. *Hic illum vidi iuuenem Melibœe quotannis.* Et rurſus. *Hic mihi reſponſum primum dedit ille petenti.*

Denique hic loquendi modus Hiſtoricis etiam eſt vſitatiſſimus. Quin Huc etiam pro illuc, & hoc pro illud, dicitur eleganter. Virg. lib. I. Aeneid.
Huc delecta virûm ſortiti corpora furtim. Includunt. Et lib. II.
Eſt in conſpectu Tenedos &c.
Huc ſe prouecti deſerto in littore condunt.
Hîc currus fuit, hoc regnum Dea gentibus eſſe.

Téque auſpice &c. hic (*que*) ſine dubio maiorem quandam vim habet & ἐμφατικώτερον dicitur, quàm te auſpice; perinde enim eſt ac ſi diceretur. Spargam Romanæ linguæ flores, ídque (vt res perquam fœliciter accidat) te auſpice: & idcirco (*que*) ſublato, periret ſtatim lepos ac vis ſententiæ. Iam verò quis credat ad inuidiam atque iactantiæ notam declinandam additum eſſe illud, téque auſpice? an non ad Cardinalis laudem, pertinet vel maximè? quod enim per ſe author profiteri nequeat, id illo auſpice profitetur. Atque hac de cauſa dum ſubditur.

Muſáque meliſluum fundet ab ore melos, id quoque a iactantia abeſſe dixeris, cum præſertim id totum Muſæ referatur acceptum. Sic fermè Horatius Muſam alloquens.

Quod

Digitized by Google

Quod monſtror digito prætereuntium
Romanæ fidicen liræ, Quod ſpiro & placeo
Tuum eſt.

Huc accedit quod ei, qui eloquentiam publicè profiteri debeat, M. Tullius, cæteríque Eloquentiæ Magiſtri explicandi ſunt: id verò quid eſt aliud quàm Romanæ eloquentiæ flores ſpargere?

Venio ad Græcum Tetraſticon in cuius ſecundo verſu dum raptim deſcriberetur, omiſſum eſt σοῦ. Itaque legendum eſt Ἤρξαο ὁ αὐτὸς σοῦ ἡγεμονοῦ καὶ ἀγοῦ; atque hac ratione ſententia, ni fallor, perpetua erit vniuerſa, eſt enim eiuſmodi.

Dic mihi virorum illuſtriſſime, & quando perficiam opus
Quod ipſe aggreſſus ſum te auſpice ac Duce?
Si perficiam, idque celeriter magnus mihi Princeps eris.
Sin minus, certè a muſis, & cantu ſemper alienus ero.

Vbi ſanè non video quam obſcuritatem habeat ac dubitationem.

Idcirco autem placuit pro ἡγεμόνος quod antea ſcripſeram, reponere ἡγεμονοῦ, quod & Mercurium non ſine Cardinalis laude ſubindicaret, ac cōcinnè caderet cum ἀγοῦ. Atque ἀγοῦ quidem vſitatum eſt Pindaro, Homero, & aliis: ἡγεμονοῦ verò (ne te id fallat) iacet pro ἡγεμονέου, literula ſcilicet Græco more expuncta quod nemo qui in Homero & Poëtis verſatus ſit, reijciat.

In ταχέως τε, illud τε, non modò non redundat, ſed eſt neceſſarium, quia loci vis ea eſt. Si perficiam, idque celeriter &c.

Ἐσσ' ἐμ' fuiſſe ſcribendum, egomet ſignificaueram antea. Quare tantùm dicam nihil fuiſſe, cur vnicæ huius literulæ gratia, quam conſtat inter ſcribendum excidiſse. ſic perſtringeret, vt hæc ἀμούσως exaraſſe diceret, quaſi verò non vnicam literam, ſed multas voces. atque adeo Epigramma totum ἀμούσως exaraſſem? Certè dum tu in fine ſic ſcribis ἐσσομ' αἰ, ter peccaſti: reliquiſti enim duos ſpiritus, & accentum vnum, & tamen non ego talionem tibi minitor, ſed potiùs rem benignè interpretor, quia ſcilicet id & leue ſit, & viro eruditiſſimo acciderit properanti.

Iam verò in mentem venit quid ſit quod vel vnum, vel maximè reprehendas humaniſſime vir, in eo carmine: *Purpurei decus alme &c.* Sed profectò dum me reprehendis hac in re, Virgilium quoque reprehendis, Homerum, Sophoclem, Perſium, adde etiam magnum eloquentiæ lumen Baſilium, Ariſtotelémque ipſum, qui ſermonis proprietatem mirificè adamauit, & coluit. Virgil. lib. II. Aeneid. ſic canit.
Quibus Hector ab oris Expectate venis. Vbi *expectate* eſt pro expectatus. Et Eglo. VII. *Triſte lupus ſtabulis.* Et huc etiam pertinet illud, *Varium & mutabile ſemper fœmina.* Perſ. Sat. III. *Cenſorémve tuum vel quod trabeate ſalutas.* Vbi *trabeate* eſt pro trabeatus. Hom. Iliad. II. οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. εἷς κοίρανος ἔστω. Quam ſententiam ſoluta oratione, ac nulla Homeri mentione facta, expreſſit Ariſtoteles lib. 10. Metaph. extremo, cum diceret οὐκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. Qui rurſus lib. I. Polit. cap. II. (vt alia loca taceam) βέλτιστον, inquit, τῶν ζώων ἄνθρωπος. Et rurſus χωρισθὲν δὲ νόμου, χείριστον πάντων. & rurſum ἀνοσιώτατον καὶ ἀγριώτατον ἄνευ ἀρετῆς. Et huc ſpectat quod eſt apud Homerum, ἱππότα Νέστωρ pro ἱππότης. Et νεφεληγερέτα καὶ εὐρύοπα Ζεύς, pro νεφεληγερέτης, & εὐρύοπης. Hinc quoque tritum illud ἡ πολλὰ κλία ἀεί.
Baſilius denique (ne conſecter exempla omnia) μόνη (inquit) κτημάτων ἡ ἀρετὴ ἀναφαίρετον. Vt propterea *Decus alme* & probari poſſit Priſciano, & verò debeat. Nam quod tu occupaſti exemplum, quale ſit vel cur non facilè ſententiam refellat tuam ipſe videris. Interim & gratias ago, vt tu candidè (quod omnino de te ſpero) communi Mœcenati id quod eſt aperias, te etiam atque etiam rogatum velim. Vale.

P. B. E. ſibi vt honeſtè patrocinetur, reſcribebat.

AD EVNDEM.

Ex re infecta triplex quæſtus.

Siccine Felſinei Proceres? Spes itque reditque,
Tela velut quondam Penelopea, mihi?
Quid queror? vna dies tria fert mihi dulcia dona.
Nam mihi, dum maneo, ſtat SEGA, ROMA, SALVS.

Πρὸς τὸν αὐτόν.

Ὥς μοι τερπνὸν ἔλω τερπνὰς μου οἵ ποτ' ἀοιδὰς
 Εἶναι, ὦ μοῦσαι ἀγλαὰ δῶρα πόρον,
Αἰνετός ὥς με ἀνὴρ αἰνεῖ, ὥς ἐμὰ Μούσαις
 Ἥδια εἰσὶν ἔπη, ὥς με ΦΙΛΙΠΠΟΣ ἐρᾷ.
Τίπτε τόσον καυχᾷς; φιλοῦμεν σὰς γὰρ ἀοιδὰς,
 Ἡμῖν ὅτι ἀγαθοῖς ἄξια εἰσὶ μικρά.
Φιλοῦμεν καὶ ὅτ' ἂν θάμνους στεφόκασι Σταγείρης,
 Ὡς ἐν ἀκάνταις οὐ μὲν γλυκεραὶ σταφυλαί.
Ὥς οἶμαι. οὖν μοῦσαν ἐμὴν ἄγε ΚΕΔΝῈ ΦΙΛΙΠΠΕ
 Ἐκ μὲν ἀκάνθων εἰς τὸ γλυκερὸν πεδίον.
Αὐτὸς ἔχεις χιλιὰς γὰρ ὁδοὺς τοῦ ὀνῆσαι. ἐς ὅρμον
 Ἄλλην οὖν με ἄγης τῇ προτέρ' οὐσ' ἀλίᾳ.

Priami Cenſura.

QVæ duo nuper, Excellentiſſime ac ſuauiſſime Beni Mœcenati noſtro miſiſti Epigrammata Latinum vnum, ac perbreue, Græcum alterum, ac multo longius, libentiſſimè legi; idq; ſiue vt Ampliſſimo Patri obtemperarem, ſiue vt fructus deguſtarem quos tu ex Muſarum hortis ac viridarijs percepiſſes. Nunc, quoniam iubeor, meum de illis ſenſum indicare non grauabor. Latinum mihi arridet vehementer affectibus enim plenum eſt, ac ſuauiter perſpicuéque fluit. Itaque Cardinalem cuius aures teretes ac limatiſſimæ ſunt, mirificè delectauit. Græcum obſcurum eſt, aut ego fallor. Nec ſcio num αἰνετός, ac τίπτε, congruè dicatur multò magis dubitarim num illud ὅτ' ἂν probari poſſit. Vt omittam κεδνὲ humiliùs fortaſſe dici quàm in eo ferendum qui interim tanti ſibi Principis beneuolentiam ac ſtudium conciliare moliatur. Hæc breuiter dubitabat.

Io. *Priamus Gallus.*

A P O L O G I A.

ITerum Gallus canit: acutam iterum intendit vocem: quæ tamẽ offenſionis minus habet quàm prior, aut commodiùs cadit, quòd minùs facit longius. Sed ad penſum. Græcum Epigramma (nam ad illud mea feſtinat oratio) obſcuritatis delebit notam, ſi Latinè ac ferè ad verbum reddatur. Eſt autem huiuſmodi

Quàm mihi iucundum fuit, gratos illi tandem meos verſus
 Accidiſſe, cui Muſa inclyta dona præbuerunt?
Laudatus ſic me Vir laudat: ſic mea Muſis
 Grata ſunt carmina, vt me Philippus amat.
Quidnam tantum gloriaris? amamus enim tua carmina
 Quod nobis benignis, digna ſunt exigua.
Amamus etiam quòd inter ſpinas nata ſunt Stagira,
 Perinde atque inter ſpinas, non maturæ tamen, vua.
Sic reor. Ergo Muſam meam duc clare Philippe
 Ex ſpinis in dulcem quidem campum.
Ipſe habes mille vias iuuandi in portum
 Alia igitur me ducas quàm antea via.

Sic Latinè. Vbi quid obſecro aut obſcurum, aut minùs perſpicuum? Nam quod hæc inter ſpinas Stagiræ nata dicuntur carmina, id verò abeſſe procul ab obſcuritate ſentiet is qui nouerit nos interim ſubtilia Ariſtotelis decreta explanare, ac Phyſiologiã publicè profiteri. Tametſi (vt verè fatear) Græcæ perſpicuitas maior. Neque enim

fieri

fieri poteſt vt quæ de Græcis Latina fiunt, non candorem & perſpicuitatem vna cũ ſuauitate deperdant. Vt enim quæ è fonte ſuauis ac pura emanat aqua, non poteſt non aliquis labijs contrahere dum in riuulos diducitur, ſic Græci ſententia carminis Latina reddi nequit ſine aliqua nitoris iactura. præſertim ſine metro & ad verbum expreſſa, vnde venuſtas ac lepos deperit omnis. *Αἰνετὸς* pro *αἰνητὸς* ſiue *ε* pro *η* metri cauſa, a Græcis vſurpatur paſſim ſic *τίπτε* pro *τί ποτε* apud Poëtas tritiſſimum: *ἀν* verò pro *ἀνὰ* iacet, ac valet *κατὰ* ſeu circum. Illud fateor ad extremùm Virum patria, familia, ingenio, doctrina, prudentia, incredibili rerum gerendarum experientia atq; ſexcentis animi bonis cumulatiſſimum, quique ab Eccleſiaſtici Ordinis principatu, vno tantum diſtet, reuera *κεδνὸν*, clarum inquam, leuiſſimè dici: ſed verbis res æquare difficillimum. Hæc ad Priami Galli dubitationes.

Paulus Benius.

IN IOSEPHI SPINELLI LAVDEM
cum Patauini Gymnaſij Rector renunciatus eſt.

IAm Spinelle tuum, Patriæ noua gloria, Cælo
Caſta Iouis ſoboles ſenſerat ingenium,
Nouerat antiqui templi lumènque decusque,
Quod ſacra Medoaci ſuſtinet vnda ſinu:
Anxia cum docta multùm ſub mente reuoluit,
Quod vigeat ſophia nobilitate magis.
At tandem tantas ſtatuens componere lites
Nobile conſilium prouida Diua capit:
Namque decus templi [illegible]
Spinelli extollens ſydera ad alta poli,
Spinellum & Templi decorans ſplendore vetuſto
Conſtituit Templo pegmata celſa ſuo.

IN EVNDEM CVM ET EQVES CREATVS ESSET
& lauream accepiſſet.

IAm læta Euganeos vndique geſtiant
Per colles virides Numina Montium,
Et flores manibus Choris amet vaga
Depictos roſeis ſpargere, gaudeat
Gratos alma choros Gratia ducere
Nymphis ac geminis iuncta ſororibus,
Lætentur Patavi Martia mœnia,
Veris nec careant pectora gaudijs,
Doctarúmque decus Pieridum chorus
Parnaſi iuga ſpernens, ſacra littora
Inuiſat Phrygij Antenoris, efferens
Spinelli egregias carmine nobili
Virtutes, triplici munere Palladis
Inſignémque Virum gentibus vndique
Ter clarum ſtudeat reddere poſteris.
Iam verò tenuis cum mea dicere
Laudes Muſa ſuas non valeat, decus
Præclarúmque iocoſam effugiat lyram,
Muſas facta iuuet carmine proſequi.

IN PVL-

IN PVLSILOGIVM RECENS a Medico Clariſſimo inuentum.

DISTICHON.

Hic tibi non horas cuſpis diſtinguit in orbem,
Sed pulſus quales itque, reditque vias.

Aliud.

Non hic vmbra diem monſtrat Soliſque labores:
Sed pulſus varios ſignat in orbe λόγος.

Aliud..

Cuſpis Apollineos curſus diſpenſat in horas:
Aegri pulſilogus ſignat in orbe vices.

Aliud.

Cuſpis & vmbra diem non hic partitur in horas:
Omnigeni ac pulſus monſtrat in orbe vices.

Aliud.

Phœbeos curſus non hic reuocamus in horas:
At quos anfractus feruida vena premit.

Aliud.

Hinc momenta nouos pulſus, variósque labores:
Seu vena aſſurgat, ſiue recurrat iners.

Aliud.

Dum febri vena turgent, dum æſtuat æger,
Diſce modos varios, hoc λόγος iſte notat.

Aliud.

Febris dum furit, atque artus depaſcitur æſtus,
Hoc pulſus varij tempora quæque docet.

Aliud eorum qui organum iſtud improbarent nomine.

Commoda quæ tandem λόγῳ captatis inani?
Nulla: ſed ingenio fallimus ingenia.

Aliud eodem nomine.

Vni multa ſatis tua non ſunt organa febri.
Quid multis ægris? alogos ergo logos.

AD LECTOREM.

In Diſputatione de Comœdia, & Tragœdia, cum illam immitteret.

Lectore nobis gratius nil candido:
Docto tamen, quique eruditas afferat
Aures & exculsas. Faceſſant tetrici,
Optamus ergo longiùs, maleuoli,
Muſis, & infenſi, bonis tandem artibus;

EPI-

EPITAPHIVM LVDOVICI ROTAE infantis ſuauiſſimi.

Vix lucem aſpicio, cum claudere lumina cogor:
Sed gignit, luſtrat, ac beat vna dies.

Aliud pro alio.

Me miſerum; noſtris vix Sol affulſit ocellis,
Cum rapit & condit frigida mors tumulo.
Quid queror? extollit Cælo Regnator Olympi.
En rapit vna dies, & beat vna dies.

Aliud.

Inuida quem primis puerum Mors abſtulit annis,
Hunc Author vitæ tempus in omne beat.

Hæc Carmina. Quæ ſanè huc conijcere libuit quod cum ad humaniores literas hactenus ſeptem Voluminibus Lectorem informauerim, quorum primus ad Hiſtoriã pertinet ſecundus & tertius ad Poëſim, quatuor ſequētes ad Eloquentiam (his enim præſidijs humaniores literæ continentur maximè) preſtet vt qui huiuſmodi diſciplinas profitetur, Muſas etiam colat & carmine delectetur. Vnum fortaſſe prætermiſimus quod alibi ſarciemus. Etenim qui aliquid ſcribunt, ſine dubio vel αὐτοπροσωπῶς ſcribunt, vel ἑτεροπροσωπῶς ita vt vel perpetuò loquatur author ipſe, vel loquentes inducat alios. ac primum quidem ſcribendi genus adamauit Hippocrates, Ariſtoteles (quantum quidem ex eius monumentis conſtat quæ nunc terimus) & Galenus inter cæteros Authores nobiles: alterum Plato maximè vt alios taceam: vtroque ſcribendi genere delectatus eſt noſter Cicero. Quapropter cum hunc in humanioribus literis ducem ſequamur, par eſt vt in vtroque genere ſtylum exerceamus. Ob id igitur lubet de roto hoc ſcribendi genere aliquid præcipere in quo alienas perſonas aſſumimus. Et quamquam ipſi in quinto Volumine Diſputationes Oratorias ἑτεροπροσωπῶς ſcripſimus, alienas perſonas inducentes ac Dialogos conficientes, veruntamen longiùs præſtet totam hanc ſcribendi rationem ex M. Tullio, hoc eſt ex Magiſtro ac duce optimo, perdiſcere. Hac igitur de cauſa ſomnium Scipionis mihi explicandum propoſui, vt ex eo huius ſcribendi generis documenta obſeruarem. Tu igitur Lector Opus hoc percurrere ne graueris: in quo de ratione huiuſmodi ſcriptionis conſtabit pleniùs. placuit autem hoc monumentum ad XII. Lucubrationũ noſtrarum Volumen reijcere in quod opuſcula ſeu miſcellanea coniecimus. Cum enim in hoc ſomnio multa phyſicè plurima etiam moraliter diſputentur, nonnulla etiam ad Hiſtoriam pertineant politioremq. literaturam, libuit Cõmentarium quo huiuſmodi ſomnium explanamus, ad miſcellanea illa reuocare: vbi documenta tibi huius ſcriptionis formæ ac generis extabuns non pauca,

F I N I S.

Henricus Clericus Gallus Valliſcolorenſis Corrigebat.